NAZIONALE VITT. EMANUELE
14
20 L
M 13

2133.

T-II. 6

PHILIPPI SOLITARII

DIOPTRA, id eſt, REGVLA, ſiue AMVSSIS REI CHRISTIANÆ, AD CALLINICVM MONACHVM, QVATVOR LIBRIS PER DIALOGUM explicata.

Ex Bibliotheca Reipub. Auguſtanæ.

NICOLAI CABASILÆ SACELLII CVRATORIS DE VITA IN CHRISTO, LIBRI VI.

Eiuſdem contra fœneratores oratio.

IOANNIS CARPATHIORVM EPISCOPI

Capita hortatoria ſiue documenta ſpiritualia CXCI.

PHILOTHEI PATRIARCHAE CONSTANTINOPOLITANI IN PRAECLAROS PONTIFICES, & orbis terrarum Magiſtros, Magnum BASILIVM, GREGORIVM THEOLOGVM, & IOANNEM Chryſoſtomum laudatio, Græcolatina.

EX BIBLIOTHECA SERENISS. MAXIMILIANI, vtriuſque Bauariæ Principis.

Adiectæ ſunt diſputatiunculæ duæ Michaëlis Glycæ.

OMNIA NVNC PRIMVM LATINITATE DONATA, à IACOBO PONTANO Societatis IESV.

Acceſſerunt Indices rerum verborumque locupletiſſimi.

Ex libris Monasterij Sanctæ Pudentianæ Congregationis ~~Pudentianæ~~ Reformatæ Sancti Bernardi

Cum gratia & priuilegio Cæſareæ Maieſtatis.

INGOLSTADII,

Ex Typographia ADAMI SARTORII.

ANNO M. DCIV.

BIBL. S. PVDEN DE VRBE

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

BIBL. S. PVDEN DE VRBE

ADMODVM REVERENDO IN CHRISTO PATRI AC DOMINO, ANTONIO, CANONICORVM REGVLARIVM AVGVSTÆ VINDELICORVM APVD S. Crucem Præpoſito digniſs. Patrono optimè merito.

JACOBVS PONTANVS SOCIETATIS JESV,
S. P. D.

SI in hac rerum natura, quã ſol intuetur, duo quædam inueniuntur cum præſtantia ſingulari à Deo procreata, corpus nimirum & anima hominis, philoſophemata ac diſputationes ſuper iiſdem, potiſsimumq́ue Chriſtianas, cæteris quibuſcunque diſputationibus & prærogatiua dignitatis, & vtilitatis magnitudine longè ac multum antecellere exiſtimandum eſt. Talibus refer-

tum hunc librum R. P. T. dono, dico, conſecro; & non ſecus quam tertium partum meum in hoc genere (in græcis inquam interpretandis) tutelæ tuę committo, & in filij quoque locum, ſi ita placuerit, adoptandum ſumma voluntate offero. Id quod hoc libentius te facturum ſpe magna teneor, quia honeſtiſsimis aliquot comitibus ſtipatus venit, quorum familiari conſuetudine recreaberis. Non enim habebit amaritudinem conuerſatio, nec tædium conuictus illorum; ſed lætitiam potius & gaudium, quemadmodum de ſapientia cœleſti à mortalium ſapientiſsimo ſcriptum extat. De ſalutaribus ſiquidem rebus loquuntur. Quale ſit viuere in Chriſto docent. Religioſorum præcipuè vitam atq; mores optimis præceptionibus informant. Pœne extremus horũ, tres eruditiſsimos, eloquentiſſimos, ſanctiſsimosq; Patres, tria orbis chriſtiani lucidiſsima ſidera, Gregorium illum Nazianzenum cognomento Theologum, Baſilium Magnum, Ioannem ab aureo orationis

tionis flumine appellatū Chryſoſtomum tanta facundia & amplitudine celebrat, vt in iis laudandis non mediocrem ipſe laudem promeruiſſe videatur. Hanc ergo Dioptram, vt inſcribitur, cum libellis reliquis, paruum munuſculum accipies. Maius quiddam tua nec rara, nec vulgaria in hoc Collegium noſtrum promerita poſtulabant. Fateor equidem. Sed quoniam in omni officio dantis animum ac voluntatem magni æſtimandum ſapientes monent, cōfido, qualecunque quantumcunq; eſt quod donamus, hoc tibi fore iucundius, quò id ab animis non ingratis proficiſci dubitare minus potes. Debemus tibi, & debent non alieni ſolùm, in quos munificum te præbes: ſed tui etiam domeſtici, qui nunc ſub moderamine & auctoritate tua degunt, quando iis qua par eſt ſollicitudine præes, primuſque ſacrum infulatus honorem in monaſterium tuum intuliſti; nec tuos ſolùm regulari maiorum inſtituto conuenienter viuere domi ſtudes: ſed etiam foris cum li-

teris habere commercium, noſtrumq́; gymnaſium obire iubes. Quod ſupereſt, Deum opt. max. oro quæſoque, vt bonitate illius virtute tua frui quam diutiſsime tibi liceat. Ita fiet, vt nos quoque virum religioſum ac Prælatum ordinis noſtri peramantem multis adhuc annis ſoſpitem nobis gratulari poſsimus. Vale. Auguſtæ XII. Kalend. Mart.

M. DCIV.

AD LECTOREM.

V*Olvmen iſtuc inſcriptum* Διόπτρα, *vocabulo inſtrumenti geometrarum, quo illi ad explorandas ex interuallo altitudines vtuntur, vt ſunt quæ vocantur quadrans geometricus, & baculus S. Iacobi, nos* regulam, *ſiue amuſsim rei Chriſtianæ, ad argumentum ipſum quo de hîc diſputatur, ſatis accommodatè, vt puto, appellauimus: volumen ergo iſtuc in Auguſtana bibliotheca cum reperiſſem, etiã atq; etiam dignum iudicaui, quod latina lingua expreſſum, ad virtutis & vitæ Chriſtianæ ſtudioſos perueniret. Auctorẽ et parentẽ habet* Philippvm Solitarivm, *qui libro quarto teſtatur, ſe id confeciſſe anno poſt Chriſtum natum milleſimo centeſimo quinto, quo tempore Alexius Comnenus annum decimumſextum imperabat. Reliqua ex Pſelli, Phialiti correctoris, ipſiusq́; auctoris præfationibus licebit cognoſcas. Magnopere vellem, Phialitum illum in iſta emendatione accurationem maiorem præſtitiſſe. Spirat vbique pietatem Philippus, & nos Deo gratiores efficiendi ſtudio flagrat. Vſus eſt verſibus politicis, de quibus præfatione in Orationes Simeonis, ſuperiore anno à nobis conuerſas, & in lucem prolatas diſſeruimus. Qui, quoniam latinis auribus*

ribus

ribus parum noti ſunt, & eos multis locis rerum ſubtilitas, ſermoniſq; Romani egeſtas non admitteret, ſoluta & perpetua oratione, non ſine exemplo interpretandos cenſuimus. De paucis ſingulorum librorum capitibus multo plura fecimus: cuique lemma, ſiue ſummam ſuam noſtris verbis, vberiuſq; & accuratius aliquanto, quam ſcriptor ipſe fecerat, præfiximus, quò omnia luculentiora fierent, planiuſq; perciperentur: tametſi nihilominus ad quædam promptius intelligenda grauiores, & ſeueriores illas ſcientias libaſſe opus erit. Oeconomia non immerito cuipiam admirationem mouebit, cur nimirum, cum hoſce libros in dialogo conſcriberet, ANIMAE interrogandi ac diſcendi, CARNI reſpondendi docendiq; partes dederit: & illam Diſcipulam, hanc Magiſtram eſſe voluerit in huiuſcemodi rebus tam ſanctis ac ſpiritualibus, addo etiam, tam eruditis, cum contrà potius faciendum fuiſſe videatur. Caro quippe eſt anima inferior, & appetitus ſentiens, Auguſtino anima irrationalis: Anima verò hic eſt ſuperior anima, anima rationalis, vt idem Auguſtinus nominat, & qui à Paulo ſpiritus dicitur. Accedit, quod Animam Caro ſemper κυρίαν et δέσποιναν dominam, heram: Anima carnem ſemper δούλην, θεράπαιναν, παιδίσκην, πρόσπολον, ὑπηρέτιδα, ſeruam, famulam, ancillulam, miniſtram vocat. Ex quo,

vtri

vtri potiores partes conueniſſent, nullo negotio quis rationem concludet. Vt reſpondeamus aliquid, & ſcriptorem quoquo modo tueamur, primùm, illud certum eſt, cum toto quantum eſt volumine de anima, & corpore agatur, non indecorè hanc προσωποποιΐαν *introductam: & multa non melius, neque commodius Magiſtræ & Diſcipulæ, aliiſúe perſonis adhibitis explicari potuiſſe. Deinde diſputantur ab Anima, quæ non aptè & rectè à Carne, & viciſſim à Carne, quæ non tam idoneè ab Anima diſputarentur, etiamſi illa Magiſtræ, hæc Diſcipulæ officio fungeretur. Quamobrem & nos, cum principio œconomiam iſtanc pro abſurda haberemus, commutare perſonas inſtituimus; ſed in progreſſu mutata ſententia, eas, vt inuenimus, ita reliquimus. Sunt & alia per hos libros, in quibus* τὸ πρέπον *negligentius ſeruatum animaduertas, nec Philippum ſatis ſciuiſſe, quid eſſet dialogum ſcribere. Verùm hæc & ſimilia peccata homini aſcetico, quiq́ de vna ſãctimonia nobis perſuadenda laboraret, ignoſcenda ſunt, & ſæpe illud cogitandum, quod mihi libros iſtius potiſſimùm generis tractanti è Grammaticis, quibus puer ſum imbutus, frequenter ſolet occurrere,* Tu viuendo bonos, ſcribendo ſequare peritos. *Quintum librum paucarum paginarum, nec capitibus diſtinctum, cum quarto coniunxi. Notas in margine*

gine autà Pſello, aut à Phialito cum SS PP. ſententiis appoſitas in contextum recepi, delectu tamen habito, & diuerſo charactere expreſſi. Non parum quippe lucis & gratiæ ipſi operi allaturæ videbantur. Retinui autem verba græca, vt aliqua delectatione huius linguæ auidos permulcerem. Verſus illos politicos, ne monſtrum facerem, & aliis de cauſſis nō addidi. Quæ lib. 2. cap. 12. ex Damaſceno, & eiuſdem libri cap. 16. & 17. fuſius adducuntur, ea ex interpretibus illorum tibi annumeranda cenſuimus. Nunc vt Patres illos, de quibus dicebam, noueris, catalogum ſubiiciam.

PATRES IN MARGINE DIOPTRÆ ADDVCTI.

GREGORIVS NAZIANZENVS.	*THEODORVS STVDITA.*
GREGORIVS NYSSENVS.	*ANASTASIVS SINAITA.*
IOANNES CHRYSOSTOMVS.	*ISIDORVS.*
ATHANASIVS.	*EPHRAEM SYRVS.*
CYRILLVS ALEXAND.	*DIONYSIVS AREOPAG.*
BASILIVS M.	*MAXIMVS.*
THEOPHYLACTVS.	*MICHAEL PSELLVS.*
DAMASCENVS.	*NILVS.*
THEODORETVS CYRI EPISC.	*ISAAC.*
THEODORETVS HERACLEAE.	*CARBONIVS.*
IOANNES CLIMACVS.	*GENNADIVS.*

Extabat item in Bibliotheca Bauarica Nicolaus

laus Cabaſilas περὶ τῆς ἐν χριστῷ βίου de vita in Chriſto, opuſculum ſanè doctum ac pium, & ad animos Dei amore inflammandos mirè appoſitum, quod Dioptræ adiungere propter rerum conuenientiam placuit, ſperamusque pari fructu euolutum iri. Volebamus inſcriptionem ita reddere, DE VITA CHRISTIANA. Sed cum ille non tam vitam Chriſtianam præceptis formet, quam quemadmodũ illa cum Chriſto in Deo abſcondita ſit, oſtendat, idq; trium ſacramentorum vi & virtute potiſſimùm, Baptiſmi, Vnctionis ſiue Confirmationis, & Euchariſtiæ, verius fuit ſimpliciter, DE VITA IN CHRISTO inſcribere, ſecundùm verba græca ſcilicet. Fuit Cabaſilas vir illuſtris, cuius honorifica mentio in hiſtoria Ioannis Cantacuzeni noſtra lib. 3. cap. 73. & 99. vbi Sacellij curator, ſiue Præfectus nominatur, qui à Curopalata libro de officialib. palatij Conſtantinopolitani, & officiis Magnæ Eccleſiæ ſic deſcribitur. ὁ σακελλίου (ſubaudi ἄρχων) κρατῶν τὰς καθολικὰς ἐκκλησίας, καὶ τὸ σακέλλιον, cuius eſt, in Eccleſias Catholicas, & res ſacellorum, id eſt, rerum ad ſacras ædes, & ſacella pertinentium. Eiuſdem oratio in fœneratores in eodem codice Bauarico ſequebatur, multò emendatior profectò, & longior, quam Auguſtæ ſuperioribus annis eſt edita. Quam ſi legerint iſti,

qui fœnerando homines occidunt (ſic enim Cato Cenſorius, interrogatus quid eſſet fœnerari? quod hominem, inquit, occidere) quid amplius nefariæ improbitati ſuæ prætexant, non habebunt. Occurrit enim, & confutat illorum rationes vniuerſas.

Ioannis Carpathiorum Epiſcopi capita hortatoria cum Simeonis Preſbyteri orationibus edidimus aliâs octoginta duo, quot nimirum in codice Bauarico inueneramus. Modò eum libellum ex Auguſtano codice plus altero tanto auximus. In eo cum ducenta ſeptendecim extent, non pauca in ſuperiore voluminis ora verſus tantum dimidiatos habent, alterius ſcilicet dimidij litteris humore exeſis. Quare omnia, quod inprimis & mirificè cupiebamus, facere latina non potuimus. Quæ autem fecimus, huiuſmodi ſunt, vt eius acceſſionis te mihi gratiam habiturum vehementer confidam.

Prædicta ſequitur inſignis, erudita, & diſerta planè oratio encomiaſtica Philothei Patriarchæ Conſtantinopolitani, in tres Eccleſiæ Doctores clariſſimos, Greg. Nazianzenum, Baſilium Magnum, & Ioannem Chryſoſtomum, quorum primum Ioanni, alterũ Petro, tertium Paulo videtur comparare. Equidẽ eos ab aliis, haud facilè tam diuinis laudibus, cum tam egregia dicendi facultate commendatos crediderim. Hanc porrò lectiſſimam orationem

tionem græcolatinam damus, cum bona ſpe, hoſce Patres, tria Eccleſiæ ſidera, ſeu tres ſoles potius, eius lectionē tibi commendatiores fore. De Philotheo multa prædicantur lib. 4. hiſtoriæ Cantacuzeni, quæ leges cum libuerit. Extremum locum obtinent duæ diſceptatiunculæ Michaëlis Glycæ, quas Græcè ab Andrea Schotto noſtro accepimus. Adiecit quoque ad calcem breues obſeruationes in locos quoſdam obſcuriores & difficiliores IACOBVS GRETSERVS *Societatis noſtræ Theologus. Interea donec aliud à nobis accipias, huic etiam operi faue Lector, & conatibus deinceps noſtris pares à Deo vires impetra. Vale.*

DIOPTRAE CAPITA PER LIBROS.

LIBRI PRIMI.

I. *Perſpicuè demonſtratur, fidem operibus deſtitutam nihil prodeſſe.*

II. *Quænam mandata diuina, ſiue opera bona præſtantiora ducenda videantur.*

III. *Omnia ad Dei præſcriptum à nobis facta, citra charitatem frigere.*

IV. *Pauli Apoſtoli erga Deum & proximum charitas immenſa.*

V. *Qui irruentes tentationes afflictionesq́; grata mente pertulerit, præmium adepturum: qui inuitus pertulerit, nullum adepturum. Scopus tentationum quadripartitus.*

VI. *Qui propter Chriſtum paruas, & paucas tribulationes gratè, integreq́; ſuſtinuerit, eum magna paſſis æqualem futurū.*

VII. *Multos bonis operibus, & rectè factis compluribus abundantes, alios, quorum minuta, & pauca numerantur, diuina voluntate & ſententia non anteituros.*

VIII. *Ad pœnitentiam cohortatio. Ad tribunal Chriſti iudicis aduerſus ſceleſtos diaboli accuſatio.*

IX. *Paruam negligentiam, atque ſocordiam non parua mala generare, oſtenſum ex hiſtoria Leuitæ de libro Iudicum.*

X. *Remiſſè, & in peccatis vitam agitantes, è rebus humanis duriter, violenterq́; excedere. Secus accidere iis, qui ad ſuperna animo & cogitatione conuerſi, viuendi rationes in melius commutant.*

XI. *Qui hic peccata ſua confeſſus non fuerit, eum alia via ſaluari non poſſe. Cur Petro ante alios claues traditæ. Quid ſit pœnitentia. Notanda magnopere, quæ hoc capite de ſacra confeſſione præclariſſimè diſſeruntur.*

XII. Ex-

XII. *Exempla Manaſsis, & Dauidis pœnitentium, & ſalutem conſecutorum.*

XIII. *De concipienda ſpe diuinæ miſericordiæ, ex pœnitentia, & humilitate.*

XIV. *Deſcriptio humilitatis, ex effectis eius.*

XV. *Epilogus, cum gratiarumactione ad ſanctiſsimam Trinitatem.*

LIBRI SECVNDI.

I. *Carni vitioſitas, & contumacia ipſius ab anima exprobratur. Animam ex his quæ per corpus agit, & operatur, qualis quantaq́ ſit, cognoſci.*

II. *Niſi artus & membra corporis accreuerint, animæ functiones non apparere: &, ſi membrum aliquod perierit, aut vitiatum fuerit, ſecundùm illud animam nihil agere. Qua in parte corporis animam, ſeu mentem habitare exiſtimandum ſit. Animam & corpus ſibi mutuò creata eſſe.*

III. *Corpore per mortis fata diſſoluto, animam haudquaquam diſſolui, & extingui, Platonis argumento confirmatum.*

IV. *Quamobrem mundus ante hominem, & corpus ante animam procreatum ſit. Huius nobilitas, illius vilitas.*

V. *Vter Protoplaſtorum, & vtra pars animæ potius peccarit. Superbiæ deteſtatio, cuius auctor & origo Lucifer.*

VI. *Animam potius, quam corpus ob ſcelus primorum parentum pœnas luiſſe. Quo pacto vtriuſque corpus miſerabiliter commutatum ſit. Mortem videri pœnam leuem, & conducibilem. Animam hinc exeuntem benè, aut malè habituram.*

VII. *Quid ſignificet*, ad imaginem, & ſimilitudinem, *& veriusſecundùm animam nos eſſe homines. De celeritate animorum incredibili.*

VIII. *Corpus Adami nec interitui obnoxium, nec ab eo alienum eſſe conditum.*

IX. *In quas oras animæ ex hac luce commigrent.*

X. *De reſurrectione hominũ ſupremo illo die: & cuiuſmodi tum beatorum, tum damnatorum corpora futura ſint.*

XI. *Ecquid Chriſtus deſcenſu ad inferos omnes animas inde eripuerit.*

XII. *S. Ioannis Damaſceni locus de iis, quos Chriſtus ab inferis liberarit.*

XIII. *Qua demum ratione qualibet anima ſuum ipſius corpus à mortuis exiſtens recognoſcet.*

XIV. *Generatim omnes inter ſe agnituros, donec alij ad dexteram, alij ad ſiniſtram iudicis ſeparentur. Inde iuſtos in omnem æternitatem, peccatores autem non amplius mutuùm noſcituros.*

XV. *Magno, & nouiſſimo die vniuerſam creaturam ad ſpeciem elegantiorem, & incorruptionem, ſimiliterq́; humana corpora, & animas in melius immutatum iri: & earum partes duas (in quibus ſcilicet ineſt iraſcendi, & concupiſcendi vis) deſituras. τῦ κατ' εἰκόνα, cum archetypo comparatio.*

XVI. *D. Gregorij Nyſſeni locus de anima tripartita, ex diſputatione de anima, & reſurrectione, cũ Macrina ſorore habita.*

XVII. *De reſurrectione vberior diſſertatio, ex iiſdẽ Gregorij Nyſſeni Macrineis, vt auctor noſter appellat. Ad ſacros libros euoluendos cohortatio, & ad ſacroſanctam Trinitatem gratiarum actio.*

LIBRI TERTII.

I. *Mentem citra corpus multa perperam committere: corporis cum anima ſola, abſq; mente nullam eſſe functionem. Animam iuſtam ex hac cuſtodia eductam, ſimul cum angelis collaudare dominum, rerum huius vitæ immemorẽ: peccatricem in inferno ſuorum ſcelerum reminiſci.*

II. *Angelos ſine inſtrumento corporeo diuinas laudes celebrare. Eos ter tribus conſtare ordinibus. Vniuſcuiuſque ternarij qualis hymnus.*

III. *Humanam naturam dignitate angelis antecellere, duabus potiſsimùm de cauſsis. Chriſti ſponſam, & reginam eſſe. Quantopere ſponſus eandem in cœlo honorauerit.*

IV. *Quandiu, & quam ſtudioſè Dei filius ſponſam ſibi quæſiuerit: quibus ipſam ornamentis cumulauerit, eleganti parabola demonſtratum.*

V. *Naturæ humanæ cum diuina coniunctio collatione quadam declaratur, cum exaggeratione tanti beneficij.*

VI. *Creaturam cuiuſque generis, ſæculo quod exſpectamus nouam fore. Paradiſum, vetus Adami habitaculum, peracto iudicio nullum fore.*

VII. *Locus D. Pauli ad Romanos:* nam exſpectatio creaturæ filiorum Dei reuelationem exſpectat, *& quæ ſequũtur, ex S. Ioanne Chryſoſtomo propemodum explanatur. Statum corporis beati in hac vita perfectè non cognoſci.*

VIII. *Finem mundi incertum eſſe: ſuper eo plurium vaticinationes & coniecturæ. Greg. Nazianzeni ſententia.*

IX. *De præcurſoribus ſecundi aduentus Chriſti. De prænuntiis, mirandis operibus, & ortu Antichriſti.*

X. *Vaticinium Patriarchæ Iacob de Antichriſto explicatum; eiuſdem vita ac mores, vltimorumq́ temporum illorum calamitates ac miſeriæ.*

XI. *Adhuc de ſceleribus Antichriſti, & cur Deus eum viuere, ac ſæuire patietur.*

XII. *Ad perpetuam conſiderationem mortis incitatio. S. Trinitatis laus, & admiratio.*

LIBRI QVARTI.

I. *Quamobrẽ Deus cœleſtes, & intelligentes ſubſtantias prius, & ſemel vniuerſas procreauerit: inferiores autem ſimiliter intelligendi vi præditas (animas hominum puta) adhuc ſingulas producat. Animæ cum beatis mentibus, cumq́ue ipſo Deo affinitas, & immortalitas,*

II. *Animas vacare prorſus corporeis accidentibus, & ſecundùm ſubſtantiã nullo diſcrimine variari. in reſurrectio-*

ne non beatorum corporum, nec animarum, ſed gloriæ, præmiorumq́ differentiam fore.

III. *Mirifica, & multiplex inter homines tum ab anima & moribus, tum à corpore & ſenſibus diſcrepantia. Corpus ſingulorum ex quatuor elementis æqualiter conſtare.*

IV. *Duplex mundus, ſuperior & inferior. Hominem vtriuſque participem eſſe. Cuiuſque elementi binæ qualitates. Ex quatuor humoribus qui nam cui elemento propter ſimiles qualitates reſpondeant: & quo pacto cum iiſdem elementis, & quatuor humoribus totidem anni tempora conſentiant. Qua ratione cauſſa ſuperius explicata varietatis, qualitatum & humorum temperationi in corpore humano debeatur. Rei illuſtrandæ paradigmata.*

V. *In voce humana ſumma varietas ac diſsimilitudo comparatione quadam lyræ, ſeu inſtrumenti muſici ante oculos ponitur.*

VI. *Tametſi homo propter temperamentum ad vitia feratur, poſſe tamen ſeſe corrigere, ſi velit, Deo opitulante. Supra naturæ curſum, & ordinem diuina quædam opera. Dei beneficia deſiderantibus quid præſtandum ſit.*

VII. *Recenſentur varia corporis humani incommoda & miſeriæ. Origo ex conſtitutione inquiritur, propter quam de quatuor humoribus, de principio generationis, de quatuor ætatibus, & temporibus anni copioſè prius diſputatur.*

VIII. *Explicaturus cauſſam vitioſorum corporum, alio abripitur, & cur Deus hominem non ſimplicem, vt angelos, creauerit, docet. Deinde Manichæorum deliramēta inſectatur.*

IX. *De prouidentia Dei in opificio mundi, & cur hominem immutabilem immortalemq́ non fecerit.*

X. *Tandem partuum monſtroſorum, & aliqua fœditate inſignium cauſſam incontinentiæ parentum adſcribit. In his ipſis partubus vtilitatem ad mores hominum corrigendos ineſſe demonſtrat.*

XI. *Quomodo diabolus ſuperſeminet in animis noſtris Zizania & quibus armis ei reſiſtatur. Quare Zizania hic euelli Deus non ſinat.*

XII. De quatuor virtutibus cardinalibus, earumq; vitiis oppoſitis. Multa item de animi perturbationibus, & qua à quibus virtutibus edomentur.

XIII. Quiſnam carnalis, quis animalis, quis ſpiritualis appellandus ſit. Solum id bonum, quod ex libera voluntate procedit, laudem & præmium mereri.

XIV. Quemadmodum Deus hominem cum creaturis omnib. communicantem finxerit. Quomodo idem Trinitatis imaginem contineat.

XV. Cur anima, cum ſit incorporea, rebus tamen corporeis ac perituris adhæreſcat. Vnde bellum intra ipſam. Quis pacificator. Quatuor virtutum cardinalium officia. Gratia Spiritus ſancti quando hominibus auxilietur.

XVI. Prima origo belli inter corpus & animam. Diaboli oppugnationes nobis accidere ſalutares. Anima quorum extra corpus recordetur. Quomodo abſque corpore Deum laudet. Quo pacto afficiantur ſpiritus exuti corporibus, & ſenſus ſine ſenſibus habeant. De incremento fœlicitatis animarum in ſecundo Chriſti aduentu.

XVII. Chriſtum cum latrone in paradiſum illum terreſtrem non introiiſſe, nec vllam animarum ſanctarum poſt eius reſurrectionem eò introire.

XVIII. Rerum quarto libro pertractatarum anacephalæoſis.

XIX. Non ſua, ſed aliena voluntate & auctoritate ad ſcribendum ſe acceſſiſſe. Omnes actiones noſtras à Deo pendere. Libri vtriuſque teſtamenti. Diuerſa ſcripta ſanctorum Patrum. Quomodo ſcriptoribus diuino auxilio ſit opus. Vnde profecerit. Nonnullorum ex medicis ſumptorum ſumma.

XX. Flebilis lamentatio, & querimonia aduerſus animam. Multa de mundi vanitatibus. De vltima hora. De extremo iudicio. De cœleſti paradiſo, & inferis conſiderationes tropicæ.

Philippi Solitarii Dioptram, cæteroſque eiuſdem voluminis auctores, à Iacobo Pontano Societatis noſtræ, è græco in Latinum conuerſos, atque ab aliquot Patribus noſtri ordinis lectos & probatos, ego Gregorivs Rosephivs, per Germaniam Superiorem Societatis Iesv Præpoſitus Prouincialis, poteſtate mihi ab admodum R.P.N. Generali Claudio Aquauiua conceſſa, typis mandandos permitto. Ad huius rei fidem hoc teſtimonium manu mea ſubſcriptum, & ſigillo Societatis inſignitum illi do. Auguſtæ Kalend. Feb. Anno M. DCIV.

Gregorivs Rosephivs.

Nobilia hæc Græcorum aliquot opuſcula, à R. P. Iacobo Pontano, Societatis Iesv, nunc primùm è tenebris eruta, nec ſine egregia diligentiæ, elegantiæ, fidelitatis & ſinceritatis laude de Græcis latinè facta haud paruo cum pietatis Chriſtianæ fructu, vt optamus & ſperamus, typis euulgabuntur.

Albertvs Hvngervs,
Procancellarius, & hoc tempore Collegij Theol. Decanus.

MICHAELIS PSELLI IN DIOPTRAM PRAEFATIO.

MELIVS eſt, inquit Scriptura, *modicum iuſto, ſuper diuitias peccatorum multas.* Melius igitur etiam vera dicendo balbutire, quàm mētiendo Platonis copiam, & grauitatem exprimere. Neque enim tunc admirationem meretur oratio, cum profluens extra limites fertur: ſed cum longitudine modica, ſententiis abundans, ac diues fuerit, & in breuitate, perſpicuitate, venuſtatiſque neglectu quod neceſſariò tradendum eſt, quodque cum in ipſa doctrina, tum in moribus ſplendet, comprehenderit, atque in medium protulerit. *Spirituales enim ſpiritualia comparantes, & diiudicantes*, vt ſacrarum literarum non ignari, & probati, haud nitidam, figuris inuolutam, tornatilem, & ab artificio profectam compoſitionem, verborumque ornamenta (in quibus ſæpenumero exquiſita dicendi exercitatio mendacium occultat, quo inconſideratè legentes, nec lecta excutientes detrimentoſè irretiuntur) verùm illuſtratę, & euangelicis oraculis confirmatæ, & quanquam non ſine barbariſmis, & ſolœciſmis pronuntiatæ veritatis orationem deſiderant. Quare quicunque iſta fideliter, nulla inuidia, nulla curioſitate, citra omnem ſimulationem fraudemque legerit, in paucis, nec obſcuris interrogationibus, præceptis, & reſponſionibus, quæ diuerſis ætatibus à doctoribus Eccleſiæ Catholicæ, tanquam eiuſdem luminibus, ac ſideribus ſuper neceſſariis quibuſdam fidei noſtræ capitibus dilucidè quæſita, & explanata ſunt, inueniet. Quæ quidem ſtudio & labore non minimo ſanctiſſimus ſolitarius PHILIPPVS ad ædificationem, & vtilitatem ſaluari cupientium in vnum corpus collegit.

Pſal. 36.

1. Cor. 2.

git. Nec illa ſolùm, quæ ab Eccleſiæ magiſtris ſcripta, ſibi conquirenda duxit: ſed multa inſuper ab ſe inuenta, & excogitata, orthodoxorum, proborumq́ue animis ſalutaria adiecit. Itaque in hoc ſcopo ac fine, cordis oculum defigere oportet. Oratio namque ſtructura, varietate, feſtiuitate & elegantia quodammodo transformata, tractationi propoſitæ incommodat, dum latenter eorum quæ leguntur intelligentiam ſurripit, & offuſis tenebris rem ipſam perſpicere ac penetrare vetat.

Porrò ſemetipſum alloqui, & per proſopopœiam (hoc eſt, perſonæ fictionem) animam interrogare, & rurſum dubia, ſeu difficilia ſibimet diſſoluere, tum iis qui ſub lege antiqua, tum iis qui ſub gratia viuunt vixeruntq́ue ſolemne, & vſitatum eſt.
Pſal. 102. *Benedic anima mea Domino*, ait Dauid: &, *conuertere anima mea in*
Pſal. 114. *requiem tuam.* Et de eo qui non erat in Deum diues, narrat Do-
Luca 12. minus, ita locutum, *dicam animæ meæ: anima, habes multa bona.* Et hymnographus, anima, quæ hîc ſunt, temporanea ſunt. Et ab aliis alia id genus ſæpe ſcripta ſunt.

PRÆ-

PRÆFATIO PHIALITI, SVPER EMENDATIONE DIOPTRÆ, QVAM HORTATV BEATISSIMI DIONYSII, METROPOLITÆ MITYLENES, domo Peloponneſij, & cognomento Euzoiti ſuſcepit.

VOLVMEN hoc DIOPTRA inſcriptum, à Philippo viro ſanctiſſimo compoſitum eſſe, eumq́; ſuadentibus, & hortantibus parentem & obſecundantem, non ſuopte nutu, ac voluntate id confeciſſe, vt per ſe iam notum, non eſt hîc verboſius aſſerendum: Philippo, inquam, qui temporibus magni Imperatoris Alexij, inſtar coruſci luminis virtutis claritate effulſit. Illud quoque certum eſt, ipſum abundaſſe, & hîc etiam abundare optimis, ac ſalutaribus commentationibus atque ſententiis: quas partim è Scriptura ſancta deriuauit: partim ex ſemet deprompſit, ac digeſſit. Cæterùm quod ad dictionis elegantiam, & elocutionis leporem, concinnitatem, ac numerum attinet, non bene ſe res habebat; quòd videlicet Pater ille admirandus hæc, vt apparet, in minimis duceret: de ſola veritate, vtilitateq́; hominum laboraret, qua nihil pulchrius, nihil fructuoſius, ne ipſa quidem vel ſapientia Platonis, vel eloquentia Demoſthenis, vel grauitas Thucydidis. Quid enim hæc omnia ſunt, ſi cũ ſententiis hiſce lectiſſimis comparentur? quod non ignorant, qui eas norunt. Sed hactenus iſta fuit huius libri conditio, pulchritudoq́; Dioptræ ſententiarum cæterà haud ſanè pulchra videbatur; ſed erat auro fruſtra, ac temerè proiecto ſimilis. Aut (vt alio exemplo rem declaremus) arbori ſpecioſis quidem pomis grauidæ & onuſtæ; ſed foliis nuſquam comãti; & idcirco ad aſpectum indecoræ ac inuenuſtæ. Porrò bonus Lesbiorum Paſtor Dionyſius, cum in librum ſic, vt diximus, habentem incidiſſet, ita incorrectum & informem relinquendum non putauit: nec reliquit: ſed germana, & diligenti opera noſtra debitas ei emendationes adhibuit. Quantum quantum enim toto ope-

re ſalebroſum & abſonum erat, ceu marcidum quoddam ſenium, ſiue ſitum abradens quaſi nouum, ac vegetum præſtitit, repulſa inde omni barbarie, & quidquid in conſecutione orationis vitioſum erat. Contrà, nitore, concinnitudine, compoſitione, certaq́; numerorum moderatione inducta, & vbique luce perſpicuitatis illata. In rebus autem ipſis nihil vel contractum, vel ablatum: ſed omnia ad auctoris memoriam integra conſeruata ſunt. Quod facilè cognoſcet, qui nouam hanc, & recentem Dioptram cum prima & veteri illa collatam perpenderit & examinarit, inq́; ſingulis ſenſum ponderarit, ac reliquam orationis vim explorarit. Vel cæco apparet, vt Plato ait.

PHILIPPVS SOLITARIVS, PECCATOR, ABIECTVS, ET PEREGRINVS, CALLINICO MONACHO S.

PETITIONI tuę quanquam inuitus, propter obedientiæ tamen, & charitatis fructum obſecutus, & expleto munere, quod mihi impoſuiſti (venerãde Pater, fraterq́; Callinice) omnia verſibus politicis, & libris quatuor, interrogandi ac reſpondendi forma ſeruata complexus ſum. Anima quærit, Caro reſpondet. Sunt autem res huiuſmodi, quæ non ad aures tuas demulcendas, ſed ad animam exhilarandam valere poſſunt. Hoſce libros accipe, & ſi quid parum conſentaneum offenderis, imperitiæ ruſticitatiq́; noſtræ veniam tribue: nec in verbis ipſis inhære: neu elegantiam inelegantem conſidera (ſanè enim nihil in his, niſi vulgare ineſt, & agreſti inſcitia plena ſunt omnia) ſed offerentis obedientiam ac propoſitum amplectere. Quod ſi quid laudabile dictum occurrerit, ad Deum auctorem referatur, illique, vt par eſt, laudes dicantur, & gratiæ habeantur, qui etiam idiotas ad emolumentum audientium ſapientes reddit: & virtutem

ſuam

ſuam in infirmitate perficit. Si quid viciſſim imperfectè, & inaniter ſcriptum repereris, humanæ imbecillitati ignoſce: quæ ab ignoratione quadam maiore impedita, nec quæ voluit, nec quemadmodum voluit litteris mandare potuit. Et quoniam fratrum iuſſis mos gerendus eſt, hæc tibi, Pater, & frater multo cum timore, & reuerentia conſcripſi: proq; captu meo perexiguo è ſacris ſcripturis neceſſaria, vtilia, tuæque ſanctitati conducibiliora, magiſque opportuna decerpta libens miſi. Precaberis Deum pro me aſſiduò, Pater inprimis venerande, quò mihi delicta mea condonentur: & cœleſtia bona conſecutus, regno illo perfrui queam. 2. Cor. 12.

IDEM AD LECTOREM.

AD rudes ego rudis qua poſſum facultate diſſero, eoſq; pre virili mea admoneo, & hortor, & tam ſæcularibus, quàm monaſticis hominibus munus ipſorum in mentem reuoco, ſermone prorſus imperitis, vt ego ſum; neque ad faciendam orationem, ipſamq; artem propenſis: neque rhetorum eximiorum, & ſcientia magiſtrorum cupidis. Atque hinc eſt, quod ſcemmata, & reprehenſionem eorum non horreo, qui aliorum lapſus irridere conſueuerunt. Sed quod potius ſoleo, id ſapio, & loquor. 2. Cor. 11.

DIOPTRÆ LIBER PRIMVS.

LIBRI CAPITA.

I. *Perſpicuè demonſtratur, fidem operibus deſtitutã nihil prodeſſe.*

II. *Quænam mandata diuina, ſiue opera bona præſtantiora ducenda videantur.*

III. *Omnia ad Dei præſcriptum à nobis facta, citra charitatem frigere.*

IV. *Pauli Apoſtoli erga Deum, & proximum charitas immenſa.*

V. *Qui irruentes tentationes, afflictionesq́; grata mente pertulerit, præmium adepturum: qui inuitus pertulerit, nullum adepturum. Scopus tentationum quadruplex.*

VI. *Qui propter Chriſtum paruas, & paucas tribulationes gratè, integreq́; ſuſtinuerit, eum magna paſſis æqualem futurum.*

VII. *Multos bonis operibus, & rectè factis compluribus abundantes, aliosq́; quorum minuta, & pauca numerantur, diuina voluntate & ſententia non anteituros.*

VIII. *Ad pœnitentiam cohortatio. Ad tribunal Chriſti iudicis aduerſus ſceleſtos diaboli accuſatio.*

IX. *Paruam negligentiam atque ſocordiam non parua mala generare, oſtenſum ex hiſtoria Leuitæ de libro Iudicum.*

X. *Remiſſè, & in peccatis vitam agitantes, è rebus humanis duriter, violenterq́; excedere. Secus accidere iis, qui ad ſuperna animo & cogitatione conuerſi, viuendi rationes in melius commutant.*

XI. *Qui hîc peccata ſua confeſſus non fuerit, eum alia via ſaluari non poſſe. Cur Petro ante alios claues traditæ. Quid ſit pœnitentia. Notanda magnoperè, quæ hoc capite de ſacra confeſſione præclariſſimè diſſeruntur.*

XII. *Exempla Manaſsis, & Dauidis pœnitentium, & ſalutem conſecutorum.*

XIII. *De concipienda ſpe diuinæ miſericordiæ, ex pœnitentia & humilitate.*

XIV. *Deſcriptio humilitatis, ex effectis eius.*

XV. *Epilogus, cum gratiarum actione ad ſanctiſſ. Trinitatem.*

DIO-

DIOPTRAE R. CHRIST.

LIBER PRIMVS,

CAPVT I.

Perſpicuè demonſtratur, fidem operibus deſtitutam nihil prodeſſe.

ANIMA DISCIPVLA. CARO MAGISTRA.

ANIMA. Tempus antiquum eſt, immò antiquiſsimum, quo nos ab omnium conditore ac principe fabricatæ ſumus, vnum animal homo, ex vtroque mundo, mixtura ac temperamentum nobiliſsimũ. Ego verò vſque in hunc diem nihil ex te percunctata, nunc primùm domina famulam interrogabo. Tu te erige, & doce alacriter, mihique deſidiam præteritam ignoſce. CARO. An ego, quod imperas, detrectare queam? tametſi ita erudita non ſum, vt tibi quidem videor. ANIMA. At enim nec ego artium diſciplinis imbuta ſum. Loquere igitur, & omni poſito metu reſponde, quæſitaq; mea promptè diſſolue. CARO. Auſculta ergo, & dictis meis attende. Sæpenumero à compluribus audiui, hominem animantem eximium, omniumq; animantium pulcherrimum, nunquam à conditore ſuo ſupplicijs traditum iri, ſi modò ſalutari ablutus lauacro, ac fide præditus fuerit. Ablutionis autem, ac ſimul fidei expertem, iuſtè pœnas ſubiturum. Quos quidem pro eo ac decuit ignorantiæ condemnaui. Inſignis namque, & doctor maximus Baſilius ita ſentientes facilè refellit, optimeq; docet in hanc ſententiam. Cùm ſeruus quiſpiam dominum offenderit, & offenſio illa miſerationem penitus excluſerit, vt ſecundum legem pœna illi infligenda ſit, primùm omnium damnatur, gloria nudatur, ſpoliatur & eijcitur iis quæ habebat bonis: tandemq; commeritæ pœnæ addicitur. Præterea lex, & diſciplina eccleſiaſtica ſeruatur, & cum quis ſacerdotum deliquerit, ſiue inferioris gradus fuerit, ſiue throno epiſcopali clarus, ſymbolis ſacrarum veſtium exuitur:—

NOTA. ΟΥΚ ΙΣΗΝ ΠΡΟ ΤΟΥ ΙΕΡΟΣΥΝΗΣ ἨΞΙΩ-σθαι, καὶ μετὰ τὸ ἀξιωθῆναι, εἰ πταίσομεν δίκην δώσομεν, ἀλλὰ πολλῷ πικροτέραν. οἱ ‟

γὰρ

γὰρ μηδὲ τῷ τιμῆς τοιαύτης ἠξιῶσθαι βελτιωθέντες, ἀργαλεώτερον δίκαιοι ἂν εἶεν κο-
λάζεσθαι. γίνεται γὰρ εἰκότως τὸ τῆς τιμῆς μέγεθος μεῖζον τιμωρίας ἐφόδιον τῷ ἁμαρ-
τάνοντι. καὶ οἱ χειροτονοῦντες ἀναξίως, τῆς αὐτῆς αὐτοῖς εἰσιν ὑπεύθυνοι τιμωρίας, κἂν
ἀγνοῶσι τοὺς χειροτονουμένους. *Non eandem pœnam ante, & poſt initam ſacerdotij dignitatem exſoluemus, ſi peccauerimus. Qui enim ne tantum quidem honorem adepti meliores euaſerint, multò grauius, & dirius iure punientur. Honoris quippe magnitudo peccantibus ſupplicij fit augmentum. Et qui indignos conſecrant, earundem cum ipſis pœnarum rei ſunt, tametſi quos conſecrant, non nouerunt.*]

— et ſimul, vt ait Canon, omnem dignitatem exuit, ac pro Papa fit Apopapa, canonibuſque ſubiectus, debito ſupplicio multatur. Iudex autem totius orbis, an non ita omnes iudicabit? Cum venerit ad iudicium, criminibus obnoxios gratia baptiſmatis, quod illi ſuorum vulnerum ſordibus inquinarunt, denudabit, & tum, heu, cruciatibus mandabuntur ſempiternis.

[πάντες γὰρ οἱ κύκλῳ αὐτοῦ οἴσουσι δῶρα τῷ φοβερῷ, καὶ ἀφαιρουμένῳ πνεύματα τῶν ἀρχόντων. ἐν γὰρ ἐκείνῳ τῷ φοβερῷ, καὶ θείῳ βήματι, ὡς δῶρα τὰς ἑαυτῶν πρά-
ξεις τῷ θεῷ προσάξουσιν οἱ δίκαιοι· ἀφ᾽ ἑκάστου δὲ τῶν ἡμαρτηκότων ἀφαιρεῖται τὸ πνεῦ-
Psal. 75. μα τὸ δοθὲν αὐτῷ διὰ τοῦ βαπτίσματος. καὶ οὕτως αὐτοὺς καὶ ἡ αἰώνιος διαδέχεται κόλασις. Omnes qui in circuitu eius ſunt, offerent munera terribili, & ei qui aufert ſpiritum Principum. *Nam apud formidabile illud, diuinumq́ tribunal iuſti actiones, ſeu opera ſua tanquam dona Deo offerent. A ſingulis autem peccatoribus datus illis per baptiſmum ſpiritus auferetur: atq́ ita æterna illos pœna excipient.*

Chrysost. οὐδὲν ἐκ τοῦ βαπτίσματος ὠφελοῦνται, οἱ μὴ καλῶς, καὶ ὀρθῶς βιοῦντες. *Nihil confert baptiſmus vitam non bene recteq́ inſtituentibus.*

ὁ ἔχων τὰς ἐντολάς μου, καὶ τηρῶν αὐτάς, ἐκεῖνός ἐστιν ὁ ἀγαπῶν με. ὁ δὲ μὴ ἀγαπῶν με, τοὺς λόγους ἐμοῦ οὐ τηρεῖ. εἰ γὰρ πατήρ εἰμι ἐγώ, ποῦ ἐστιν ἡ δόξα μου; καὶ εἰ κύριός εἰμι ἐγώ, ποῦ ἐστιν ὁ φόβος μου; δόξα πατέρων ὁσιότης παίδων· καὶ τιμὴ δεσποτῶν, οἰκετῶν φό-
Ioan. 14. βος. Qui habet mandata mea, & ſeruat ea, ille eſt qui diligit me. Qui autem diligit me, ſermones meos ſeruat. Si enim ego pater ſum, vbi
Malac. 1. eſt honor meus? Et ſi dominus ego ſum, vbi eſt timor meus? *Gloria patrum ſanctitudo filiorum: & dominorum honos, ſeruorum timor.*

Cyrillus. οὐδὲν ἡμῖν ὄφελος τῶν χριστιανῶν κεκτῆσθαι προσηγορίαν, μὴ καὶ τῶν ἔργων ἐπακολουθούντων. γέγραπται γάρ, εἰ τέκνα τοῦ ἀβραὰμ ἦτε, τὰ ἔργα τοῦ ἀβραὰμ ἐποιεῖτε ἄν. ὥσπερ γὰρ τὸ σῶμα χωρὶς ψυχῆς νεκρόν ἐστιν, οὕτω καὶ πίστις χωρὶς ἔργων νεκρά. οὐδὲν γὰρ ὄφελος πίστεως ὑγιοῦς, τῆς πολιτείας διεφθαρμένης. κἂν γὰρ ἅπασαν τὴν πίστιν ἔχωμεν, καὶ δογμάτων ὀρθότητα, τῆς δὲ ἀπὸ τοῦ βίου προστασίας ὦμεν ἔρημοι, καὶ γυμνοί, οὐδὲν τὸ κωλῦον εἰς τὸ τῆς γεέννης ἀπενεχθῆναι πῦρ, καὶ εἰς ἄπειρον ὑπὸ τῆς ἀσβέστου καταφλέγεσθαι φλογός. *Nihil conducit nobis, Chriſtianorum appellationem eſſe conſecutos,*

ſecutos, niſi etiam opera ſequantur. Scriptum eſt enim: ſi filij Abrahæ eſſetis, " *Ioan.8.*
opera Abrahæ faceretis. Sicut enim corpus ſine anima mortuum eſt: " *Iaco.2.*
ita quoque fides ſine operibus mortua eſt. *Haud enim quidquam va-* "
let ſanitas fidei, ſi mores ſint corrupti. Nam etſi omnem fidem dogmatumq́; veri- "
tatem complectamur, & à vitæ innocentiis patrocinio inopes ac deſerti ſimus, nihil "
obſtabit, quin in gehennæ ignes ſempiternùm arſuri abripiamur.] "

Eſſet ſiquidem à ratione alieniſsimum abſurdiſsimumq́ue, tantum beneficium, tantumq́ue donum vnà cum anima ignominia affici, atque condemnari. Gratia igitur priuata, tormentis deditur. Nec ſolus Baſilius iſta, quæ dixi, ſcripta reliquit: ſed alicubi etiam eloquentiſsimus Chryſoſtomus, & cum his Amphilochius, tres, inquam, hi velut Eccleſiæ ſidera, magiſtriq́ue VERBI DEI maximi ac præſtantiſsimi. ANIMA. Teſtes tu mihi non ſpernendos, fideq́ue digniſsimos memoras. *Nam in ore duorum, aut trium teſtium ſtabit omne verbum.* *Matth.18.* Quod ſi plures producere potes, age, producito: licet enim teſtari pluribus. CARO. Ergo alium teſtem audi, cui crede, cui fidem habe: verba enim ſcripturæ ſunt. Os namque Chriſti, & magnus ille præco Paulus, Hebræis, qui erant Romæ, ſcribens ait, *circunciſio quidem prodeſt, ſi legem obſerues, ſi autem præuaricator legis ſis, circunciſio tua præputium facta eſt.* *Rom.2.* Nam circunciſionis in Chriſto quæ cauſſa, aut quæ gratia? nec etiam præputij, ſi adſit gratia. *1.Cor.7.* Mandatorum obſeruatio prodeſt, vt ait: neque enim auditores, ſed cuſtodes, & factores legis, ſi in eo perſeuerent, iuſtificabuntur. *Rom.2.* Sed totum ex ipſo VERBI ore diſcas licet. *Non omnis qui dicit mihi domine domine, & non facit quæ dico, intrabit in regnum cælorum: ſed is potius, qui implet voluntatem Patris mei.* *Matth.7.* Nemo te decipiat; nemo tibi blandiatur, quaſi fides operibus deſtituta tibi ſalutem afferre queat. Fides ſine operibus, ſcias velim, inutilis eſt: & viciſsim opera ſine fide nihil valent. Quapropter ſi ſaluari vis, & fælicitatem illam concupiſcis, fidem & opera rite coniunge. ANIMA. Expone igitur, quænam opera intelligas: vt vbi cognouero, ad ea rectè præſtanda feſtinem. Agedum, dic, doce, recenſe.

CAPVT II.

Quænam mandata diuina, ſiue opera bona præſtantiora ducenda videantur.

CARO. Et plurima, & pulcherrima, & omnia fructuoſa ſunt. Quæ autem meliora, & pulchris pulchriora, quibus compendio ad dominum aſcendatur, omnino à me docendum ac præcipiendum eſt. Sex tantummodo, nec plura ſunt numero. Vide catalogum, & quæ ſint noſce. Eſurienti
Matth. 25. mihi cibum, ſitienti dediſtis potum. Peregrinum, & hoſpitem me recepiſtis, nudum cooperuiſtis. Infirmus eram, & in carcere, & acceſsiſtis, viſitaſtis, & miniſtraſtis mihi. His alia item, eaque permulta, & ſalutaria adiungere potuiſſet: verùm vt ad ſalutem magis neceſſaria, magis obuia, & honorabiliora, ſex duntaxat enumerans, cætera prætermiſit. Ad hæc igitur omnes allicit, & prouocat, diuites, pauperes, ſeruos, dominos: reliquorum vſum volentibus permittit, neminem ad ea vllo modo compellens. ANIMA. Ede porrò iſta, quorum neceſsitatem imponere noluit; aueo enim ſigillatim cognoſcere. CARO. Virginitatem colere; vitam monaſticam viuere: peruigilare in diuinis precibus: cubare humi: multum peregrinari, & corpuſculum pœnis voluntariis atterere: vnica tunicula veſtiri: Deo, Virgini matri, aliiſque amicis Dei opere magnifico templa condere. Ad hæc nos Chriſti præcepta non adigunt:
Matth. 19. ſed *qui poteſt capere capiat.* Cæterorum ſeriem, quæ nimirum ſaluari volentibus conducunt, quis percenſuerit? Veruntamen, mandatur nobis, omnia illa facere, quæ in ſacris litteris præcipiuntur, ſi Deum in nobis habitare cupimus. Sed illa ſex honeſtiſsima, & laudatiſsima, præque aliis indicta nobis ſunt. Nec ſolùm aliis ea præponit, ac præfert: ſed & alibi eorum ſæpius meminit. *Miſericordes,* inquit, *eſtote, ſicut & pater veſter cæleſtis miſericors eſt.* Non hortatur nos
Luca 6. pſallere, quando nec pater pſallit. Non peruigilare; non labores & ærumnas multas: non vitam ac certamina ſolitariorum amplecti. Nihil horum; ſed ad miſericordiam ſolam nos inuitauit. Quoniam
Pſam. 101. naturà *miſerator, & multum miſericors eſt dominus.* Quoniam *miſericor-*
Oſee 6. *diam tantùm vult, & non ſacrificium.* Quoniam nulla re alia colitur, nec placatur, niſi vna miſericordia. Quoniam vult miſerationes; & quoniam miſericordiæ abyſſus eſt. Dicam breuiter, miſericordia ſolum opus eſt homini cum Deo commune; & per miſericordiam ſolam homo creatorem ſuum imitatur, eique conſociatur. Id ita eſſe ex
Matth. 25. decem virginum parabola liquet. Ex conſeruatione virginitatis

pulchræ

pulchræ erant omnes. Amabant Deum, & pudicè vitam agitabant.

BASIL. ὁ περὶ τὸν τρόπον τῆς ἐργασίας διαπταίων, κἂν δόξῃ ποιεῖν τὴν ἐντολήν, ἀδόκιμός ἐστι παρὰ τῷ Θεῷ. φησὶ γάρ, ἐὰν δὲ καὶ ἀθλήσῃ τις, οὐ στεφανοῦται, ἐὰν μὴ νομίμως ἀθλήσῃ. τὸ γὰρ καλόν, οὐ καλόν, εἰ μὴ καλῶς, καὶ ὡς χρὴ γένοιτο. *Qui circa modum operis offendit, etſi videatur facere mandatum, reprobus eſt apud Deum. Ait enim. Etiam ſi quis certauerit*, non coronabitur, niſi legitimè certauerit. *Nam bonum non eſt bonum, niſi bene, atq; vt oportet fiat.* 2.Tim.2

τῶν ἀναγκαίων τὰ ἀναγκαιότερα προτιμότερά ἐστιν κατὰ σύγκρισιν. οὐδὲν παρθενίας ὄφελος συμπαθείας ἀπούσης. καὶ γὰρ καὶ ἡ ἀργία τῆς ἀρετῆς, κόλασιν οἶδε προσενεγκεῖν, οὐχ ἡ ἐργασία τῆς πορνείας μόνον. καὶ γὰρ κἀκεῖνοι οἱ πεινῶντα μὴ θρέψαντες, μηδὲ διψῶντα ποτίσαντες, μηδὲ γυμνητεύοντα περιβαλόντες, οὐχ ἥρπασαν ἴσως, οὐδὲ ἐπλεονέκτησαν· ἀλλ' ἐπειδὴ ἐλεημοσύνην οὐκ ἐποίησαν, τῇ κολάσει παρεδόθησαν. *Sanè neceſſariis magis neceſſaria ex comparatione præferenda ſunt. Nihil habet commodi ſine compaſsione virginitas. Etenim & otium, ſiue ſecordia in virtute, ſupplicium parere poteſt, non ſolùm actiones improba: quando & illi qui eſurienti non dederunt manducare, nec ſitienti bibere, nec nudum cooperuerunt, fortaſſis aliena non rapuerunt, nec fraudarunt aliquem. Sed quia miſericordiam non fecerunt, ſupplicio in eos vindicatum eſt.*] Mat.25

Et quinque quidem prudentes, quinque autem fatuæ continentiæ, lacrymis, & luctui incumbebant: otium molle, morumque licentiam nullo modo diligebant. Viam anguſtam, & tribulationes conſectabantur, carnemque aſsiduis laboribus debellabant. Non tamen æqualiter illis mandatum curæ fuit: ſed prudentes prudenter oleum habuerunt in vaſis ſuis, quo fatuæ caruerunt. Atque hinc veniente ſponſo, gaudiis nuptialibus excluſæ ſunt. *Neſcio vos*, clamat ſponſus formoſiſsimus. *Neſcio vos*, recedite. Quis enim vobis aperiet, cum virginitate oleum etiam non afferentibus? ſine quo omnia, & ipſum virginitatis lumen extinguitur. Sine quo omnia vana, & inefficacia: quandoquidem id ſponſus ſuper omnia diligit. Intellige cum tremore verba Domini, & crede, & fidem commoda, & neutiquam diffide dictis. Proferet verbum aſperum ad eos, qui à ſiniſtris ſtabunt. *Diſcedite procul hinc in gehennam ignis, qui præparatus eſt diabolo, & angelis eius.* Non quia adulteria commiſiſtis. Non quia fornicati eſtis. Non quia furtum feciſtis. Non quia cædes, & latrocinia perpetraſtis. Non quia libenter maledixiſtis, & vim aliis attuliſtis, & mendacia profudiſtis, & vobiſmet placentes, & vinoſi, & ebrioſi, & improbi fuiſtis. Nec quia omne genus iniquitatis, atque ſceleris conſciuiſtis: nihil horum in ipſis tum reprehendet: ſed quia mendicum ſtipem rogitantem

deſpexiſtis: ſed quia fame, & ſiti confliƈtantem, in carcere ſedentem, & nudum, & hoſpitem, & leƈto miſere affixum me cum vidiſſetis, non cibo refeciſtis, non potu recreaſtis, non vel paulùm viſitaſtis, non veſtiuiſtis, non hoſpitio accepiſtis, non miniſtraſtis.

CHRYSOST. ἡ ἐλεημοσύνη τῆς ἀγάπης πέφυκε κλάδος ὁ τιμιώτερος, καὶ γέννημα ταύτης τὸ πρωτότοκον. καὶ ἐὰν ὁ μὴ τὰ καλά, καὶ εὖ ποιῶν ἀθάνατα κολάζεται, πολλῷ μᾶλλον ὁ τὰ ἀναγεγραμμένα κακὰ ἐργαζόμενος. *Miſericordia charitatis praeſtantiſsimus ramus, & primogenitum germen eſt. Et, ſi aeternùm punitur, qui bona, & bene non fecit: multò magis puniendus eſt is, qui mala ſupra commemorata deſignauerit.*

ISIDORVS. ὁ μὲν πλοῦτος τοῖς μὴ προσέχουσι ὑπηρέτης πονηρίας ἐστίν, ἡ δὲ πενία φιλοσοφίας ἐστὶ μήτηρ τῷ προσέχοντι. τοίνυν τὸν πλοῦτον ἀγαπῶμεν, καὶ τὸ εὖ ποιεῖν παρορῶμεν, ἔγνωμεν τὸν τοιοῦτον μακρῷ πυρὶ τηγανιζόμενον. *Diuitiae parum attentis ac prouidis miniſtra vitiorum ſunt: paupertas vigilantibus ſapientiae mater eſt. Si igitur diuitias amantes benignè aliis facere contemnimus, digni ſumus qui longo igni torreamur.*]

Lucæ 16. Hoc ipſum quod dico, rurſus ex Euangelio confirmo. De diuite illo duro & inhumano audiuiſtis, quomodo videlicet lingua eius (ô calamitatem) apud inferos arſerit. Non quod variis ſe ſceleribus in vita obligaſſet: nec quod proximum odiſſet: nec quod per temulentiam plurima & nefaria admiſiſſet; nec quod vndecunque prouenientibus veƈtigalibus intumuiſſet, ac ſuperbiſſet, opulentus, gaudens, rapiens, dominatum obtinens, byſſo & purpura indutus ſplendidè: non, inquam, horum cauſſa ad tormenta detruſus eſt: ſed quia Lazarum pauperem omnimodis neglexit, & ſuper afflicto miſericordia non eſt commotus. Res mira hæc, & horroris pleniſsima. Quantum poteſt charitas, quantum miſericordia, & compaſsio? ANIMA. Si plura dicenda reſtant, ne tace, & ad vtilitatem meam adde his quæ dixiſti. Silentium tuum nobis damno erit non ferendo.

CAPVT III.

Omnia ad Dei præſcriptum à nobis facta, citra charitatem frigere.

CARO. Sex igitur illa, mandatorum prima, & maxima eſſe pro facultate docuimus. Propemodum autem memoriam noſtram fugerat (prô iaƈturam) illa Pauli vox inaudita ſanè & admirabilis. ANIMA. Tu verò

verò vocem illam admirabilem ne prætermiſeris: ſed in medium profer, celeriterque recita. CARO. Accipe Pauli verbum. *Si fidem habuero, vt montes transferam: ſi diſtribuero in cibos pauperum omnes facul-* 1.Cor.13.
tates meas: &. ſi tradidero corpus meum ita vt ardeam: ſi habuero prophetiam, & nouerim myſteria omnia, & omnem ſcientiam, ſi etiam linguis angelorum loquar, charitatem autem non habuero, nihil mihi proderit. Charitas. Prophetarum, & legis caput ac ſcopus eſt. Charitas eſt res maxima. Charitas res diuina. Deum eſſe charitatem, Ioannes Theologus diuinitus ſcripſit: & 1.Ioan.4.
manentem in charitate, in Deo manere, & Deum in eo. Papæ, quanta eſt charitatis vis? Rurſus aliud quiddam à VERBO ad honorem charitatis in Euangelio dicitur. *Ab his duobus mandatis vniuerſa lex pendet, & Prophetæ. Diliges,* inquit, *Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota a-* Matth.22.
nima tua, & ex totis viribus tuis: & proximum (hoc eſt, fratrem tuum) *ſicut teipſum.*

BASILIVS. *τοῖς μὲν ἄρτι εἰσαγομένοις εἰς τὴν εὐσέβειαν, ἡ διὰ τοῦ φόβου στοιχείωσις χρησιμωτέρα κατὰ τὸ εἰρημένον, ἀρχὴ σοφίας φόβος κυρίου· τοῖς δὲ μὴ γάλακτος δεομένοις διὰ τὴν νηπιότητα, ἀλλὰ δυναμένοις τῇ στερεᾷ γραφῇ τῶν δογμάτων χρῆσθαι, τῶν κεφαλαιωδεστέρων χρεία ἐντολῶν τῆς εἰς θεὸν, καὶ τὸν πλησίον ἀγάπης. His qui primùm pietatis curriculum ingrediuntur, timor, tanquam prima rudimenta, vtilior eſt, iuxta illud,* principium ſapientiæ timor Domini. *Qui autem vt infantes,* Prou.9.
lacte amplius non indigent: ſed ſolidis Scripturæ dogmatis vti poſſunt, iis mandatorum præcipua charitatis ſcilicet erga Deum, & proximum proponantur.]

In quibus autem ineſt charitas, in iis quoque fidem ineſſe manifeſtum eſt. Rurſus, in quibus fides, etiam charitas. In quibus porrò charitas, & fides coaluerunt, in iis & alia, quæcunque optima ſunt, reperiuntur. Quod ſi charitas abfuerit, ea omnia procul recedunt. Audiſti, quantum ſit in charitate poſitum: & quomodo ex ipſa ceu fonte, aut radice omne bonorum operum germen erumpat, profundaturq;. Proinde charitatem cole, citra quam non eſt ſperanda ſalus, quemadmodum è Scriptura demonſtrauimus.

CAPVT IV.

Pauli Apoſtoli erga Deum, & proximum charitas immenſa.

ANIMA. Quiſpiámne in hac vita reperitur, qui mandatorum præcellentiſsimum, vt dicis, charitatem probè ſeruet, vt nimirum Deum ex toto corde, & proximum vt ſeipſum diligat? CARO. Immo multi, iidemque optimi, & honore digni. Si tamen noſſe deſideras, quiſnam in his primas obtineat, & quis ſupra modum, vehementerque Dominum dilexerit, &

proximum legitimè, vt ſeipſum: Deum, inquam, planè *ex tota anima, & ex tota mente*, vt in lege ſcriptum ac præſcriptum eſt, Pauli epiſtolam ad Romanos percurre, inde charitatis ardorem perſpicies, qua ille erga Deum, proximumque flagrarit. Verùm audi, & obſtupeſce: auſculta,

Rom. 8. & treme, tanta verborum Pauli virtus eſt: tantus amoris æſtus. *Quis nos vnquam ſeparabit à charitate Chriſti? Non tribulatio, non anguſtia, non periculum, non perſecutio, non fames, non nuditas, non gladius, non mors, non angeli, non principatus, non virtutes, non inſtantia, non futura, non altitudo, non profundum, non alia omnino creatura ſeparare me poterit à charitate Dei.* Et hæc quidem de charitate illius erga Deum. Erga proximum verò quod attinet, ſi-

Rom. 9. tiebat, appetebat omnes fratres ſaluari. Pro illis ipſe ſe à Domino abſcindebat (anathema quippe diuiſionem à Deo ſignificat) qui erant ſecundùm carnem cognati, modò ſalutem conſequerentur.

„ Τῷ μὲν γὰρ ἀναθήματι τιμῆς ἕνεκεν οὐδεὶς ἐγγύσαι τολμᾷ, τοῦ δὲ ἀποτμηθέντος, καὶ
„ γενομένου ἀνάθεμα, ἐξ ἐναντίας ἐχωρίζοντο γνώμης ἅπαντες, ὥστε ὁ μὲν χωρισμὸς εἷς· καὶ
„ τοῦτο, καὶ ἐκεῖνο τῶν πολλῶν ἠλλοτρίωται. ὁ δὲ τρόπος τοῦ χωρισμοῦ οὐχ εἷς, ἀλλ' ἐναντίος
„ ἐκείνῳ. τοῦ μὲν γὰρ ἀπείχοντο ὡς ἀνακειμένου θεῷ· τοῦ δὲ ὡς ἠλλοτριωμένου θεοῦ, καὶ τῆς ἐκκλη-
„ σίας ἀπορραγέντος τῶν ὀρθοδόξων. *Anathemati honoris cauſſa nullus appropinquare*
„ *audet: ab abſciſſo autem, & eo qui factus eſſet anathema, contraria de cauſſa omnes*
„ *ſe remouent. Ac ſeparatio quidem vna erat, cum hic, & illud à multitudine vita-*
„ *rentur. Modus autem ſeparationis nō idem, ſed priori contrarius. Anathemate enim*
„ *tanquam re dedicata abſtinebant: hoc autem tanquam alienato à deo, & ab Eccle-*
„ *ſia orthodoxorum abrupto.*

„ CHRYSOST. μάθωμεν πρῶτον τί ἐστιν ἀνάθεμα, καὶ τότε εἰσόμεθα τοῦτο τὸ ἀνά-
„ θεμα. καὶ ἀνάθεμα μέν ἐστι πᾶν ὅπερ τῷ θεῷ προσανατιθέμεθα, καὶ οὐδεὶς τολμήσειεν ἂν
„ ἁπλαῖς ταῖς χερσὶν ἅψασθαι, οὐδεὶς ἐγγὺς γενέσθαι. οὕτω καὶ τὸν χωριζόμενον, τῆς ἐκκλη-
„ σίας πάντων ἀποτεμὼν, καὶ ὡς πορρωτάτω ἀπαγαγὼν, τούτῳ ὀνόματι ἐκ τοῦ ἐναντίου κα-
„ λεῖ, μετὰ πολλοῦ φόβου πᾶσιν ἀπαγορεύων χωρίζεσθαι αὐτοῦ, καὶ ἀποπηδᾶν. λέγει δὲ, ἀνάθε-
„ μα βουλοίμην, ἐπάρατος, ἀκοινώνητος, μὴ ἔχων μέρος μετὰ Χριστοῦ, ἀλλὰ παραδοθῆναι
„ τῷ διαβόλῳ, καὶ μαστιγωθῆναι, καὶ τὰς ὑπὲρ τοῦ Ἰσραὴλ κολάσεις ὑπομεῖναι ἂν ἐχρεώστουν,
„ κατὰ τὸ δίκαιον ὑπὲρ τῆς εἰς θεὸν ἀπιστίας, καθ' ὃν τρόπον ὁ Χριστὸς παρέδωκεν ἑαυτὸν
„ ὑπὲρ ἡμᾶς, καὶ γέγονεν κατάρα. ἐπικατάρατος γάρ φησι πᾶς ὁ κρεμάμενος ἐπὶ ξύλου. τὸ
„ δὲ ὑπὲρ ἀδελφῶν μου, διὰ τὴν εἰς Χριστὸν ἀγάπην τοὺς συγγενεῖς ἀγαπᾶν ὑποκρίνεται ὁ ἀπό-
„ στολος. ἐπεὶ οὖν οὐδεμία κτίσις ἰσχύει χωρίσαι τῆς ἀγάπης τοῦ Χριστοῦ, πῶς ἂν ἐχώρισεν ἀγάπη
„ τῶν συγγενῶν καὶ ἀδελφῶν; *Diſcamus primùm quid ſit anathema, & tunc ſciemus*
„ *quid ſit Pauli anathema. Anathema eſt omne quod Deo ſuſpendimus & dicamus,*
„ *quod nemo profanis manibus audebat attingere, nec propius accedere. Sic etiam ab*
„ *Eccleſia ſeparatum, & ab omnibus abſciſſum, longiſſimeq́ remotum vocat, contra-*
„ *ria ſignificatione: edicens omnibus, vt multo cum timore ab eo abſtineant, & reſi-*
„ *liant. Ait autem.* Volebam anathema eſſe, *id eſt, execrabilis, cum quo aliis*
nihil

nihil commune eſt, non habens partem cum Chriſto, vt traderetur diabolo, & flagellaretur, & pœnas Iſraëli ob incredulitatem in Deum iure irrogandas, ipſe ſuſtinere deberet. Quemadmodum tradidit Chriſtus ſemetipſum pro nobis, & factus eſt maledictum. Maledictus enim, *inquit*, omnis qui pendet in ligno. *Illo autem*, pro fratribus meis, *propter charitatem in Chriſtum cognatos ſe diligere Apoſtolus ſignificat. Quoniam quem nulla creatura à charitate Chriſti ſeparare potuit, quomodo eum charitas cognatorum, & fratrum ſeparaſſet?*] Galat. 2. & 3. Deut. 21.

Quis tantum ex omni ſæculorum memoria auſus eſt? Quis tantum propter charitatem deſiderauit perpeti? egregiè, inquam, perpeti pro fide & charitate. Quomodo non demittebat animum: ſed audebat aduerſus omnia, terrena & cœleſtia, vt Chriſtum lucrifaceret? Quem Paulo ſimilem vidimus? aut quis vnquam huiuſcemodi charitatem ſpirabit? En, abſolui, quæ de charitate dicere habui, tum ex aliorum, tum ex Pauli ſcriptis, quanta nimirum in eo charitas fuerit, & quàm mirificè Deum dilexerit. ANIMA. Intelligo dicta, & miror. Paulum verò propter virtutem incredibiliter ſuſpicio. CARO. Atqui Paulus naturâ homo fuit, omniumq; aliorum ſimilis, quanquã ciuis cœleſtis. Si itaq; ſalutem æternã aſſequi concupiſcis, Paulum tibi imitandum propone. Quod ſi quę ſingularis tentatio te inuaſerit, aut inſperata calamitas te oppreſſerit, ab hominibus peſtilentibus occultè, aut palam inuecta, ne concide, fer æquo animo, & patere quod accidit, ne fluctua. Pone ante oculos Patres antiquos, pone Martyres, pone Prophetas, pone chorum Apoſtolorum, pone maiorum multitudinem. Quam multas tribulationes & ærumnas quiſque exantlauit? Quàm varios cruciatus, contumelias, vexationes, incommoda, malorum tempeſtates & mortes experti ſunt? Horum propoſitum, & fidem ſtudioſè imitare, & onus malorum tuorum ſuſtine, vt potes, & ſaluabere.

Πᾶν ὃ ἂν ἐπενεχθῇ σοι, δέξαι, καὶ ἐν ἀλλάγμασι ταπεινώσεως μακροθύμησον· ὅτι ἐν πυρὶ δοκιμάζεται χρυσὸς, καὶ ἄνθρωπος δεκτὸς ἐν καμίνῳ ταπεινώσεως. ἄπαρον τοὺς πειρασμοὺς, καὶ οὐδεὶς ἅγιος· ἔξελε τοὺς πόνους, τὰς θλίψεις, τὰς περιστάσεις, καὶ οὐδεὶς ὁ σωζόμενος. Omne quod tibi applicitum fuerit, accipe: & in dolore, & in mutatione humilitatis tuę patientiam habe: quoniam in igne probatur aurum, homines verò receptibiles in camino humilitatis. *Tolle tentationes, nemo erit ſanctus. Aufer moleſtias, afflictiones, miſerias, nemo ſaluabitur.*] Eccleſ. 2.

CAPVT V.

Qui irruentes tentationes, afflictionesq́ grata mente pertulerit, præmium adepturum. Qui inuitus pertulerit, nullum adepturum. Scopus tentationum quadruplex.

ANIMA. Frequenter me tentationes quædam inuaſerunt, quas ego ob animi imbecillitatem tolerare nequiui. CARO. Non ita eſt: velamentum, & inanis excuſatio eſt
1.Cor.10. quod dicis. Si verum audire vis, Paulum audi. *Benedictus Deus, inquit, qui non patietur vos tentari ſuper id quod poteſtis.* Nam qui tentationibus laceſſuntur, illis Deus robur addit. Tribulationes pro rata parte virium hominibus contingunt: robuſtis grauiores, infirmis leuiores. Pro cuiusque captu & viribus, inquam, arcano Dei conſilio vnicuique tentationes eueniunt. Haud ſupra vires, ſed quas facilè ſuſtineas. Quoniam autem aliæ ſecundùm œconomiam Deo permittente, aliæ eodem volente, & fauente accidunt, non intelligo, cur iſtuc dicas, quod dicis. Non potes, non, inquam, potes abſque tribulationibus ſalute potiri.

» ISIDORVS. Οὐκ ἔστι μηχανὴν εὑρεῖν, δι' ἧς ἄν τις γένοιτο συμφορῶν ἐλεύθερος,
» καὶ τὸν κλύδωνα τοῦ βίου τούτου διαφύγοι, πειρασμῷ μὴ περιπεσών· εἰ γὰρ πειρατήριόν ἐστιν
» ὁ βίος ἀνθρώπου ἐπὶ τῆς γῆς, πῶς ἔστιν ἐν τῷ πειρατηρίῳ ὄντος μὴ πειράζεσθαι; *Non*
» *eſt inuenire artificium aliquod, quo quiſpiam vſus, ab afflictione immunis fit, & in*
Iob 7. » *tentationes nunquam lapſus, huius vitæ fluctus effugiat.* Nam ſi tentatio eſt vi-
» ta hominis ſuper terram, *qui tandem, qui in tentatione viuunt, non tenten-*
» *tur?*

» CHRYSOST. Τὸ γὰρ κοινωνοὺς εὑρίσκειν τῶν οἰκείων κακῶν ἐν πράγματι, ἢ ἐν
» ῥήματι, πολλὴν φέρει ὀδυνωμένοις παράκλησιν. *Inuenire qui tecum tua mala aut*
» *re ipſa communicent, aut iis commemoratis pariter tecum doleant, magnum eſt in*
» *ipſo dolore ſolatium.*

» BASILIVS. Δεῖ χαίρειν πάντα τὸν πάσχοντα ἕνεκα τοῦ ὀνόματος κυρίου, καὶ τῶν
» αὐτοῦ. ἀλλ' οὐ χρὴ πρὸ καιροῦ τῆς παρὰ θεοῦ συγχωρήσεως ἑαυτὸν ἐπιρρίπτειν πειρασμοῖς,
» ἀλλὰ καὶ προσεύχεσθαι μὴ ἐμπεσεῖν εἰς πειρασμούς. *Oportet cum gaudio omnia pro-*
» *pter nomen Domini, & eos qui ſunt eius, ſufferre ac perpeti: non tamen prius quàm*
Matt.26. » *ipſe ſinat, ſe ſe in tentationes præcipitare: ſed orare potius, ne in eas incidamus.*]

Nemo præterea vitam omni triſtitia vacantem degit: quemadmodum nemo per mare citra fluctum nauigat. Sed vt aurum in igne probatur, ſplendidiusque, & ſolidius efficitur: ita te quoque tentationum flammæ purgant, & ſordibus, maculisque tenebricoſis liberant. Nulla enim relinquitur purgatio, non dantur præmia ſalutis, niſi grata voluntate tentationes admittas: cui rei maximam fidem marty-

martyres, de quibus diximus, conciliant. Neminem Paulus abſque tentatione & dolore intraſſe, aut intraturum in regnum cœlorum affirmat. *Per multas tribulationes*, inquit, *oportet nos intrare in regnum Dei.* Fidelis eſt, qui hoc dicit, & fidelis Deus, vt idem ſcribit. Tentationes, vt docui, ad vtilitatem accidunt. Accidunt autem modis quatuor, ſeu fine quadruplici, quod oſtendemus. Aut vt præterita peccata deleant. Aut vt illa, quæ nunc in nobis operantur, impediant, in his, qui moribus ſunt improbis, & in viam redire nolunt. Aut vt ne cadat, qui feliciter currit, & tentatione ſpiritus elatos coërcente, malum magnum effugiat. Aut vt exploretur ac probetur quiſpiam: quo pacto iuſti complures probati fuerunt. Recordare Abrahami, & Iob virorum eximiorum. Noli timere tentationis incommodum. Noli metuere moleſtiarum onus: ſed ſi te adortæ fuerint, admitte: ſi inuaſerint, conſiſte. Caue quidquam puſillanimum committas, Gregorio Theologo vtiliter præcipienti obtempera. Incurſantes tentationes, inquit, generosè ſuſcipe. Caſtigationem flagelli, ſanationem reputa. *Actor.14.* *1.Cor.10.*

" *Ἡ παιδεία κυρίου ἀνοίξει μου τὰ ὦτα, παίδευσόν με κύριε, πλὴν ἐν κρίσει, καὶ μὴ ἐν*
" *θυμῷ. οὐ γὰρ ἄξια ὧν ἡμάρτηκα μεμαστίγωμαι. ὀργὴν κυρίου ὑποίσω, ὅτι ἥμαρτον αὐτῷ. ἐμ-*
" *πεσούμεθα εἰς χεῖρας κυρίου, καὶ οὐκ εἰς χεῖρας ἀνθρώπων. ὡς γὰρ ἡ μεγαλωσύνη αὐτοῦ, οὕτω καὶ*
" *τὸ ἔλεος αὐτοῦ. Diſciplina Domini aperuit mihi aures. Caſtiga me Domine, verun-* *Iſaia 50.*
" *tamen in iudicio, non in furore. Non enim quantum meruerunt peccata mea fla-* *Pſalm.6.* *Mich.7.*
" *gellatus ſum.* Iram Domini portabo, quoniam peccaui ei. *Incidamus in* *1.Reg.24.*
" *manus Domini, & non in manus hominum.* Secundum enim magnitudi- *Eccleſ. 2.*
" nem ipſius, ita & miſericordia illius.] *2.Reg.20.*

Afflictiones tanquam fluctus tolera. Velis incidere in manus Domini potius, quàm in manus hominum. Caſtigat enim in miſericordia, non in ira, & conſolationem conſequeris, ſicut magnus ille Iob conſecutus eſt. Qui omnia citra exceptionem, velut beneficia perpeſſus eſt, quæcunque illi dæmon tentator inflixit. Sed rem nouam prorſus, & maximam conſidera. Ambobus pecuniæ poſſeſsiones, & omne genus facultatis, & liberi, fruges, pecora materia & argumentum animaduerſionis, & ærumnæ fuerunt. Vbi autem inopinatò omnia amiſerunt, vterque (vir & vxor) alterum eſt miſeratus.

" *Αἱ γὰρ τῶν ἀνελπίστων πραγμάτων αἰφνίδιαι περιστάσεις, τὰς ταραχὰς τοῖς δια-*
" *νοίαις τῶν ἀνθρώπων ἐμποιεῖν πεφύκασι. Rerum improuiſarum repentini caſus, ho-*
" *minum animas perturbare, & concutere conſueuerunt.*]

Amplius tamen vxor lamentis indulſit: ſunt enim fœminæ naturaliter ad miſerationem propenſæ, & ad effusè plorandum faciles, impatienterque lugent, & plangunt pectora, lacerant genas, vlulatibus & eiulatibus, & luctibus tabeſiunt. Mirum dictu, quantum in omni-

bus coniux cum marito doluerit, omniumq́ue rerum aduerſarum, eundem cum illo ſenſum habuerit; remunerationem verò, præmiorumq; particeps neutiquam fuit. ANIMA. Quænam huius rei cauſſa, quæ ratio? & vnde tandem ita factum? ne me cela, ſi ſcias. Num quia non ęquè vt maritus lepra ſeu vlceribus cooperta eſt, nec proinde opprobrium ex eo ſuſtinuit, idcirco etiam parem mercedem non obtinuit? Hæccine cauſſa ſit, neſcio, tu dixeris. CARO. Non hanc eſſe cauſſam, ex ipſis verbis planum eſt, quibus virum lachrymans alloquitur. Heu, mi vir, inquit, en memoria tui periit, quãdo vnà cum rebus aliis etiam liberi tui, dolores vteri mei perierunt. Ego verò miſera famula, vt inops & infamis exul vagor, domum domo infeliciter mutans, exſpectans dum ſol occidat, vt à multis, acerbisq́ue moleſtiis reſpirem: ob quas iam mihi præcordia vel ante mortem contabuerunt. Cernis quantoperè miſera mulier affligetur? propemodum ac ſi ipſa quoq; opprobriis, & lepræ ſubdita eſſet. ANIMA. Si ita viri calamitate doluit, vt dicis, quî tandem non ipſa ſimiliter pręmium retulit? Dic cauſſam, & ſolue quæſtionem. CARO. Protinus tu auſculta. Iob calamitates quaſi beneficio afficeretur ſuſcipiebat,—

„ *Αἱ νόσοι ἐξ ἁμαρτιῶν γίνονται, ἢ ἐκ ῥᾳθυμίας, καὶ ἀταξίας, ἢ καὶ ἀσθενείας φύσεως, ἢ καὶ δι'*
„ *ἔνδειξιν καρτερίας, καὶ ἀρετῆς. Morbi aut ex peccato proueniunt: aut ex ignauia, & or-*
„ *dinis negligentia: aut ex infirmitate naturæ: aut etiam ad demonſtrandam tole-*
„ *rantiam, & virtutem*]

—vt imperturbatus, vt robuſtus animi ac validus. Quas illa haud perferebat: quin verba quædam maledicta iactabat.

„ CHRYSOST. *εἰσί τινες, οἳ ἐὰν προσπταίσωσι, ἢ παρά τινος λοιδορηθῶσιν, ἢ ἀῤῥω-*
„ *στίᾳ περιπέσωσι, ἢ ἄλλῳ τινὶ τοιούτων νοσημάτων, βλασφημοῦσιν εὐθέως. καὶ τὸν μὲν πόνον*
„ *ὑφίστανται τοῦ νοσήματος, τοῦ δὲ κέρδους ἀποστεροῦνται. τί ποιεῖς ἄνθρωπε; μὴ γὰρ ἐὰν βλασφημή-*
„ *σῃς τὸ πάθος κουφότερον ποιεῖς; μᾶλλον μὲν οὖν χαλεπώτερον, καὶ πικρότερον τὴν ὀδύνην*
„ *ἐργάζῃ. Sunt quidam, qui ſi quid offenderint, aut ab aliquo conuitiis appetiti fue-*
„ *rint, aut in podagram, ſeu alium quempiam morbum inciderint, illico in blaſphe-*
„ *miam erumpunt. Et cruciatum quidem patiuntur, lucro autem priuantur. Quid*
„ *facis homo? num ſi contumelioſus in Deum fueris, morbum leuiorem reddis? Immo*
„ *verò dolorem diriorem, & intolerabiliorem tibi facis.* IDEM. *οὐ γὰρ ἡ τῶν πειρασμῶν*
„ *φύσις, ἀλλ' ἡ τῶν πειραζομένων ῥᾳθυμία τὰ πτώματα δείκνυσι ἐργάζεσθαι ἐν τοῖς ἀνθρώ-*
„ *ποις. ἐν παραδείσῳ ἦν ὁ Ἀδάμ, καὶ ἐπειδὴ ῥᾴθυμος ἦν, ὑπεσκελίσθη. ἐν κοπρίᾳ κάθηται ὁ*
„ *Ἰώβ, καὶ ἐπειδὴ ἐνῆφεν, ἐκράτει, καὶ εὐδοκίμηκε. καὶ ὅτι ἐκ τῶν λόγων ἡμῶν δικαιούμεθα, καὶ κα-*
„ *τακρινόμεθα, καὶ τοῦτο δῆλον ἐκ τοῦ παρόντος λόγου τούτου βλασφήμου ληροῦ καὶ τῆς τοῦ Ἰὼβ γυ-*
„ *ναικός. Non enim tentationum conditio & natura, ſed tentatorum deſidia inter ho-*
„ *mines cadendi ac delinquendi cauſſa eſt. In paradiſo verſabatur Adamus: & quoniã*
„ *deſes erat, ſupplantatus eſt. In ſterquilinio ſedebat Iob: ſed quia vigilauit, vicit, ma-*
gnamq́ue apud poſteros eſt laudem conſecutus. Et nos ex verbis noſtris iuſtificari

atque

atque condemnari, ex præſenti ſermone clarum eſt, nempe blaſphemi latronis, & vxoris Iob. "

Ille eam obiurgáns, deſipis, inquit, infelix mulier, quid iſta loqueris? *Sicut vna de ſtultis mulieribus nunc locuta es.* Quoniam igitur puſillo, ingrato, & iniquo animo clades illas paſſa eſt, etiam remuneratione excidit. Aliud inſuper exemplum narrabo tibi, ad confirmanda quæ dixi, quod de quodã longè infelicisſimo literis mandatum eſt. ANIMA. Iſtum, quicũnq; eſt, mihi nomines velim. CARO. Quando Iudæi Dominum meum in crucem egerunt, duos etiam cum eo latrones inſignes crucifixerunt, vnum à dextris, alterum à ſiniſtris. Quibus cætera omnia paria fuerũt, facta ſceleratisſima, ſupplicium, genus mortis, crurum confractio. Aequales igitur hi duo in pœnis inuenti ſunt: aſt in extremo prudentia etiam pares cogniti nõ ſunt. Nam ille in paradiſum, hic ad inferos profectus eſt. Ille bonus, hic improbisſimus apparuit. Quod ſi roges, quonam modo id acciderit, ſic accidit. Latrones iuxta VERBVM ſuſpenſi, ad verba venerunt. Vnus horum diuinitus loquebatur: alter maledicta fundebat. Et bonus ille quidẽ cum diuino ſermone ſuo ſaluatus: alter blaſphemus cum maledictis ſuis damnatus eſt. Vides quemadmodum latro demens, manifeſtè malorum omnium ſocius, vt dicebam, latroni prudenti fuerit (ſicut item Iobo vxor) at non perinde præmiorum. Operæ pretium eſt igitur, ſibi attendere. Amabo, ne tu quoq; domina, onus tentationum portes, ſecuturam verò mercedem ex ignauia amittas, quomodo infelix latro (dicã enim ſæpius) quomodo vxor miſera hominis forti animo præditi. Sed ſi quę afflictio, aut tentatio, aut moleſtia te occuparit, ne animo agiteris, ne mente concutiaris: ſed immota penitus, & inconcuſſa vſq; ad finem perſeuera, reſpiciens, & exquirens bona, de quibus egi. Nam ſi vitæ tuæ rationes ad meliorum normam accommodaueris, & quæ deteriora ſunt declinaueris, tu quoq; coronã adipiſceris, & cum nominatis à me glorificabere. ANIMA. Res mihi videtur adeptu ardua, & ad imitationem neutiquã expedita. Proinde aliud me doceas. CARO. Non ego adeptu difficilia diſſero, quid ita grauaris? Nec eſt cur puſillanimes ſequare, quorum memini. Et tamen vt moroſa, & hęſitabunda reſpondes. At ſi quis temerè probra tibi ingerat, te vituperet, facetè irrideat, accuſet, ignominioſè tractet, naſo ſuſpendat, ludibrio, dedecore afficiat; ſi te deteſtabilẽ, piaculum, peſtem vocauerit: ſi effœminatam, ſtupidam, moroſam, plagoſam, fœdam, deformem, tenacem ac ſordidam appellet: ſi mendicam, fungum, nullius pretij, aut furem, obtrectatricem, vinoſam, aut ſcortum, aut adulteram, aut laceram, aut etiam pediculoſam: dicam paucis, ſi aliud quippiam hu-

Iob 2.

Matth. 27.

iuſmodi, quis te nominet, ſuſtine fratrem, ſuſtine ſcomma, cuſtodi os tuum, coërce cor tuum, ne quid accuſatione dignum committe, ne loquere, ne muti, nil quidquam reſponde. Quid enim iacturæ, aut damni facies, ex eo quod malè audis? Si igitur immerito tuo contumelias audieris, ex tolerantia fructum percipies. Quod ſi hæreticam te vocet, hoc ſolum ne patere, nec dicas, te eſſe; hîc iraſcere: alioqui Chriſtum negaſti, ſi hanc iniuriam perfers.

" CHRYSOST. *μὴ τῷ κακῶς ἀκούειν ἀλγῶμεν, ἀλλὰ τῷ δικαίως ἀκούειν κακῶς. ὁ γὰρ*
" *ἐξουδένωσιν, καὶ ὕβριν, καὶ ζημίαν ὑποφέρων, οὗτος δύναται σωθῆναι. θέλω γὰρ ἥττημα μετὰ*
" *ταπεινοφροσύνης, ἢ νίκην μετὰ ὑπερηφανίας. Ne doleamus nobis maledici: ſed iure male-*
" *dici. Qui enim contemptum, contumeliam, detrimentum ſuſtinet, hic ſaluari pote-*
" *rit. Malo enim cum humilitate vinci, quam cum ſuperbia vincere.*]

In aliis tametſi ſupra modum iniurioſè tracteris, vt ſupra dixi, nihil perdidiſti ob id, nullum damnum es perpeſſa. Habes adhuc oculos, vt ante habebas: habes omnia membra intus & foris, & maiorem ſpiritum. Humiliatio iſta tibi adiumento, & ornamento fuit. Si tantummodo verba irriſoria pertuleris, vtilitatem inde haud nocumentum capies. Quid plura opus eſt? Sine flagris athleta, ſine tormentis martyr eris. Scrutare, perpende, diſcute negotium. Si inueneris conuitiatorē vera dicere: ſi deprehēderis ſubſannantē quod res eſt loqui, ne illi, ſed tibi iraſcere, & te ipſam damna, idq́; etiam verbis prę te fer.

" *Τοῦτο ἀρχὴ σωτηρίας, καὶ μεταβολῆς ἀρίστης, τὸ ὅλως αἰσχυνθῆναι. τὸ ὅλως καταγνῶναι*
" *τῶν γινομένων. εἰ δ' οὖν ἡ ἐφάμαρτος ψυχὴ τὰς ἐπερχομένας αὐτῇ θλίψεις οὐ καταδέχεται,*
" *τότε οἱ ἄγγελοι περὶ αὐτῆς λέγουσιν· ἰατρεύσαμεν τὴν βαβυλῶνα, καὶ οὐκ ἰάθη. Hoc princi-*
" *pium ſalutis eſt, & mutationis optima, penitus pudefieri, penitus ſua facta damna-*
" *re, ac vilipendere. Quod ſi anima tua peccatis affixa, afflictiones ei ſuperuenientes*
" *repudiat, tum angeli de ea illud vſurpant: curauimus Babylonē, & non eſt ſanata.*]

Hierem. 51. Si non quodammodo voluiſſes audire quæ audis, non malū perpetraſſes; nō te vitio dedidiſſes. Fruere operibus tuis, & peruerſis moribus. Sin autem, etiam ideo vitam religioſam excole, vt externis nullam tui reprehendendi anſam præbeas: vt de cætero te perſtringere, & conuitiis inceſſere quiſpiam non poſsit. Vbi te collegeris, correctione gaude, exulta, tripudia; quoniam præter laudem magnam quoque coronam, & mercedem certaminis reportabis. ANIMA. Quo iſtuc argumento, me hinc mercedem, & coronam accepturam videlicet? CARO. Quod à Chriſto in Euangelio beati pronuntiantur, quibus maledicitur, & in quos omne verbum malum, ac peſsimum propter VERBVM iactatur. *Matth.* 5. Gaudete tunc, inquit, & exultate, quoniam mercedem in cœlis ampliſsimam recipietis. Hæc ſi in animo, & in memoria tua repoſita habes, lætare, confide, in omni iniuria patientiam adhibe,

tametſi

tametſi conuitiator ſceleſtus,ac deteſtandus fuerit. Anima. Eſto,feram,patiar:quid amplius mihi faciendum putas? Caro. Ne talem vt inimicum,ſed vt benefactorem intueare. Ne labiis fare lenius,& corde iraſcare. Ne condemna maledicum, quanquam tibi maledicat. Delictum ei ignoſce, erratum condona: vt remiſsionem peccatorum,remunerationem optimam referas.Hæc enim Verbi doctrina, hoc iudicium eſt.Si dimiſeritis hominibus peccata eorum,inde quoque vobis omnia peccata veſtra dimittentur. Si dimittis,dimittêris, miſericordiæ enim miſericordia tribuitur. Matth. 6.

εἰ μηδὲν ὀφλεῖς τῷ θεῷ τιμωρίας, ἴσθι τοῖς ὀφείλουσι συμπαθὴς, καὶ προσέχου τῷ πράῳ, οἰκτὸς γὰρ οἰκτῷ καὶ θεὸς σταθμίζει.) Si nihil pœnarum debes Deo,debentes miſerare,& manſuetè illos tracta: miſericordia ſiquidem Deus miſericordiam rependit.

Basilius. *ἑβδομηκοντάκις, καὶ ἑπτάκις συγχωρεῖν, ἐὰν μετανοῇ, λέγει. πῶς γὰρ ἄν τις ἀφήσῃ τῷ μηδὲν ἡμαρτηκέναι ὁμολογοῦντι, μηδὲ μετανοοῦντι; Septuagies ſepties dimittendum eſt,* ſi pœnitentiam egerit, *inquit. Quo enim pacto quiſpiam dimiſerit ei, qui nec peccaſſe ſe fatetur, nec pœnitentiam agit?*] Matt. 18. Luca 17.

Non dabitur porrò ſecundum, ſi non præceſſerit primum. Si terribilis iudex tum iudicaturus ſedens tibi dixerit, non dediſti veniam, quînam, petitam licet, accipies? Non dimiſiſti aliis, quomodo remittetur tibi? Ipſamet contra te ipſam ſententiam tuliſti. *In quo iudicio iudicas, eodem iudicio iudicaberis. Qua menſura metiris, eadem remetietur tibi.* Audiſti admonitiones, cognouiſti præceptiones. Quid tibi pluribus verbis ad ſalutis rationem opus eſt? Nihil horum difficilè: nihil operoſum vtique, nihil intractabile: nihil parum tolerabile. Sed omnia facilia, & facillima volenti. Si igitur inter humiles probata fueris, & officio inter abiectiores fungêris, eandem cum illis partem feliciter conſequêre, qui prius grandia æquo animo ſuſtinuerunt: & annumeraberis primis ac ſecundis,& cum iiſdem in præmiis ac honoribus communicabis. Anima. Dic, oro, vnde hoc intelligam? Nam affirmatio tua vix eſt vt admitti queat. Rom. 2. Matth. 7

CAPVT VI.

Qui propter Chriſtum paruas, & paucas tribulationes gratè, integreq́ ſuſtinuerit, eum magna paſſis æqualem futurum.

Caro. Video te verbis meis fidem non adiungere: ſed dubitare, & ea propter è ſcripturis teſtimonium requirere. En igitur teſtimonium firmum, & eximium: ipſam quippe veritatem, ipſum tibi dominum, vt verborum meorum teſtem fideliſsimum dabo: vt ſaltem hinc credas veram me

Matth. 20. locutam. Ne reſpicias quantum cuiuſque ſit ſtudium & contentio: nec iudicium, quo operarios poſteriores primis exæquat: illis, qui à prima hora magis, eos, qui poſtea mediocriter poſt vndecimã, quando ad vineam paſtinandam miſsi ſunt, laborarunt; & quo pacto quidam ex prima hora murmurauerit, poſterioribus ęqualis præmij dationem inuidens, audieritque, *amice, non facio tibi iniuriam; tolle quod tuum eſt.*]

ISIDORVS. Μὴ νόμιζε, ὅτι τὸ ἀσκεῖν ἀρετὴν τὰς ἐπιβουλὰς διακρούεσθαι δύναται, μάλιστα γὰρ οἱ τοιοῦτοι ἐπιβουλεύονται παρὰ τῶν τιμῆς μὲν οὐ τυγχανόντων, διὰ τὸ μὴ ἀσκεῖν ἀρετὴν, τοῖς δὲ ἐπ' ἀρετῇ τιμωμένοις φθονούντων. ἄμεινον τοίνυν ἀσκοῦντας γενναίως φέρειν τὰς τῶν βασκάνων κακοηθείας, ἢ τὸ φθονεῖσθαι παραιτουμένους ἀρετῆς ἀφίστασθαι. *Ne putes exercitationem virtutis inſidias repellere poſſe: maximè enim tales inſidiis ſunt expoſiti eorum, qui honorem non conſequuntur, quia ſe in virtute non exercent, & iis, qui virtutis cauſſa honorantur, inuident. Præſtat igitur virtutem colentes generoſo animo inuidorum prauitatem perpeti, quam inuidiam fugientes à virtute deſciſcere.*

BASILIVS. Πολλάκις ὁ ἐν τῷ μέσῳ κατορθώσας μικρόν τι, μείζων ἐστὶ τοῦ ἐν ἐλευθερίᾳ τὸ πᾶν κατορθώσαντος. *Sæpe, qui exiguum quoddam & in medio poſitum officium exſequitur, maior eſt eo, qui libere ſummis functus eſt.*]

Cum igitur dicit, *erunt primi nouiſsimi*, murmuratores intellige. *Et nouiſsimi primi*, gratos & beneficij memores accipe, qui fratribus non inuident, & gratiam agnoſcunt. Qui iudicat omnes, ita iudicauit: quis de cætero habet cur dubitet? ANIMA. Excellenter, ac neceſſariò colligis, & quo de agitur, probas optimè. Sufficit mihi, etiamſi plura ſuper hoc quæram. CARO. Acrem te in vrgendo reperio, & in percunctando multam cerno. Tentas enim me, vt experiaris fortaſſe, vtrum ad interrogationes tuas dubium quippiam elocutura ſim, quam potius vela contrahere oportuit. Quoniam autem plura teſtimonia poſtulas, cedo & obtempero tibi: tu aduerte ſis animum: teſtem enim dabimus haud obſcurum, quin inſignem potius & excellentem, magnum diuinumque Patrem, & Prophetam illuſtrem. ANIMA. Quiſnam, & vnde eſt? dic ſtatim. CARO. Sanctiſsimus pater Dauid, à quo genus ſuum Chriſtus ſecundùm carnem duxit. Sed prius totam rem geſtam audi: dicemus poſtremò quorſum tandem ea ſpectet. Poſtquam egregius ille vir Goliathum interfecit,—

CHRYSOST. Ἀρετῆς γὰρ ἀπούσης, οὐδὲν ὄφελος τῆς τοῦ σώματος κατασκευῆς, καὶ ἀνδρίας. γολιὰθ ὁ ἀλλόφυλος, καὶ σαοὺλ ἀνδρεῖοι· ἀλλ' οὐδὲν αὐτοὺς ὤνησε τὸ μέγεθος τοῦ σώματος, καὶ ἡ ἰσχὺς, ἀρετῆς ἐρήμους ὑπάρχοντας. *Si virtus abſit, nulla eſt in corporis compoſitione, & viribus vtilitas. Goliath alienigena, & Saul, robuſti erant: ſed quoniam virtute carebant, nihil illis corporea moles roburque commodauit.*]

—Saul pactis ſtans, ſtrenuum bellatorem accerſit, eumque his verbis compellat. Ecce, mi gener, Merob maior natu filiarum mearum, longè venuſtiſsima, eam tibi coniugem promiſſam habeto. Sed huic thorus Dauidicus non placuit. Placuit autem ſecundæ, Michol nempe, quæ prudentia excellebat. Hanc forma præſtãtem Dauid ſibi coniugauit. 1. Reg. 18. Mulieres igitur hilaria nuptiarum agunt, pro more choros ducunt, oblectantur, gratulantur: & cum Dauidi, tum Saulo carmina ſuauiſsimè modulantur in hanc ſententiam. *Percuſsit Saul mille, & Dauid decem millia.* Quod vbi Saul audiuit, inuidit, & ſuccenſuit, & furere, cruciarique cœpit. *Mihi*, inquit, *mille dederunt, & filio Iſai decem millia.* Ex eo ſollicitè de genero occidendo ſecum cogitauit. Id vbi reſciuit, cui inuidebatur, ſine mora fugiens, ad Achimelech ſenem, & ſacerdotem venit, panes propoſitionis neceſsitate adactus 1. Reg. 21. comedit, acceptoque gladio, inde abiit. Aderat tum Doeg Syrus, Saulis paſtorum potentiſsimus. Dauid fugitiuum cernit, ad Saulem currit, omnia renuntiat, omnia reuelat, de Achimelech, de Dauide, de panibus, de gladio, & verbis hominem concitat, atque ira inflammat. Rex iratus, Achimelechum aduocat. Siſtitur ille ad iudicium, & ſupplicium. Vt poteſt, veram ac iuſtam defenſionem affert: non ſe Dauidem vt fugitiuum, ſed vt generum regis accepiſſe. Et profectò, quo eſſet ille animo, non cognouiſſe. Ignoraſſe id funditus; proinde miſericordiam petere. Hæc ſenex Achimelech, pœnam deprecans profatus eſt. Non flectitur Saul, ſed ipſum principem, omneſque ſacerdotes alios ad necem condemnat, & omnes comprehendens Doegus iugulat. Heu crudelitatem. Ante omnes, inquam, Achimelechum, deinde alios omnes, octoginta quinque, omnes fungentes ſacris, 1. Reg. 22. omnes geſtantes ephod in loco venerando: ſimul etiam quotquot reperiebat, vrbis illius ſacerdotalis incolas, nemini parcēdo gladiis trucidat.

ISIDORVS. *Τὰ αὐτὰ ἁμαρτήματα καὶ παρὰ τὸν τόπον, καὶ παρὰ τὸν καιρὸν ἀργαλεώτερα γίνονται. οἷον, ὁ φόνος ἐστὶν ἐναγής. εἰ δὲ καὶ εἰς τόπον ἅγιον τολμηθείη, ἐναγέστερος γίνεται. εἰ δὲ καὶ ἐν καιρῷ ἁγίῳ, ἐναγέστατος. εἰ τοίνυν ὁ φόνος αὐτὸς καθ' ἑαυτὸν ἐστὶ χαλεπὸς, προσλάβοι δὲ καὶ τὴν ἀπὸ τόπου, ἢ τοῦ καιροῦ, ἢ τοῦ προσώπου προσθήκην, μείζων, καὶ ἀργαλεώτερος γίνεται. Eadem peccata & propter locum, & propter tempus grauiora fiunt. Exempli cauſſa, cædes graue ſcelus eſt: quæ ſi in loco ſacro commiſſa fuerit, redditur ſceleratior. Quod ſi etiam ſacro tempore, ſceleratiſsima. Quia igitur cædes per ſe ipſa diritatem habet, ſi locus, aut tempus, aut perſona eam auxerit, dirior vtiq; & longè grauior efficietur.*]

Dauid porrò cum fugiſſet ad Achis regem regionis Get, alienigenam, quanquam ſibi notum:—

ἐρώτησις. ἐν μὲν τῇ ἐπιγραφῇ τοῦ ψαλμοῦ ἀβιμέλεχ ὀνομάζεται. φησὶ ψαλμὸς, τῷ δαβὶδ, ἡνίκα ἠλλοίωσε τὸ πρόσωπον αὐτοῦ ἐναντίον ἀβιμέλεχ, καὶ ἀπέλυσεν αὐτόν. ὧδε δὲ καὶ ἄχις προσηγόρευται. καὶ πῶς ἐστι τοῦτο; ἀπόκρισις. βασιλεῖς μὲν εἶχον τότε ὄνομα οἰκεῖον ἀβιμέλεχ, ἴδιον δὲ ἕκαστος ᾧ προσηγορεύετο, ὡς καὶ ἐπὶ τῆς ῥωμαϊκῆς ἐστιν ἰδεῖν βασιλείας καίσαρας, καὶ αὐγούστους λεγομένους κοινῶς, ἄλλα δὲ τὰ κύρια ἑαυτῶν κεκλημένους ὀνόματα, ὥσπερ καὶ παρ' αἰγυπτίοις φαραὼ οἱ αὐτῶν βασιλεῖς. INTERROGATIO. *In pſalmi inſcriptione Abimelech nominatur, ait enim:* Pſalmus Dauidi, quādo immutauit faciem coram Abimelech, & dimiſit eum. *Hic autem Achis appellatur. Quid hoc ſibi vult?* RESPONSIO. *Reges illi habebant commune nomen Abimelech, ſeorſum verò vnuſquiſq; ſuum ſibi proprium, quo appellabatur; quod etiam in Romano imperio videre eſt, vbi communiter Cæſares, & Auguſti dicuntur; nihilominus propriis nominantur nominibus: ſicut item apud Ægyptios Pharaones.*]

1. Reg. 21. —timeretq; ne quid in expectatum pateretur, prudenter ſe epilepticum finxit, optimoque fine ac ſcopo notum ſuum ſefellit. Quam fallaciam, calliditatemúe cum Toparcha non intelligeret, ipſum expulit, domeſticoſque pro ſtultis reprehendit, qui hominem inſanum
1. Reg. 22. ad ſe introduxiſſent. Inde ſaluus ad ſpeluncam Odollam peruenit. Vbi ſic breui manum paruam collegit, aliis aliunde ad eum ſe adiun-
1. Reg. 22. 28. gentibus, aſſumptis illis ad Achis, mente ſana reuertit, & Siceleg pro ſuo, amicorumque domicilio in munere accepit. Gerebat tum bel-
1. Reg. 30. lum Achis, quem contra hoſtes iuuenis, & hoſpes Dauid adiuuabat. Triduum præterierat, ex quo Dauid abſuerat. Interea Amalecitæ Siceleg vrbem circundederant; & quoniam defenſoribus tum carebat, citra laborem occuparant, omniaque diripuerant, ſimulque mulieres, pueros, puellas, virgines in ſeruitutem abduxerant, & viris quotquot inerant, occiſis, oppidum incendio diſperdiderant. Peruenit ad aures Dauid Sicelegenſium calamitas; perturbatus eſt animo, vt heroëm tantum perturbari conueniebat, cum omnes hoſtiliter tractatos cerneret: commotuſque & inflammatus, Abiatharum, qui ſacerdotij principatu, & genere clarus erat, ſacrum ephod applicare ſtatim iuſsit, vt illinc euentu cognito, in hoſtes procederet. Cognouit, eoſque ad torrentem Beſor perſecutus eſt, vbi impedimentis relictis, & ad ea cuſtodienda militum numero ſufficiente (quorum equi præ laſsitudine ſequi non poterant) cum ſelectis Amalecitas ſecutus & aſſecutus, eos occidione occidit, & prædam reduxit, victorq; ad torrentem Beſor, vbi ſarcinæ remanſerant, eſt regreſſus. Huc cùm veniſſet, præda quam quiſque retulerat in vnum congeritur, σκῦλα & λάφυρα, vno verbo, vniuerſa præda (σκῦλα vocantur, quæ interfectis detrahuntur: λάφυρα quæ à viuis auferuntur.) Hæc igitur ſpolia inter inſecu-

inſecutores, & impedimentorum apud torrentem Beſor cuſtodes, de quibus dictum eſt, æqualiter diſtribuit. Vbi verò quidam præ inuidia id ægre ferentes conqueſti ſunt, noluerunt que iis qui remanſerant partem ſuam de præda decerni (ſatis enim fore, ſi vxores liberoſque reciperent) non id iuſtum iudicauit: ſed omnibus æquam partem ſpoliorum impertiuit, cùm diceret: non ſe illos vt ignauos, nec vt inutiles, parumque commodos, ſed propter equos, currere præ laſsitudine non valentes, reliquiſſe. Quam obcauſſam relicti ſint, non vt otioſi tamen manerent: ſed vt, inquit, vaſa noſtra quæ relinquebamus, cuſtodirent: quæ ni illi cuſtodiſſent, nos amiſiſſemus: nec quidquam quod vel ederemus, vel biberemus ſuperfuiſſet, non veſtis, non tegumentum ad fouendum operiendumque corpus: fuiſſemuſque priuati rebus ad vitam pertinentibus. Et oportebat ſanè neque hos pari portione fraudare. Hæc tibi ad probationem dictorum meorum ſatis ſunto: quomodo ſcilicet Chriſtus ſententiam inter operarios, & mitis Dauid inter milites tulerit: & quod diuiſit, inter omnes æqualiter diuiſerit, inter eos qui plus, & qui minus laborum capeſsiuiſſent. Et gloria domino meo, gloria Chriſto meo, iudici miſericordiam diligenti, beneque facienti vniuerſis. His credin', an iterum teſtes, & omni exceptione maiores expetis, & probationem cumulari vis, vt conſueuiſti, cum interrogas? ANIMA. Tertium teſtem non poſco, ſed exemplum tantummodo. CARO. Mox, vt petis, exemplum afferam. Multi multos propter Chriſtum cruciatus, alij breuiores, ac leuiores, alij diuturniores, ſæuioreſq; ſuſtinuerunt: & tamen æqualia, eademque præmia conſecuti ſunt. Ad verba mea vt paradoxa obſtupuiſſe te arbitror: ſed explicationem, eamque breuem adiiciam. Cogita mihi duos, eadem voluntate præditos, ad certamen currentes, vt pro Chriſto moriantur. Vnum quidem mente excelſa, & naturà robuſtum: alterum viribus imbecillem, & ægro corpore; qui confeſsi Chriſtum, in ſtadium ingrediuntur, ambo nudantur, & flagris diuerberantur. Sed robuſtus centum omnino plagis acceptis, vita deficit, ſpiritumque conditori tradit. Imbecillis tãtummodo quinquaginta paſſus, ad pœnas amplius durare nequit, & extinguitur. Ne tu igitur alterum athletam in reportanda mercede priore inferiorem futurum exiſtimes, quia non etiam centum plagas perferre potuit. Non enim robur corporis, ſed animi virilitas amorem erga Chriſtum demonſtrat. Niſi enim alter ille prius animam efflaſſet, vt dixi, ipſe quoque perinde vt primus centum plagas toleraſſet. Sed illi tanta virtus tabernaculi ſui, hoc eſt, corporis, non ſuppeditauit. Quanam verò alia de cauſſa anima ad hæc tam

parata, & prompta ſit? Non enim pigratur ipſa, non refugit, neque timet flagella experiri. Nam quod verberatur, illico mori, aut non mori, non eſt in nobis, nec in poteſtate noſtra ſitum: ſed in eo *qui* Heb. 1. *portat omnia verbo virtutis ſuæ*, & pro ſua ſapientia iudicat, ordinat, & facit: quique omnes præſcit, & prædeſtinat: & quid cuique conducat ac proſit, puſillanimo, inquam, & magnanimo, nouit. Eſt cui multa, eſt cui pauca ſuſtinere cruciamenta expedit.

» ISIDORVS. Πρόκειταί σοι ἐν τῇ οἰκίᾳ σκεύη διάφορα, ἀλλ᾽ οὐκ ἐπειδὴ πρόκειταί σοι, ἀδιαφόρως πᾶσι κέχρηται, ἀλλ᾽ οἶδας ποῖον μὲν ἀγγεῖον δέχεται οἶνον, ποῖον δὲ δέχεται ἔλαιον, ποῖον δὲ ὄξος. οὕτω δὴ, καὶ ὁ Θεὸς οἶδε ὁποία ψυχὴ πρὸς ἔλεον ἐπιτηδεία, ποία δὲ ἀξία τιμωρίας. οὐκ ἐπειδὴ οὕτω πεποίηται, ἀλλ᾽ ἐπειδὴ οὕτω παρὰ τῆς οἰκείας πολιτείας κατεσκεύαστο. διά τοι τοῦτο φησὶν Θεὸς τῷ ἱερεμίᾳ, πρὸ τοῦ με πλάσαι σε ἐν κοιλίᾳ, ἐπίσταμαί σε· καὶ πρὸ τοῦ ἐξελθεῖν ἐκ μήτρας, ἡγίακά σε· ἀλλ᾽ ἐπειδὴ ἔγνων σε, τότε ἡγίακά σε. διὰ τοῦτο καὶ Παῦλος ὁ ἀπόστολος λέγει, οὓς προέγνω, καὶ προώρισε, καὶ οὐκ εἶπε πρῶτον τὸ προώρισεν, ἀλλὰ τὸ προέγνω. *Propoſita ſunt tibi in vna domo vaſa diuerſa: non ideo tamen ſine diſcrimine omnibus vteris: ſed quodnam vino, quod oleo, quod aceto ſuſcipiendo idoneum ſit, noſti. Sic nimirum & Deus cuinam animæ miſericordia tribuenda, cui ſupplicium imponendum ſit, nouit. Non quoniam eiuſcemodi illam ipſe fecerit: ſed quia moribus & vita ſua talis euaſerit. Quocirca Deus Hieremiæ ait*: priuſquam te formarem in vtero, noui te: Hiere. 1. & antequam exires de vulua, ſanctificaui te. *Hinc & Paulus Apoſto-* Rom. 8. *lus*: quos præſciuit, & prædeſtinauit. *Non dixit prius*, prædeſtinauit: *ſed*, præſciuit.]

Quanquam igitur alter citò edidit animam, non ideo pro impatienti, & ignauo habendus eſt. Nam vterque quas à natura vires accepit, quamuis non pares, domino, vt potuit, obtulit: non plus, non minus, quàm ſibi deſuper contigit. Humanarum enim rerum quædam in noſtra poteſtate ſunt: quædam non ſunt. Si quis iis quæ ſunt, non rectè vſus fuerit, rationem reddet. Quod autem in nobis ita eſt, vt noſtra poteſtate non contineatur, ſi non bene ſe habuerit, nos pœnam non debemus. Mori enim haud eſt noſtri arbitrij: nec fame affici, aut ſiti: nec laborum moleſtiarumque ſenſus: nec defatigatio in curſu: nec vt corpus noſtrum aut magnum, aut paruum ſit: nec vt colore aut fuſcum, aut album, aut liuidum: nec vt tenue, macrum, aut carnoſum: nec vt ſolidum ac validum, aut infirmum. Non enim noſtrum eſt poſſe, aut non poſſe: verùm id naturæ noſtræ à procreatore cælitus conceditur. Nec quiſquam hæc in nobis accuſat, nec querimoniam habent. Neque ob iſta vel pœnam incurrimus, vel coronas adipiſcimur. Eſſe autem improbum,

aut

aut ſcortationi deditum, aut laſciuum, aut ebrioſum aut cynædum, aut mendaciloquum, aut furacem; aut contrà, ſobrium & probum, & continentiæ amicum, aut manſuetum, fratrum & veritatis amantem, aut animo ſimplicem, aut moribus doloſum, hæc omnia in nobis ſita eſſe certum eſt. Eſſe, inquam electionis, & voluntatis humanæ, & conſilij, & ſcopi, & poteſtatis. Hæc retine, & dicta conſidera. *Scrutatur corda & probat renes dominus. Et homo videt ea quæ parent, Deus autem cor.* Et quis hunc medullitus amat? *Hiere. 17. 1. Reg. 16.*

CAPVT VII.

Multos bonis operibus, & rectè factis compluribus abundantes, aliis quorum minuta, & pauca numerantur, diuina voluntate & ſententia non anteituros.

Cvm autem oblationem obtulerimus creatori, hic quidem ieiunium, lacrymas: alius preces, & ſtationem: alius affluētem luctum: alius vigilantiam cordis, humilitatem ſinceram: alius ſublimem charitatem, in tribulationibus gratiarum actionem, in rebus aduerſis patientiam, miſericordiam in pauperes, alere eſurientes, auxilium erga orphanos, viduas, egentes, gaudere cum gaudentibus, lugere cùm lugentibus: alius abdicationem rerum omnium, & paupertatem ſpiritus, propter Chriſtum voluntarias corporis verberationes; non qui horum plus dedit, acceptior & gratior fuit: caue iſtuc putàs: caue vllo modo arbitrere. Haud enim ſimpliciter dominus quod plus eſt admittit. Non curat menſuras, & modos, & qualitatum elegantiam, neque molem, & magnitudinem, neque aliud quippiam iſtiuſmodi: conſilium tantummodo, & intentionem eorum quæ aguntur, eligit, atque ſpectat, affluentiam voluntatis, & feruorem cordis, amorem intimum, deſiderium, zelum.

Chrysost. Οὐ γὰρ εἰς τὰ γινόμενα, ἀλλ᾽ εἰς τὸν σκοπὸν τῶν γινομένων ὁ κριτὴς τοῦ θεοῦ ἐφορᾷ. καὶ ἐπὶ μὲν τῶν αἰσθητῶν πραγμάτων καὶ ὁ σπόρος ἔχει πόνον, καὶ ὁ ἀμητὸς ὡσαύτως. διαλύει γὰρ πολλάκις τοὺς ἀμῶντας καὶ τὸ τῆς ὥρας θερμόν, ἀλλ᾽ ἐκεῖνος ὁ τοιοῦτος ἀμητὸς· πόνου γάρ ἐστι, καὶ ἱδρῶτος ἐλεύθερος. *Non enim ea quæ fiunt, ſed ſcopum quo fiunt iudex Deus inſpicit. Et in rebus quidem quas ſenſu percipimus etiam ſatio ipſa laborioſa eſt, meſſisq́; ſimiliter: ſæpe enim æſtus temporis meſſores languefacit. Aſt illa meſſis alia eſt, labore enim & ſudore caret.* Eivsdem.

" Τῇ γὰρ διαθέσει τῆς καρδίας, οὐ τῷ μέτρῳ τῆς οὐσίας τὰς πενίας, καὶ εὐπορείας κρίνειν εἰώ-
" θαμεν· πολλοὶ μὲν γὰρ ἀπὸ πολλῶν ὀλίγα, πολλοὶ δὲ ἀπ' ὀλίγων πολλὰ παρέχουσι· καὶ
" οὐ τὸ μέτρον τῶν διδομένων, ἀλλ' ἡ τῶν παρεχόντων γνώμη τοιαύτη κρίνεται, καὶ μετρεῖ-
" ται. *Affectu enim animi, non menſura facultatum, penuriam, & abundantiam*
" *iudicare conſueuimus. Multi namque de multis pauca largiuntur: nec dati co-*
" *pia, ſed dantium mens talis, aut talis iudicatur, æſtimaturq́.*]

Non ea quæ ſunt ipſorum concupiſcit: in his acquieſcit. Quodq́ue admirabilius, & miſericordia plenum eſt, non oblatorum præſtantiam, ſed quæ iam à me recenſita ſunt admittit, & approbat, quæ viciſsim largiter remuneratur, quod è duobus minutis à vidua miſ-

Marci 12. ſis (quæ ſanè præ diuitum muneribus ſuſcepta legimus) liquidiſsimò conſtat omnibus. Nam hi partem aliquam de ſummis diuitiis ſuis: illa totum quod habuit, magna voluntate dicauit: nec arbiter Chriſtus ſecundùm doni amplitudinem, ſed ſecundùm animi magnitudinem, diuitiaſque arbitrium pronuntiauit. Viden' vt munus viduę huius & abiectum & puſillum, viſum eſt maximum? Sæpenumero enim exigua quædam ducuntur ampliſsima: id quod ex his quæ dictura ſum perſpicies. Olim Cain, & Abel dona obtulerunt: veruntamen

Geneſ. 4. non eadem mente ac ſcopo obtulerunt: ſed Abel optimo, Cain peſsimo. Non reſpexit autem dominus ad dona Cain, quanquam eximia ac ſumptuoſiſsima. Prior quidem de frugibus terræ ſacrificauit: at non rectè, nec conuenienter ſacrificauit. Atque hinc etiam verba parum iucunda audiuit: *nonne ſi rectè obtuleris, non rectè autem diuiſeris, peccaſti? Cur adeò triſtis es? peccaſti, quieſce.* Satis apparet, quid iſtuc

Geneſ. 8. ſignificet. Cæterùm & alia de ſcripturis audi. Noë de ligno, quo

Iſaia 1. mundus ſeruatus eſt (de arca) egreſſus, domino ſacrificium fecit; quod ille, vt odorem ſuauem odoratus eſt. Thymiama ſiue incenſum Hebræi obtulerunt, quod tamen Deus vt vanum, execrandum, & deteſtandum repudiauit. Vapor, & fumus hîc & ibi. Ibi nidorem fumi cum voluptate odoratus eſt: hîc thymiama eadem natura conſtans, non aliud quàm ignis crepitus, & res odorifera iudicatum eſt.

" THEODORETVS. οὐχ ὡς τῇ κνίσῃ τερφθεὶς, (ὀστῶν γὰρ καιομένων οὐδὲν δυ-
" σωδέστερον) ἀλλὰ τοῦ προσενηνοχότος ἐπαινέσας τὴν γνώμην. οὐ γὰρ σωματικὰ ἔχει μό-
" ρια, ἵνα καὶ ῥῖνας αὐτῷ προσθῶμεν, δι' ὧν ἡ ὄσφρησις. *Non quaſi odore delectatus ſit:*
" *oſsibus enim vſtulatis nihil graueolentius: ſed animum offerentis laudauit. Nec*
" *enim corporea membra habet, vt & nares ei attribuamus, per quas olfacimus.*
" Οὐ τῇ φύσει τῶν δώρων, ἀλλὰ τῇ προαιρέσει τῶν προσαγόντων προσέχων ὁ θεὸς,
" οὕτω κρίνει τὰς προσφοράς. *Non naturam munerum, ſed propoſitum, mentemq́ue*
" *offerentium intuens Deus, ita de oblationibus iudicat.*]

Anima. Indica mihi, quomodo, & qua de cauſſa hæc duo ſacrificia ſibi contraria fuerint. Declara vim, expone, nihil occulta. Caro. Illud factum eſt cum fine Deo grato acceptoq;: ſacrificium enim Noë iuſtitia commendauit, vehementerque placuit, vt dictum eſt:—

Chrysost. *Δίκαιον ἄνθρωπον καλοῦμεν τὸν ἅπασαν ἐν ἑαυτῷ ἔχοντα τὴν ἀρετήν, οὐ τὴν μερικήν, ἀλλὰ τὴν καθόλου. Virum iuſtum eum dicimus, non qui vnam aliquam, ſed qui vniuerſas virtutes complectatur.*]

—horum contrà extrema improbitas, incredulitas, maleuolentia naturam ſacrificij execrabilem reddidit. Hebrea quippe natio animo & voluntate peruerſa fuit: in donis autem offerentium animos Deus intuetur, ex quibus ſtatuit. En habes à me quod quæſiſti. Ex ſcriptura enim, & diſtinctè docui, Deum oblationibus, & ſacrificiis huiuſcemodi non delectari: nec eum ad illorum naturam, ſed ad mentem ſacrificantium, ipſamque eorundem intentionem ac voluntatem potius attendere. Hanc præ omnibus amplectitur, ſiue pauper quis, ſiue diues fuerit.

Chrysost. *Οὐ μικρὸν ἐστὶ θεῷ ἂν ᾖ κατὰ δύναμιν, ἀλλὰ καὶ λίαν μέγα καὶ φίλον. ἡ γὰρ προθυμία ἀπὸ τῆς γνώμης· τὸ δὲ ποιεῖν καὶ δύναι ἐκ τοῦ ἔχειν. Non parum eſt apud Deum, pro viribus, ſed magnum quiddam, & illi gratum. Alacritas enim ab animo, facere autem & poſſe à facultate proficiſcitur.*]

His placatur, his fauet, his gaudet, ſeu minus, ſeu maius quiſpiam obtulerit, ſeu obolum, ſeu minutum, ſeu ouum duntaxat, ſeu panem, ſeu calicem aquæ frigidæ (nam & huius Scriptura meminit) ſeu veſtem veterrimam, aut laceram ad tegumentum, aut cæpe, aut allium, aut intybum, aut herbam aliquam, aut aliud quippiam viliſsimum, quod quis nominauerit. Animus, & animi bona voluntas in his planè iudex eſt: citra voluntatem affectionemque optimam donum per ſe nihil valet. *Matth. 10.*

Chrysost. *Ἔστι γὰρ ὅτι κατὰ τὴν ἄφατον τοῦ θεοῦ φιλανθρωπίαν καὶ τὸ ἔργον μὴ ἐπιτελέσαντες, ἀπὸ γνώμης μόνον τὸν στέφανον κομίσασθαι· κἂν μὴ δυνώμεθα ἐπαρκέσαι, καὶ λῦσαι τὸν λιμόν, ἀπὸ τῆς γνώμης ἔχομεν ἀπηρτισμένον μισθόν. Licet enim, licet ex Dei benignitate inexplicabili etiam iis, qui opus non præſtiterunt, de ſola voluntate coronam auferre. Et quamuis non poſsimus opitulari, famemq́; dando repellere, tamen de voluntate perfectam remunerationem conſequemur.*

Quid ego donum memoro? Solus ſermo ſufficit. Sicut enim ros frequēter æſtū ſedat: ita ſermo roſcidus cor ęſtuans refrigerat. Etenim paruum quippiam, & modicum haud eſt modicum, ſi tantummodo pro virili fiat: ſed longè maximum, & optimum, Deoque placitum. Nam in rebus humanis facultas & voluntas frequentiſsimè in eodem non concurrunt: præſertim in pauperibus ac tenuibus, quibus exi-

quæ ſunt copiæ. In his enim alterum, velle fortaſsis ineſt: ſed poſſe, & facere non eſt. Quocirca ſolus animus, & voluntas, & oratio inopi ſubueniunt, & mercedem conſequuntur. In locupletibus autem, & probis voluntas, & facultas fœliciter reſpondent. Qui igitur pro recula ſua Deo munus ſacrauerit, is in cœlum vſq; aſcendit, quod duarum viduarum, vnius duo minuta, alterius farina oſtendunt.

Marc 12. „ Theologvs. *Δέχεται καὶ Παύλου τὴν φυτείαν, ὡς Παύλου, καὶ Ἀπολλὼ τὴν*
3.Reg.17. „ *ἀρδείαν, καὶ τὰ δύο λεπτὰ τῆς χήρας, καὶ τοῦ τελώνου τὴν ταπείνωσιν, καὶ τοῦ μανασσῆ τὴν*
„ *ἐξαγόρευσιν. Suſcipit & Pauli plantationem, vt Pauli, & Apollo rigationem, & duo*
„ *viduæ minuta, & humilitatem publicani, & confeſsionem Manaſſæ.*

Nam illa duo dedit, & Sarephtana quod dedit, nihil præter farinam: immo potius pugillus farinæ fuit: vtpote quæ pauper, & priore illa etiam pauperior eſſet: tametſi ambæ eadem mente, voluntateque obtulerunt, qua viros & fœminas omnes poſt ſe reliquerunt. Ne fruſtra igitur, ne fruſtra te excuſa. Nam qui prorſus nolunt, non autem, qui non poſſunt, cœleſti gloria priuabuntur, quod ex ante dictis perſpicuum euaſit, ſatiſque ad fidem demonſtratum, & confirmatum eſt. Hoc nihilominus, vt tibi gratificer, apponam. Phariſæum, & Publicanum norunt omnes; è quibus ille virtutes ſuas iactauit: hic in humilitate cordis pectus ſuum verberauit. Deus autem, humiliantem ſe probauit, iactantiam, & iactabundum reiecit.

„ Chrysost. *Εἰ ὁ κατορθῶν, τῇ ἀλαζονείᾳ χρησάμενος ἀπώλεσε τὰ κατορθώ-*
„ *ματα, ποίας ἂν εἴη τιμωρίας ἄξιος, ὁ ἐν ἁμαρτίαις ἀλαζονευόμενος. Si is qui virtutis*
„ *munere functus erat, propter oſtentationem eius fructum amiſit, quod ſupplicium*
„ *merebitur, qui in peccatis gloriatur?*]

Age, rurſum quàm attentiſsimè potes auſculta. Exigua in paruis & vilibus, magna in eximiis, & præſtantibus numerantur. Sed quæ magna inertibus videntur, ea à ſtudioſis & diligentibus exigua, & abiecta habentur; quemadmodum diſputatione noſtra fuſius explanatum eſt. Porrò in erratis & lapſibus noſtris aliter ſe habet opinio. Exilia enim & parua apud viros perfectos non ſunt, nec æſtimantur parua. Et viciſsim, quę imperfecti magna cenſent, ea leuis momenti, & tenuiſsima ab illo iudicantur, qui perſpicit, & cum iuſtitia iudicat omnia. Ad hęc alia bonę ſpei plena audi. *Primi enim erunt nouiſsimi*, & è contrario, *nouiſsimi primi*. Quando enim iuuenis, iuſſus facultates ſuas in pauperes diſtribuere, ſi hęreditatem cœleſtem adire, & perfectus euadere vellet, maiorem animo triſtitiam concepit, ſic aduerſus eum ad aſtantes locutus eſt Dominus. *Quam difficilè diuites intrabunt in regnum cælorum?* Ad quæ, licet euidentiſsima, cum diſcipuli obiicerent, *quis igitur, magiſter, ſaluari poterit?* Ille confeſtim reſponſum verum ita reddidit,

Matth. 20. Matth. 19.

dit. *Quæ impoſsibilia ſunt,* inquit, *apud homines, apud Deum & poſsibilia,* & facilia, & facillima ſunt: Domino enim vniuerſorum, etiam vniuerſa ſunt poſsibilia: qui & ordini, & legibus naturæ imperat. Crede verbis meis, nec amplius dubita. Siue enim Chriſtus te ſociare ſaluandorum choris: ſiue annumerare fulgentibus iuſtis voluerit, (ſicut antea memorauimus, & de operariis in vinea, relictiſque ad ſarcinas à Dauide exemplum attulimus) vt pelagus benignitatis, vt abyſſus miſericordiæ, num eſt qui tantillum reſiſtere auſurus ſit? *Deus eſt qui iuſtificat, quis eſt qui condemnet?* Rom.8. Dominus enim & conditor eſt omnium, & idem rex animorum atque corporum. Non vtitur curatoribus, non prouiſoribus, non aliquo vicario indiget. Quem enim timet Deus? Gloria Domino meo, gloria Chriſto meo, qui miſeretur omnium, & omnes ſuſcipit, ſi modò quis acceſſerit, ſi modò pœnituerit, ſeu ille exoletus, ſeu mœchus, ſeu fur, ſeu publicanus fuerit.

Οἱ Φαρισαῖοι ἐπελάβοντο τοῦ Σωτῆρος, ὡς μετὰ τελωνῶν, καὶ ἁμαρτωλῶν ἐσθιομένου, ἐπειδήπερ ὁ νόμος διέστελλεν ἀνὰ μέσον βεβήλου, καὶ ἁγίου· ἀγνοοῦντες, ὅτι ὁ Χριστὸς ὑπὲρ τὴν νομικὴν κρίσιν παρεῖχε τὴν φιλάνθρωπον χάριν. ὁ μὲν γὰρ ἐξέκοπτεν, ἡ δὲ μετέβαλλε τὸ κακόν. καὶ μαρτυροῦσι Ζακχαῖος, καὶ Ματθαῖος, καὶ ὅσοι ἀνεμαχέσαντο τὰς ἥττας. Phariſei Saluatorem reprehendebant, quod cũ Publicanis & peccatoribus manducaret, quandoquidem lex diſtinguebat inter ſacrum & profanum: ignorantes, Chriſtum ſupra legale iudicium donaſſe benignitatis gratiam. Lex enim malum, ſeu peccatum exſcindebat: gratia in bonum mutat. Cuius rei teſtes ſunt Zachæus, & Matthæus, & quotquot victi denuo pugnarunt, & vicerunt.] Marci 2.

CAPVT VIII.

Ad pœnitentiam cohortatio. Ad tribunal Chriſti iudicis aduerſus ſceleſtos diaboli accuſatio.

ANIMA. Bonas mihi ſpes inieciſti, meque delectaſti. CARO. Non vides rem, vt poteſt, non vides: aliud enim vereor dicere, ne te audacius videar reprehendere. Alacritatem oſtende, fidem adhibe, voluntatem, charitatem, ſpem non dubiam, paulùlum in hac vita labora, & ingentibus bonis potiere. Deſiſte, à peccatis præteritis longius refuge. Regnum cœlorum extare audiuiſti, & illud pati vim, atque à violentis tantùm rapi. Matth.11. Nemo hoc ingreditur, nemo ſaluatur, ni prius cum tentationibus luctatus, ni prius moleſtias doloreſque perpeſſus: præcipuè ſi illicita perpetrauit. Hoc non ingreditur rapax, non iniuſtus, non fur, non 1.Cor.6. maledicus, non ebrioſus, non cynædus, non corpus ſuum libidine contaminans, non mollis, non peſtilens, non maſculorum concubitor,

tor, non maleuolus, non idolorum cultor, quem mors ineuitabilis comprehenſum abripiet, & in receſsibus inferorum collocabit, vbi nulla penitus eſt confeſsio: id quod magnus inter videntes (Prophe-
Pſal.6. tas) quoque ſcribit. Abſterge, elue delictorum ſordes. Annuntia commiſſa, ne diutius tacita habeto, & luge, & geme, & lachryma, & plora, quantumque potes, in ſalute comparanda elabora. Creator te paternis vlnis excipit. Quoties cecideris ſurge: cadere enim humanum eſt: & propter peccatores, non propter iuſtos Chriſtus venit: & illos, non hos ad pœnitentiam vocat.

,, *Τῷ μὲν ἐν ἀρχῇ πεσόντι συγγνώσκομεν ἅπαντες διὰ τὴν ἀπειρίαν. τὸν δὲ μετὰ πολλοὺς*
,, *διαύλους ὑποσκελισθέντα οὐκ ἄν τις ῥαδίως ἀξιώσει συγγνώμης, ὡς ἐξ ἀμελείας. καὶ ῥαθυ-*
,, *μίας καταπεσόντα. καὶ οὐ τοῦτο μόνον ἐστὶ τὸ δεινὸν, ἀλλ' ὅτι καὶ πολλῶν σκανδαλισθέντων,*
,, *καὶ ῥαθυμοτέρων πολλάκις γενομένων. αὐτὸς ὡς ὑπεύθυνος γίνεται, καὶ ἀναπολόγητος.*
,, *ἐν γὰρ τῷ ἀποστρέψαι φησὶ δίκαιον ἐκ τῆς δικαιοσύνης αὐτοῦ, καὶ ποιῆσαι ἀδικίαν, πᾶσαι αἱ*
,, *δικαιοσύναι αὐτοῦ οὐ μνησθῶσι· ἐν τῇ ἁμαρτίᾳ αὐτοῦ ἀποθανεῖται, καὶ δικαιοσύνη δικαίου οὐ μὴ*
,, *ἐξέληται αὐτὸν, ἐν ᾗ ἂν ἡμέρᾳ πλανηθῇ. Principio peccanti omnes ignoſcimus, propter*
,, *inexperientiam: poſt multos autem recurſus ſupplantatum, difficulter quis venia*
,, *impertiendum exiſtimabit, vt qui ex negligentia, ſocordiaq́ ceciderit. Nec iſtuc ſo-*
,, *lum eſt indignum, & horribile: ſed etiam, quòd multi ſcandalizati, & ſæpe igna-*
,, *uioribus effectis, ipſe tanquam criminis reus, & inexcuſabilis euadit.* Cum autem
Ezec.18. ,, auerterit ſe iuſtus, *inquit*, à iuſtitia ſua, & fecerit iniquitatem, omnes
,, iuſtitiæ eius quas fecit, non recordabuntur amplius. In peccatis ſuis
,, morietur, & iuſtitia iuſti non liberabit eum, in qua die errauerit.]

Velut limis oculis aſpexiſti, irrita feciſti, tranſgreſſa es pacta, quibus Chriſto in ſancta ablutione adſcripta es, & Sathanæ, atque angelis eius ſeruiſti. Proinde cùm Dominus in iudicio ſederit, draco improbiſsimus, ac primus apoſtata, vt inuidus, vt inſatiabilis, & crudelis dicet. Hæc, Domine, verbis duntaxat me negauit, operibus ipſis mea fuit, mihi ſeruiuit plurimùm: meæ voluntati quamuis enixè, diligènterque obtemperauit: mea potiſsimùm amica, & familiaris eſt. Nihil in illa tuum eſt. Quid tibi cum ea? Non latent eius actiones: teneo, quibus ſe obligauit, literas: cœlum & terra ſcelerum eius teſtes ſunt. Tu iuſte iudex, quomodo vlla ratione iniuſtè poteris facere? Tuis contentus eſto: aliena cur appetis?

,, CHRYSOST. *Ἀγαθὸς ὁ Θεὸς, ἀλλὰ καὶ δίκαιος. δικαίου δὲ ἡ πρὸς ἀξίαν ἀντίδοσις*
,, *καθὰ γέγραπται, ἐλεήμων, ἀλλὰ καὶ κριτής. καὶ ὁ μὲν Θεὸς ἐπαγγελλόμενος οὐρανῶν βασι-*
,, *λείαν, οὐκ ἀκούεται· ὁ δὲ διάβολος γέενναν προξενῶν φιλεῖται, καὶ ἀγαπᾶται, καὶ περὶ τῆς*
,, *γεέννης κἂν ταῦτα αἰσχύνην καὶ γέλωτα προστάγων, καὶ μυρίας κολάσεις, καὶ θάνατον,*
,, *πολλοὺς ἔχει τοὺς πειθομένους. Bonus eſt Deus, ſed idem iuſtus. Iuſti autem munus, pro*
Pſal. 1. ,, *dignitate mercedem reddere: ſicut ſcriptum eſt,* miſericors, ſed & iudex. *Ac Deus*
quidem,

quidem, quanquam regnum cœlorum promittens, non auditur. Diabolus verò cum "
hominibus gehennam comparet, diligitur & amatur: & cum ante gehennam hîc "
probra & ludibria, mille pœnas, ipſamq́ mortem importet, nihilominus promptè "
ſibi obſequentes non paucos habet.] "

Hæc iudex iudicaturus audiens, aſtantibus virtutibus miniſtratoriis angelis, archangelis, principibus ſacerdotum, athletis, & religioſis omnibus, quot ordines ſupra, quotque infra ſunt, & audacem hunc clamorem admirantibus, non volet iuſtam ferre ſententiam: ſed rationem probabilem, & excuſationem quæret, vt in iudicio tu vincas. Si igitur tu quoque tum aliquid probè factum habueris, aut fidei (quod præcipuum eſt) aut actionis optimæ, vt quiddam ad defenſionem peropportunum, & optabile obtende, & ab imo pectore exclama: hinc enim miſericordiam impetrabis, & cum ouibus ad dexteram collocaberis, manibusq́; ſceleratiſsimi impoſtoris eripiere. *Non in manu potenti*, ſed in miſericordia, & iudicio. Atque hinc & ad iudicem maior redibit gloria, & ad te laus, ſi ſalutem conſequêre. Dum tempus eſt, contende: tempus hîc eſt operandi. Dum es in via, emendare, & ſaluabere. Exerce talentum, caue, ne defodiatur. Theſauriza tibi virtutes, vt in iudicio abs te malignum queas depellere, & habeas cur ſaluere. En, & exemplum adduxi tibi, & cætera quoque prout voluiſti, & cenſuiſti, explicaui, auxilio illius, qui ſolus docet homines ſcientiam. Quod ſi quid à me falsò prolatum putas, ideoque non credis, occurre quantum in te eſt, rurſumque interroga: ego tuæ oppoſitioni reſpondebo. Quod ſi à me dicta tibi certa indubitataque videntur, ne de cætero cunctare, quæſo, ne locum des deſidiæ. Ad opera exſuſcitare, & illa te ad iudicium abeuntem, vt commodum itineris adminiculum viaticumque comitabuntur. Sin opera neglexeris, quod te maledictum maneat, dicere nolo.

Pſal. 135. *Matth. 25.* *Pſal. 93.*

CAPVT IX.

Paruam negligentiam atque ſocordiam non parua mala generare, oſtenſum ex hiſtoria Leuitæ de libro Iudicum.

ANIMA. Non repugno abs te dictis amplius, quibus aſſentior, & in ſententiam tuam tranſeo maximè. Tu verò iam docere perge: propter iſtud, quod dicis, maledictum, quodque animum mordet, quid tandem ex deſidia gignatur mali: hoc enim liquidius noſſe deſidero. Iſtuc mihi ediſſerere, ac patefacere ne differas: vt ne quid ex deſidia mihi contingat mali, meque tecum perdas: te, vt quæ non docueris: me, vt quæ non

didicerim. Caro. Quoniam ita cupis, aures aduerte. Iuſsi ſumus o-
Matth. 24. rare, vigilare, ſobrij eſſe: quandoquidem neſcimus, qua hora fur venturus, & perfoſſa domo abiturus ſit. Qui vigilare inſtituit, oculos vigiles circumfert, nec dormit vt nos, nec rhonchos trahit: ſed lampadem accēdit, &, vt prudens, in vaſe oleum ad ſalutem habet, quod eſt
Matth. 25. miſericordia erga pauperes, ex charitate & miſeratione aduerſus eos, vt fas eſt, exiſtens: & paratus eſt, & citra dormitationem vigilias agit.
Lucæ 12. Atq; hic beatus ſeruus appellatur. Qui autem procraſtinat, indignus eſt, & miſer. Vita hæc in actione verſatur, tanquam mercatus quidam.

» Chrysost. Ἐπεὶ καὶ ἀνδροφόνος ἕως ἂν ᾖ ἐν ταῖς ὁδοῖς, κύριος ἐστι μεταβάλλε-
» σθαι, καὶ ἀπαλλαγῆναι κολάσεως. ἐπειδὰν δὲ ὑπὸ τὴν ψῆφον ἔλθῃ τοῦ δικαστοῦ, ξίφος, καὶ δή-
» μιος, καὶ βάραθρα. οὕτω δὴ καὶ ἡμεῖς, ἕως μὲν ἐν τῷ βίῳ τούτῳ ὦμεν, δυνατὸν διαφυγεῖν τὴν
» τιμωρίαν μεταβαλλομένους. ἐκεῖ δὲ ἀπελθόντες, ἀνήνυτα οἰμώξομεν. *Nam & homicida*
» *quandiu in via eſt, poteſt mutare animum, & ſupplicium effugere. Vbi autem iudi-*
» *cis arbitrium ſubierit, gladius, carnifex, barathrum illi imminent. Sic planè & nos,*
» *quandiu in hac vita ſumus, mutatis moribus ſempiternas pœnas euadere poſſumus.*
» *Vbi hinc in alia illa loca migrauerimus, fruſtra lamentabimur.*]

Quia igitur mercatus eſt, lucra tua ſectare. Futura vita pro meritis præmia ſingulis perſoluet. Ibi voluptate potientur, quotquot hic vigilant: è diuerſo, punientur quotquot hic inertiæ ac languori ſe dedunt. Excitare proinde, vigila, ſemoue abs te ſocordiam. Lugeamus quantum poſſumus: ducamus gemitus ex alto pectore. Et quoniam ſimul viuimus, altera alteram incitemus, & ad opitulationem mutuam exacuamus. Nam ſi repertæ fuerimus remiſſæ, & ad curſum ſegnes, fruſtraque diem ex die tranſiuerimus, improuiſò mors vt leo in nos irruet; inopinata ſequetur diſſolutio, & copula noſtra dirumpetur, peribitque miſtio iſta admirabilis, & vna pars noſtri ſub terra, vt ex terra procreata relinquetur: altera, vtpote mens, ad mentium naturam reuertetur. Timendumque, ne quid ambæ patiamur tale, quale olim paſſus eſt Leuites, malum intolerandum, inſperatum, & omnino nōn ferendum, cum vxorem morte turpiſsima amiſit, ſicut in
Iudicū 19. libro Iudicum memoratur. Anima. Quæſo iſtuc mihi latius declara. Equidem hiſtoriam hanc cognoſcere cupio. Sat ſcio, cum nobis, tum aliis proderit, quibuſcunque ſtudio erit hinc fructum colligere; & is ſermo ad diſciplinam conducet. Caro. Longa, & varia eſt narratio, atq; idcirco & cognitione, & diſertiore lingua ad explicandum eget. Aſt ego vtroque deſtituta, facere verba vereor. Anima. Quanquam res eſt difficilis, tu tamen mihi debes obſequi in omnibus. Quapropter tolle moras. Caro. Obſequor, dico, & hinc duco initium. Olim vir quidam Iſraëlita, tribus Leuiticæ, habitans in latere montis

Ephraim,

Ephraim, vxorem accepit Bethleemitidem ex Iuda, quam in ſuam regionem ſecum duxit. Mulier aliquanto poſt iſta deſiderio parentum ac patriæ, eò reuenit, ac perdiu apud eos manſit, diebus centum viginti videlicet. Poſt maritus conſurgens cum duobus aſinis, & puero ad coniugem reducendum properatò abit. Socer generum amanter recipit. Apud quem ille toto triduo diuerſatus, quarta luce manè exſurgens, domum redire voluit. Socero autem rogante filios, vt etiam illo die ſecum manerent, audiunt illum; manent, & cum eo ſe lætitiæ dedunt. Quintò demum die genero iter vrgente, nullaque iam dilatione interpoſita ad abitum incumbente, ſocer ei perſuadet, ne ieiunus diſcedere velit. Prandent vnà rurſum, & procedit dies, illiſque vltra debitum tardantibus, iterum à patre filij detinentur, & die etiam illo manere compelluntur. Cum poſtridie mane in viam ſe conferre pararent, iterum ſocer vt maneant precibus inſtare. Verùm ille detrectauit, & alieno tempore egreſſus, vix ad oppidum Iebus peruenit. Iam ſol ad veſperũ, & occaſum vrgebat, cum puer conſilium dedit, vti illuc diuerterent. Verùm Leuites eò declinare noluit, quòd ei in Gabaa, vrbe munita, & tribus Beniamiticæ pernoctare deliberatum eſſet. Tranſierunt ergo Iebus, occubuitque eis ſol iuxta Gabaa, quò hoſpitij cauſſa ſe receperunt; id quod malorum maximorum principium fuit. Igitur ſenex quidam tribus Ephraim, probus moribus, qui tunc aduena illic incolebat, in publico ſedenti occurrens, eum ſalutat, quærit vnde veniat. Quod cùm mox didiciſſet, &, vt erat ingenio hoſpitali, eius miſertus eſſet, ambos in ædes ſuas inuitat, introductoſque benignè habet. Cæterùm quidam indigenæ libidinoſi ac proterui, hunc hoſpitem laſciuis oculis intuiti, facto ſodalitio, vt rabioſi canes, pulſare, & impellere ianuam diuerſorij, virum (prô facinus) ad muliebria patienda expetere: non ius & fas, non hoſpitij, non legum ſanctitatem reuereri. Quid ad hæc ſenex hoſpes, & honeſtus? obſtupeſcit illico, non ſe capit, ad pedes deteſtandorum illorum procidit, quantum poteſt obnititur, hoſpitique ſuo conſultum volens, amentes illos rogat, vt minore malo ſint contenti, relictoque viro, ſua filia adhuc virgine, & cum ea vxore hoſpitis quem quærebãt, ad ſuam libidinem abutantur. Illi vix hinc preci annuunt, mulieriſq; caſtitati mirum in modum illudunt, totaq; nocte, vi adhibita eam deturpant ac defœdant, viciſſim nefaria libidine ſeſe inquinantes; vt oriente ſole dimiſſa, & ad ianuam ſenis veniens, & ſiue calamitatis magnitudine, ſiue doloris acerbitate humi cadens (ô rem nouam) ſtatim animã ibidem expiraret. Inuentam ante oſtium iacentẽ Leuites dormire exiſtimans, vbi mortuã cognouit, vt erat, mortuam

iumento impoſuit, domumque onus omnium acerbiſsimum portauit. Poſtmodum in partes duodecim diuiſum, ad vnumquamque tribum vnam partem mittit, nuntio appoſito in hanc ſententiam. Num egregium factũ ſit, vos ipſi conſiderate, & ſincerè iudicate. Sin factum hoc contra creatorem, & execrandum ſcelus eſt, in reos, vt par eſt, vindicate. Re cognita, zelo Iſraëlitæ accenduntur, copias expediunt, quadringenta millia, omnes omnino tribus, præter Beniamitas; quorum numerabantur vigintiquinq; millia; & Gabaonitas eiuſdem tribus ſeptingentos, & hos omnes bellatores peritos, ac funditores. Pro more omnes in Silo conueniunt, Deum conſulunt, quę tribus bello prǽeſſe, & præliandi initium dare debeat. Reſponſum, Iudam debere primam impreſsionem facere. Confligunt, caduntq; primùm præter ſpem de vltoribus viginti duo millia. Tum flentes Conditori ſupplicant. Altera pugna committitur, iterumque decem & octo millia occumbunt. Denuo lamentatio in Silo, denuo ſupplicatio, & denuo conatus flectendi Deum per victimas, & fructuum oblatio, & ſacrificia, & oblationes acceptabiles. Phinees filius Eleazari, nepos Aaronis primi ſacerdotis, ſacra peragens, iſtiuſmodi voces effundebat. Quomodo nobis ſic iratus es? En ſecunda clades prima pœne maior accidit. Nam cùm arderemus vlciſci impios, ab illis, neſcio quo modo iterum victi ſumus. Verùm age, nunc audi, & ſuffice nobis robur. Obſequitur eorum
Pſal.144. voluntati Deus, & victoriam tribuit, qui *voluntatem timentium ſe facit.* Inſidias circum vrbem locant, plurimos ignes accendunt, plenis agminibus procedentes, oppidanos ad pugnam etiam tertiùm eliciunt, manumque acerrimè conſerunt; omnes Beniamitæ, quinque & viginti millia, & centum præterea ferro conficiuntur.

,, ISIDORVS. Οἱ γὰρ χείρους ἔχοντες πράξεις, καὶ πολλῷ χείρους τῆς τότε γεγενημέ-
,, νης, ὡς ἀθῶοι πρὸς τὸν φόνον τῶν ἀδελφῶν ἀνέβησαν ὁμονοήσαντες. ἀλλ' ἔμαθον τῇ πείρᾳ,
,, ὑποκριτὰ ἔκβαλλε πρῶτον τὴν δοκὸν ἐκ τοῦ ὀφθαλμοῦ σου, καὶ τότε διαβλέψεις ἐκβάλλειν τὸ
,, κάρφος ἐκ τοῦ ὀφθαλμοῦ τοῦ ἀδελφοῦ σου. ἐπειδὴ ιά φυλαὶ ἀπὸ θεοῦ ἀπέστησαν, καὶ εἰς τὰ εἴδω-
,, λα ἐξεπόρνευσαν. ὑπὸ τῆς μιᾶς φυλῆς καὶ ιά, ἐνικήθησαν, καὶ οὕτω κἀκεῖνοι ἐξωλεθρεύθη-
,, σαν. *Qui enim grauioribus erant aſtricti ſceleribus, & longè maioribus eo, quod pa-*
,, *tratum erat, vt puri ac innocentes ad cædem fratrum ſuorum aſcendebant vnani-*
Matth.5.g *mes. Verùm experientia didicerunt illud,* hypocrita, eiice primùm trabem
,, de oculo tuo, & tunc perſpicies vt educas feſtucam de oculo fratris
,, tui. *Nam vndecim tribus cum à Deo deſciuiſſent, & cum idolis fornicatæ eſſent, ab*
,, *vna tribu deuictæ ſunt, ſimulq́; victores funditus extincti perierunt.*]

Vndecim autem tribuum quadraginta millia. Poſtquam autem omnes de tribu Beniamitica, vt breuiter dicam, cum coniugibus & liberis bello abſumpti ſunt, & ſexcenti duntaxat relicti, in petram

Rhemnon

Rhemnon confugerunt, ibique totos ſex menſes commorati ſunt, vndecim tribus in Maſpha ſe conferentes, & internecionem generis ſui magnæ calamitati ducentes, primùm vnam tribum, Beniamiticam ſcilicet, ex aliarum numero deletam luxerunt. Nihilominus adhuc iiſdem irati coniurant, & inter ſe pactum ineunt, vti neminem flagitioſorum illorum qui in Rhemnon confugiſſent, quiſpiam ſibi generum facere ſuſtineret. Cum porrò ſollemne feſtum in Silo aduenisſet, ad quod omnes vndique aſcenſuri eſſent, & lege veteri Iudæorum nemo abeſſe ab ea celebritate poſſet, rurſum eos qui prius coniurauerant, vt cum nullo vnquam illorum ſexcentorum affinitatem coniungerent pœnitudo ſubiit. Sed quoniam tribules Galaat ſimul in Maſpha non aſcenderant, datum aduerſus Beniamitas iuſiurandum negligentes, decem millia contra eos miſerunt, vt tanquam periuros omnes occiderent: ſolas autem virgines reſeruarent. Editur mandata cœdes, & puellæ illis ſeruãtur, omnes numero quadringentæ, quas fœdere facto Beniamitis nuptum tradunt. Quia verò ducenti ſine vxoribus reſtabant de illis Iſraëlitarum à maioribus natu, quibus cura erat tribum Beniamiticam ad cæteras recuperare; tametſi iurauerant generi illi non parſuros, alia ſuſcipitur cogitatio. Inueniunt modum, quo etiam hi vxores adipiſcantur. Mandant proinde illis, ſolemne anniuerſarium fore in Silo, eò accelerarent, atque intra ſepta vinearum inſidioſè latentes, virgines indigenas ad choros ducendos procedentes raperent, nec plures, quàm pro numero ſuo, id eſt, ducentas, raptaſque domum ducerent, & in matrimonio ſibi haberent. Si eorum cognatio, patres, fratres, propinqui & amici hunc raptum accuſatum venerint, dicturos: non habere ſe quid faciant: cur rogantibus non dederint: legitimam nihilominus affinitatem, neceſsitate probandam eſſe. Metuendum enim, ne miſeri, naturæ ſtimulis ſubacti, aliunde ſibi vxores, ex alienigenis, & incircumciſis quæſitum eant. His dictis à primoribus populi, verba ſecundùm præceptionem ad rem conferuntur, rapiuntque ſibi ex Silo vxores, tertia pars, inquam, eorum qui ſtragi ſuperfuerant, iterumque Beniamiticum genus inſtauratum, & de integro ex ſexcentis illis auctum eſt, vbi vxores adepti, vt dictum eſt, liberis operam dederunt, vrbeſq; & caſtella multa conſtruxerunt. Rem geſtam tibi totam expoſui, & demonſtraui, quantum ſit in eo mali, ſi quis quod in manibus habet, ſegniter tractet. Vides enim ter infelicem illum viatorem, in quot incommoda ex ſegnitie incurrerit, amiſſa vxore, morte indigniſsima, excitatoque inter tribus belli incendio exitiali. A ſcintilla cœpit, & in facem excreuit, totumque genus arſit. Mutuo enim in ſe in-

 ſanien-

ſanientes,& ruentes mutuò trucidarunt. Sed hoc facinus (ô cladem inſperatam) vnius hominis deſidia ac remiſsio inuexit. Si enim hora tertia voluiſſet itineri ſe dare, ante veſperam domum ſuam reuertiſſet: nec cedendo ſoceri precibus, & ſemper remanendo tantum malum & paſſus fuiſſet, & aliis creauiſſet, ſibi primùm, ſubinde tribubus,& Beniamitis maximè.

„ CHRYSOST. τοῦ γὰρ προτέρου σφάλμα, τοῦ δευτέρου ἀσφάλεια γίνεται. ἐὰν προσέχωμεν.
„ οὐχ ὁρᾷς, ὅτι καὶ μητέρες ἐπειδὰν τινὸς προτέρου βαδίζοντος καὶ πεσόντος, δεύτερον ἐλθὸν τὸ
„ παιδίον πέσοι, σφοδρότερον τύπτουσι, λέγουσαι, οὐχ ἑώρακας τὸν πρὸ σοῦ πεσόντα· πῶς καὶ σὺ
„ κατέπεσες; οὐχ ἑώρακας; οὐκ ἔχεις ὀφθαλμούς; ὥστε τὸ ἑτέρους πεσεῖν πρὸ ἡμῶν, οὐ μόνον ἀπο-
„ στερεῖ συγγνώμης, εἰ τοῖς αὐτοῖς περιπέσοιμεν, ἀλλὰ καὶ μείζονα ἐπάγει τὴν κόλασιν.
„ *Prioris enim delictum, poſterioris cautio fit, ſi attendamus. Nonne vides quomo-*
„ *do & matres, cum filiolus præcedēs lapſus fuerit, ſi ſubſequens quoque labatur, du-*
„ *rius eum verberant, ſubiicientes: non videbas illum te antecedentem cadere?*
„ *quomodo tu quoque cecidiſti? non vidiſti? non habes oculos? itaque quod alij*
„ *ante nos ceciderint, non ſolùm venia nos priuat, ſi in eadem inciderimus: ſed etiam*
„ *ſupplicium nobis auget.*]

Numerus omnium in hoc bello cæſorum, ex vndecim quidem tribubus quadraginta millia, præter viros Iabes Galaad. Ex ſola autem tribu Beniamin, mali auctoribus, exceptis mulieribus, ancillis, & pueris, viginti quinque millia, & centum. Vſitatum eſt enim inprimis ſcripturæ veteris teſtamenti, in enumeratione generis & genealogiæ viros tantummodo, non etiam fœminas, non pueros ſeu mares ſeu femellas recenſere. Viros igitur illos connumerauit, qui manifeſtè in viris ponuntur.

CAPVT X.

Remiſſè, & in peccatis vitam agitantes è rebus humanis duriter, violenterq́ excedere. Secus accidere iis, qui ad ſuperna animo & cogitatione conuerſi, viuendi rationes in melius commutant.

QVAMOBREM ſi me audis, neutiquam differes, quemadmodum Leuita, neutiquam tali procraſtinatione vtêre. Nam ſi diem ex die ducamus, ſemperque craſtinum fruſtra exſpectemus, quoniam diuerſi caſus vitam noſtram circumſtant, repente ſecuris lethi apponetur, & arborem vt infructuoſam radicitus amputabit; noſtramque colligationem ante tempus diſſoluet, vt coniugem à Leuita abſtraxit, & in pugna tribuum

tot

tot millia proſtrauit. Quanquam illa corporum ſeparatio fuit, nec ſpiritus animæúe periculum habuit. Et quoniam anima mori non poteſt, ſupplicium immortale luet, ſi non quo ſtatu debet, è corpore emigrauerit. Iudicium pleuum eſt horroris, pœnam quis ſuſtinebit?

THEOLOGVS. Ἐςὶ ποτὲ τῆς ἡδονῆς λύπη τιμιωτέρα, καὶ κατήφεια πανηγύρεως, καὶ γέλωτος οὐ καλοῦ δάκρυον ἐπαινούμενον. τίς σοφὸς, καὶ συνήσει ταῦτα; *Aliquando dolor voluptati proferendus eſt, & vultus demiſſus ac mæſtus pompis ac ſpectaculis; & riſui inhoneſto lacrymæ laudabiles.* Quis ſapiens, & intelliget?] "

Vltimis horis currimus, finis eſt in foribus, æſtas adeſt, albæ ſunt regiones, falx inſtat, tempus eſt meſsis. Vita noſtra eſt miſerrima, mores infructuoſi. Neſcis quàm vana ſint in rebus humanis omnia. Nondum noſti bonum, vel ipſa diuturnitate temporis. Nondum ſatiata es videlicet rerum caducarum vſu. Si finis vitæ eſt incertus, in adoleſcentibus incertus eſt: in ſenibus manifeſtus, & minimè dubitabilis. Sperant iuuenes ad ſenectam ſe peruenturos: ſenes de vita longiore deſperant: iam enim terram intuentur, & quæ terrena ſunt maximè aſpiciunt: vnde & γῆρας ſenectus, ἀπὸ γῆς à terra: & corpus ſimul magis magiſque incurueſcens, in ſenibus termini aduentantis indicium eſt. Et quidem in humum vnde proceſſerunt proclinantur; quam & tanquam ſinum maternum ſubire feſtinant: & lex nobis lata extat, vt qui de terra ſunt, in terram reuertantur. Præterea quod ſeneſcit & inueteraſcit, prope interitum aiunt eſſe, quodcunq; illud eſt. Quomodo igitur etiam ſenex deterioribus inhæres? neq; Prophetam illum clamantem audis. *Væ qui trahitis iniquitatem in funiculis vanitatis, & quaſi vinculum plauſtri peccatum.* Eheu.

Oſee 14. *Ioan. 4.* *Geneſ. 3.* *Iſaia 5.*

Σειραῖς γὰρ τῶν ἑαυτοῦ ἐγκλημάτων συσφίγγεται ἕκαστος. *Catenis enim ſuorum criminum quiſque conſtringitur.*] "

In quemnam alium potius, quàm in nos iſtuc conuenit? Quod ſi peccans, putas fortaſſe te diuinas manus, & fæcem iræ eius in extremo poſſe effugere, & ob hanc cauſſam ignaua es ac torpes, quî tandem cum iſta opinione tua non cæca es? Væ tibi, & ſæpe, niſi pœnitentiam agis. Diuinam benignitatem caue vllo modo deſpicias: diuitias bonitatis eius neutiquam negligas. Eſt enim longanimis, & vult te conuerti.

Pſalm. 74. *Rom. 2.*

CHRYSOST. φιλάνθρωπον ὂν τὸ θεῖον, οὐκ εὐθέως τιμωρεῖται τοὺς ἁμαρτάνοντας, ἀναμένον αὐτῶν ἐπιστροφήν. εἰδέ τινας αὐτῶν οὐδ' ὅλως κολάζει ἐνταῦθα, βαρυτέρας αὐτοῖς τὰς μελλούσας κολάσεις ἀπεργάζεται. *Benignus eſt Deus, ideo non ſtatim delinquentes pœna multat, eorum conuerſionem expectans. Quod ſi nonnullis omnino hîc parcit, futuras iiſdem pœnas atrociores infligit.*] "

Tu autem non conuerteris, magiſque ipſum irritas, & theſaurizas tibi futura ſupplicia, quibus rebelles iudicio illo damnatos puniet.

» Isidorvs. *Βασιλεία σε οὐρανῶν οὐ προτρέπεται ἄνθρωπε, οὐδὲ γέεννα πάλιν*
» *δεδίττεται. λανθάνομεν ἀτιθάσσῳ θηρίῳ ἐπάδοντες, καὶ ἐν ἀνθρωπείᾳ μορφῇ πονηρῷ*
» *δαίμονι προσπαλαίοντες. Non te, homo, regnum cœlorum incitat: non gehenna*
» *terret. Non aduertimus nos beſtiam immanſuetam delinire, & in forma huma-*
» *na cum peruerſo dæmone colluctari.*]

Reſipiſce, vigila quantum potes: ſtultos zelus igneus exſpectat. Nihil mirum eſt quenquam ægrotare: ſed morbum flocci pendere.

» Chrysost. *οὐ τὸ νοσεῖν χαλεπὸν, τὸ δὲ νοσοῦντα μὴ θεραπεύεσθαι, οὐδὲ τὸν ἕ-*
» *χοντα σηπεδόνα θρηνοῦμεν ἁπλῶς, ἀλλὰ τὸν ἔχοντα, καὶ εἰκῇ κείμενον, καὶ μὴ τυγχάνον-*
» *τος ἰατρικῶν χειρῶν. τὸν δὲ τεμνόμενον καὶ καιόμενον φαίημεν ἂν πρὸς ὑγείαν ὁδεύειν. οὕ-*
» *τω καὶ ἐπὶ τῆς ψυχῆς διακεῖσθαι χρή. οὐ τοὺς πειραζομένους (οὗτοι γὰρ πρὸς ὑγείαν ἕλκονται)*
» *ἀλλὰ τοὺς ἁμαρτάνοντας ἀτιμωρητὶ, θρηνεῖν δεῖ καὶ πενθεῖν. τῶν γὰρ πονηρῶν κολαζόν-*
» *των, προσεκτικώτεροι οἱ δίκαιοι γίνονται. Non eſt moleſtè ferendum quempiam malè*
» *habere: ſed cum malè habeat, non curari. Nec ſimpliciter vlceribus affectum la-*
» *mentamur: ſed ſic temerè iacentem ſine medicorum auxiliis. Eum porrò qui ſeca-*
» *tur, & vritur, ad ſanitatem tendere dicimus. Ita quoque quod ad animam atti-*
» *net, nos geramus cenſeo. Non eos qui tentãtur, ſed qui impunè peccant lugere ac de-*
» *flere oportet. Nam improborum animaduerſio, iuſtos ad officium attentiores*
» *facit.*]

Heb. 10. *Et horrendum eſt incidere in manus* Dei *viuentis*, iuxtaq; viuos ac mortuos incorruptè iudicantis, & cuique dignam factis mercedem per-
Deut. 4. ſoluentis. Etenim ignis eſt Deus, ignis vrens, & illuminans: inſipientes vrens, prudentes autem illuſtrans. Hic appropinquat, vt de omnibus iuſtam iudicij ſententiam ferat: tu verò dormitas, negligentiæ ſuccumbis, dormis, & obdormiſcis. idq; ſponſo neutiquam moran-
Matth. 25. te: & parato illo ad nuptias his qui digni fuerint, tu non habes ve-
Matth. 22. ſtem dignam vllo modo: ſed tota ſordibus, & maculis plena iaces, nec ablui purgarique ab his quæris. Iterum ac ſæpius tibi dico, ne contemnas, ne differas, ne peccata cumules.

» Chrysost. *ἡμεῖς μὲν βασιλείαν οὐρανῶν ἐπιθυμεῖν λέγομεν, ἐξ ὧν δὲ ἔστιν αὐ-*
» *τῆς ἐπιτυχεῖν οὐ φροντίζομεν. ἂν δὲ ὁ θεὸς ἴδῃ σου τὴν πεπυρωμένην ψυχὴν, τὴν διηγη-*
» *γερμένην προθυμίαν, ὁ αὐτὸς συνεφάψεταί σου τῆς διορθώσεως. οὐκ ἤκουσας αὐτοῦ λέγοντος,*
» *ἐν τῷ κόσμῳ θλίψιν ἕξετε. καὶ, πᾶς ὁ κόσμος χαρήσεται, ὑμεῖς δὲ λυπηθήσεσθε: Fa-*
» *temur quidem, nos regnum Dei deſiderare, ſed per quæ illud adipiſci queamus, no-*
» *bis ſollicitudini non ſunt. Quod ſi Deus inflammatum animum tuum, excita-*
Ioan 16. » *tam voluntatem viderit, ipſe te ad proficiendum iuuabit. An non dicentem audiuiſti,*

diuiſti, in mundo preſſuram habebitis, & mundus gaudebit, vos autem contriſtabimini?]

Prope eſt qui iudicat, cur iudicium non times? repente ſuperueniet, quid tempus fruſtrà conteris? Memor eſto eorum quæ patraueris, & emenda, & eſto vix tui memor, & te geras prouidè. Cognoſcis veritatem, noſti quid deceat. Si tamen affectionibus animum turbulentum non habes. Cognoſcis, quemadmodum peccatum adducat ſupplicium: virtuti autem deditum eſſe, contra voluptatem comparet. Tu ſecus egiſti, idque inſipienter. Peccatis dedita es, virtutis ſtudium fugis. Et deterioribus gaudes, bonis abſtines, neque cohabitatricem tuam ad eadem tecum pertrahis. Falx æſtatis aduolat, meſsis inſtat, regio albet maximè. Et quomodo coram iudice apparebis, quę fructibus cares, cùm opera mala ante te nuda ſtabunt? quæ omnia exhibebunt, & demonſtrabunt, quæcunque clandeſtinè, quæcunque palam deſignaſti, quibus deteriora nemo fecit ab orbe cõdito? Tempus tibi reſtat breuiſsimum, vt ex aſpectu tabernaculi tui patet. Etenim conſenuiſti, & ad metam tendis. *Memorare nouiſſima tua, & non peccabis.* Rogo, ignaua ne ſis. Noſce fictorem tuum, & quis te mecum, domina, copulauerit, & quæ inter nos mixtio, & quale iſtuc temperamentum. Et quis conditor, quis iudex, & mercedum diſtributor. Quis renes, cogitationes, & corda intueatur, & quis à ſordibus peccatorum mundare poſsit. Tempus eſt abluendi te, ad hoc enim ſpatium tibi conceſſum eſt. Noli celare amplius: dic tu primùm peccata tua & occulta, & aperta, ſeu verbo, ſeu opere commiſſa, quibus me miſeram tecum quotidie corrumpis. Quid ſi rapiaris, ſi hoc nexu ſoluaris antequam conuertare, & à principe latronum, vt infelix mancipium abducare, tuorum ſcelerum catenis impedita? Væ tibi, quantum tunc ingemiſces. Cum dictum ſit, *quos Deus coniunxit, homo non ſeparet*, neue penitus quiſquam id audeat, quid illo fiet, qui animam à tabernaculo ſuo prorſus diſtraxerit? quomodo non ſuppliciis, & quidem extremis afficietur? ſi igitur, vt dicebamus, repentina nobis ſeparatio (quod vtinam ne fiat) acciderit, & finis improuiſus, quomodo Leuitæ ex animo parum attento factum eſt, quam veniam conſequaris, abs te pendet. ANIMA. Quonam pacto ego ſola horum cauſſa ſum? & quomodo à me proficiſci delictum pronuntias? alius eſt, omnium Dominus, alius omnium conditor, ille colligauit, ille ſeparat: & ille vitæ ac mortis imperium habet: & huic quidem addit, alteri aufert, & quod melius eſt diſponit, & quod eſt vtile iudicat, hominumque vitam ſapientiſsimè regit. Quomodo igitur inſontem tu me tam audacter accuſas, & ſeparationem à te malè mihi obiicis? CARO. Rationi

Eccleſ. 7.

Hierem. 11.

Iſaia 43.

Matth. 19.

Hebr. 2.

tioni conſentanea, & vera admodum loqueris. Terminum vitæ alius omnibus emetitur: alius finem huius lucis, mortemque diſtribuit. Et aliis quidem annos apponit; ab aliis rurſum amputat, vt fe-
Iſaie 38. cit Ezechiæ regi, & improbo Balthaſar. Ego verò plurimos noui, qui
Daniel. 5. repente corruerunt in lege, & ante legem; rurſumque poſt gratiam, quibus peccare contigit, nec in viam rediiſſe, vt in barathrum, & profundum perditionis caderent, vitamque probam & honeſtam omnimodis neglexiſſe, & pro ea luxurioſam & improbam amaſſe. Et hæc tremens Dauid impensè rogabat clamans, *ne reuoces me in dimidio die-*
Pſalm. 101. *rum meorum.* Et filius eius Salomon, ne, inquit, eſto ſimilis impiis, & iniquis, nec duris corde, & incompatientibus. Et mali pereunt, inſuper mortibus immanibus; & tempeſtas veniet ad perniciem impiorum.

Ὅτι ὁ πλαγίως πρὸς τὸν Θεὸν πορευόμενος, καὶ ἐναντίος τοῖς ἑαυτοῦ νόμοις φαινόμενος, ἕξει αὐτὸν θυμῷ πλαγίῳ πρὸς αὐτὸν πορευόμενον. καὶ εἰκότως. μὴ ποιεῖ κακὸν, καὶ οὐ μή σε καταλάβῃ κακά. Qui obliquè ad Deum accedit, eiusq́; mandatis aduerſatur, ad eum viciſſim ille obliquè veniet. Et meritò. Ne facias mala, & non te comprehendent mala.

CHRYSOST. *Ὅτι ὁ ἐπὶ τοῖς πρώτοις ἁμαρτήμασι παιδευθεὶς, καὶ τῆς ἀφέσεως καταξιωθεὶς, εἰ πάλιν ἁμάρτῃ, χεῖρον τοῦ προτέρου κατασκευάζει ἑαυτῷ τὸ κρίμα τῆς ὀργῆς. ὅσῳ γὰρ μείζων ἡ δωρεὰ, τοσούτῳ ἀσύγγνωστος ἡ ἁμαρτία κρίνεται. ὁ γὰρ δικαστὴς, ἐὰν λαβὼν λῃστὴν καὶ κλέπτην ἡμαρτηκότα, καὶ παιδεύσας ἀφήσῃ, εἶτα πάλιν εὕρῃ τοῖς αὐτοῖς περιπεπτωκότα, μειζόνως κολάζει, καὶ πολλῷ πλέον, ὅτι μὴ καὶ τῇ προτέρᾳ συγχωρήσει βελτίων ἐγένετο. Qui ob præterita peccata pœnas dedit, veniaq́; dignatus eſt, ſi rurſum peccarit, maius ſibi iudicium iræ parat. Quanto enim maius eſt donum, tanto peccatum minus ignoſcendum iudicatur. Iudex enim, ſi latronem & furem comprehenderit, punitumq́; dimiſerit, ſi poſtea eadem ſcelera admiſiſſe inuenerit, longè acerbius punit: quandoquidem priore venia melior non euaſit.*]

Quod ſi vim verborum iſtorum noſſe vis, res mihi conſidera, quéadmodum cum verbis conſpirent. Reſpice ſuperiorũ temporum ho-
Geneſ. 19. mines, qui ſæculo Noë vixerunt: & rurſum Sodomitas, & qui humo
Numer. 16. abſorpti ſunt cum Chore, Dathan, & Abiron centum quinquaginta; quiq; in ſolitudine interierunt, tot myriades. Heli filios mihi cum his
1. Reg. 2. & 4. cõſidera, Phinees, & Ophni ſceleratiſsimos. His & plurimis aliis, quorum nomina edere erubeſco, improuisò & punctо temporis emori contigit. Tu, ſi volueris, omnino plures reperies, & quo pacto, & qua ex cauſſa interierint. Veruntamen vnum quiddam ſolùm, quod
Luca 13. etiam Chriſti eſt, tibi dicã. In Siloë fine improuiſo deleti ſunt viri peſtilentes, improbiſsimi, & moribus deteſtandi, & digni his, quæ iam ſignificauimus. Sic docet Verbum in ſermonibus de pœnitẽtia de iis,

qui

qui lapſu turris extincti ſunt, genere Iſraëlitæ decem & octo: idque propter peccata, & delicta, quib. obnoxij pœnas omnino dederunt. Et hoc addit, *ſi pœnitentiam non egeritis, omnes ſimiliter peribitis.*

MAXIMVS. *Ὅτι τῶν ἑκουσίων κακῶν τὰ ἀκούσιά εἰσιν ἔκγονα· οὐ γάρ ἐστιν ἁμαρτήσαντά τινα ἐκφυγεῖν τὴν μέλλουσαν κρίσιν ἄνευ ἑκουσίων ἐν τῷδε πόνων, ἢ ἀκουσίων ἐπιφορῶν. ὀργὴν κυρίου ὑποίσω, ὅτι ἥμαρτον αὐτῷ. Mala voluntaria, inuoluntaria generant. Non enim poteſt, qui peccauit, futurum iudicium ſine aut ſponte ſua hic ſuſceptis, aut extrinſecus illatis afflictionibus effugere.* Iram domini portabo, quoniam peccaui ei.] *Mich. 7.*

Alibi rurſus diſcipulis loquens Verbum, ſe vitem, illos palmites, *Ioan. 15.* patremque ſuum, alioqui conditorem, agricolam nominauit. Palmes fructum non ferens, mortifera ſectione exſcinditur, in ignem coniicitur, & ardet, & perit. Conſentanea his & conſequentia ſcribit Dauid. *Niſi conuerſi fueritis, gladium ſuum vibrauit, arcum ſuum tetendit, & parauit in eo vaſa mortis.* *Pſalm. 7.* Cernis, non pœnitentes, neq; conuerſi, & compuncti, quomodo malè pereunt, & inſuper damnantur interitu repentino, vt liquidiſsimè oſtendimus. Qui autem ſtudioſè ante obitum vitam ſuam, moreſque in melius formauerunt, & cum lacrymis, ac pœnis voluntariis pœnitentiam egerunt, miſericordiam impetrãt miſericordis domini: id quod cum è multis, tum è Niniuitis potiſsimùm apparet. *Iona 3.* Qui cum in cinere & ſacco pœnituiſſent, vitam conſeruarunt: & è Manaſſe, qui per fletum, & correctos mores ſaluatus *2. Para. 33.* eſt. Ex publicano, ex latrone, ex meretrice, ex filio prodigo: vt Dauidem, & Petrum magnos illos taceam, & (ne verboſa videar) plures prætermittam.

Ἀρετῆς γὰρ καὶ ἀγαθότητος ὀπαδὸς εὐφροσύνη καὶ χαρά· κακίας δὲ, καὶ ἁμαρτίας πόνος, καὶ θλίψις, καὶ κλαυθμὸς, καὶ ὀδύνη, καὶ λύπη. Virtutis enim, & bonitatis comites ſunt voluptas animi, & gaudium: vitij autem & peccati ærumna, afflictio, ploratus, cruciatus, mæſtitia.]

Num aliam præterea demonſtrationem requiris, an à me dictis contenta es, an incredula es, & ægrè fers pertinacia quadam Hebraica? ANIMA. Prorſus verbis tuis fidem habeo. Abſit enim à me, vt tam verè dictis fidem negem. Quomodo enim quiſpiam adhuc hæſitarit, & credere detrectarit? Quin vehementiſsimè dictis iſtis obſtupui & cohorrui: & omnia peccata ac delicta mea reputo. Reputo vt abs te audiui, iudiciumque tuum amplector. Dixiſti enim quod conducat, & in commune proſit.

CAPVT XI.

Qui hîc peccata ſua confeſſus non fuerit, eum alia via ſaluari non poſſe. Cur Petro ante alios claues tradita. Quid ſit pœnitentia. Notanda magnoperè quæ hîc de confeſſione ſacra differentur.

PORRÒ me præter alia hortaris, vt peccata mea ſpiritualibus patribus annuntiem, quibus me, & te fœdaui, & pro abſolutione ea confitear. Mihi autem primùm perquam difficile eſt hæc in memoriam reuocare. Deinde timor, pudor, dubitatio, & angor me impediunt, quo minus ſerie quadam, & ordine omnia, quemadmodum à me commiſſa ſunt, cõfitear: quæ arenam maris, guttas roris numero vincunt, & manent, & animam verſant. Quod ſi fortè in memoriam omnium rediero, & animo multitudinem complexus fuero, rurſum æſtuo, & tremor ac pudor me corripiunt. Confeſſuram turpitudinis opera, timor me inuadit, & horror exanimat. Hinc impensè angor ad declarationem occultarum peſtium, quas infelicisſimè tacitas habui: quas diebus, noctibuſque, quas volens & deliberatè, quas verbis voluntariis, quas apertè, quas clam, quas ignoranter etiam perpetraui. Quis hæc omnia dixerit? quis per ſpecies enumerarit?

» Ὥσπερ ἐν νηΐ, ὅταν μὲν ναύτης σφαλῇ, βραχεῖαν τὴν βλάβην τοῖς συμπλῦσι φέρει.
» ὅταν δὲ ὁ κυβερνήτης, κοινὸν ὄλεθρον τοῖς πᾶσι παρασκευάζει. οὕτως τὰ μὲν τῶν ὑπηκό-
» ων πταίσματα. οὐκ εἰς κοινὸν τοσοῦτον, ὅσον εἰς ἑαυτοὺς φέρει τὴν βλάβην. τὰ δὲ τῶν ἱερω-
» μένων εἰς πάντας ἀφικνεῖται. καὶ ὅτι πολλῷ χαλεπωτέραν ἔχει τιμωρίαν τὰ τῶν ἱερέων
» ἁμαρτήματα, ἢ τὰ τῶν ἰδιωτῶν. *Quemadmodum in naui, ſi nauta offenderit, ve-*
» *ctoribus parum nocet: ſi gubernator, commune omnibus exitium affert. Ita ſub-*
» *ditorum lapſus, non tam communi, quàm priuatim ſuum cuique detrimentum af-*
» *ferunt. Sacerdotum verò ad omnes perueniunt, multoq́ illorum, quam profano-*
» *rum delicta ſeuerius vindicantur.*]

» *De tractandis autem peccatoribus ſic ſcriptum eſt ab* ISIDORO. Οἱ τῶν
» ἰατρῶν ἄριστοι, ὅταν τινὰ περιέχηται τραύματα πολλά, τοσαύτην προσάγουσι θεραπείαν,
» ὅσην φέρει τοῦ κάμνοντος ἡ δύναμις· ἵνα μὴ τὰ τραύματα θεραπεύσαντες, τὸν κάμνον-
» τα διαφθείρωσι. μέγα μὲν ὄντως τὸ πταῖσμα, καὶ συγγνώμης μεῖζον. διὸ χρὴ κολάσαι μὲν
» τὴν ἐπιτιμίαν, συγγνώμην δὲ δοῦναι τάχα πως, ἵνα ἐπὶ θεραπείαν ὁδεύσῃ τὸ πάθος.
» *Medici excellentiſsimi, cum quempiam nacti fuerint oppletum vulneribus,*
» *tantum ei curationis, & medicinæ adhibent, quantum vires affecti patiuntur;*
ne, dum

ne, dum vulnera ſanare volunt, ægrotantem perdant. Magnum reuera eſt aliquod delictum, & impunitate maius. Ideo increpatio adhibeatur pro ſupplicio: venia autem detur celeriter, vt morbus ad ſanitatem procedat.]

Et tertius timor me inceſsit, ne cum totum dixero, aliis ad perniciem, & ſcandalum dicam, iterumq; iudicium velut à nobis incipiat: malumque reuertens, in caput meum recidat. Etenim ſi quis è vulgo aberrans peccauerit, ad ipſum ſolum damnum redundat, quoniam qui peccauit, in communi latere poteſt. At ſi quis ſtatu ſublimior, & ſacerdos deliquerit, malum ad omnes communiter pertinet. Inſuper timeo, & pudori mihi eſt apud ſanctum virum apertè edicere turpia flagitia. CARO. Nihil eſt penitus, cur formides. Quanquam enim pater eſt, cui peccata tua confiteris, tamen & ipſe natura homo eſt, tibique carne, & ſpiritu ſimilis: etſi alioqui vitæ rationibus, familiaritate cum Deo, vt virtutis cultor, diſtet abs te plurimùm. In humilitate, in contritione cordis te ad pedes eius abiice, ab imo pectore clama, ingemiſce, quantumque potes recenſe omnia. Ne confundare, ne perturbare, ne concutiare. Quæ clauſa habes, patefacito, & diutius tacere noli. Opera tenebrarum in lucem profer, vt de cętero in tenebris peccatorum ne ambules. Etenim, etſi naturam humanam geſſerit, quemadmodum gerit, is, cui tu cogitationes tuas enuntias & committis, tamen Dominus tunc inaſpectabili modo præſens, veniam, & abſolutionem impertit.

CHRYSOST. *Τίς καυχήσεται ἁγνὴν ἔχειν τὴν καρδίαν; ἢ τίς παῤῥησιάσεται καθαρὸς εἶναι ἀπὸ ῥύπου; πάντες τοίνυν ἐλέους δεόμεθα· ἀλλ' οὐ πάντες ἄξιοι τοῦ ἐλεηθῆναι. καὶ γὰρ εἰ καὶ ἔλεος δεῖ, ἀλλὰ καὶ τὸν ἄξιον ἐπιζητεῖ, κατὰ τό, ἐλεήσω ὃν ἂν ἐλεῶ, καὶ οἰκτειρήσω, ὃν ἂν οἰκτείρω.* Quis gloriabitur caſtum ſe habere cor? aut quis mundum ſe à ſordibus liberè profitebitur? *omnes igitur miſericordia egemus: ſed non omnes miſericordia digni ſumus. Etenim quanquam miſericordia non deeſt, nihilominus dignum ſe poſtulat; iuxta illud:* miſerebor cuius miſertus fuero: & clemens ero, cui clemens fuero. IDEM. *Οὐδὲν γὰρ οὕτως ὀλέθριον ἁμαρτίας, ὡς κατηγορία, καὶ κατάγνωσις. σπουδάσωμεν μὴ πλημμελεῖν. εἰ δὲ πλημμελήσωμεν, μὴ διὰ τῆς ἀρνήσεως, καὶ ἀποκρύψεως τοῦ πάθους ἀργαλεωτέραν ἑαυτοῖς τὴν δίκην παρασκευάσωμεν. Peccato nihil exitioſius accuſatione & condemnatione. Demus operam ne peccemus. Si peccauerimus, ne per negationem & occultationem malè commiſsi nobis ipſis pœnam exaggeremus.*]

Prou. 20. *Iob 33.* *Exod. 33.*

Imitare manſuetum Dauidem, regem & Prophetam: *peccaui Domino*, clamat ex imo corde. Et mox audit, *& Dominus tranſtulit peccatum tuum*, Nathane diuino prudenter huic rei ſubſeruiente. Scriptum eſt, *dic tu primùm iniquitates tuas, vt iuſtificeris.* An enim, ſi tu dicere nolis, Dominus eas non videt? Et quî tandem, qui videt, & prænoſcit omnia?

1. Reg. 12. *Iſaia 43.*

Qui tamen non abſq; pudore temporario te à futuro pudore liberari vult. Fidelis eſt Dominus. Si tantummodo enunties peccata tua, omne debitum dimittet tibi, ſicut dixit. Nam quod manifeſtatur, etiam lux eſt manifeſtè. *Confitemini alterutrum peccata veſtra, & orate pro inuicem, vt ſaluemini.*

Matth.18. *Iacobi 5.*

» CHRYSOST. *Σώματα μὲν γὰρ θεραπεῦσαι νενοσηκότα οὐ παντὶ ῥᾴδιον· ψυχὴν δὲ*
» *ἀῤῥωστοῦσαν ἰάσασθαι, ῥᾴδιον παντί. καὶ ἡ μὲν τοῦ σώματος ἀῤῥωστία καὶ φαρμάκων δεῖται, καὶ*
» *ἀργυρίου πρὸς εὐπορίαν. ἡ δὲ τῆς ψυχῆς ἀῤῥωστία εὔωνος, καὶ ἀδάπανος εἰς θεραπείαν,*
» *ἀρκεῖ γὰρ θέλησις μόνον, καὶ βουληθῆναι, καὶ πάντα κατορθοῦται εὐχερῶς. ἡ γὰρ ὁμολογία*
» *τῶν ἁμαρτημάτων, ἀφανισμὸς γίνεται τῶν πλημμεληκότων. Corpora enim morbo*
» *affecta curare, non eſt cuiuis facile: at verò animam ægrotantem ſanare, quiuis ſinè*
» *magno negotio poteſt. Et ad corporis quidem aduerſam valetudinem depellendam*
» *medicamentis, & pecunia opus eſt: anima autem paruo pretio, & nullo ſumptu con-*
» *ualeſcit. Sola quippe voluntas ſatis eſt, qua omnia expeditè & cum virtute confi-*
» *ciuntur. Nam confeſsio iis qui peccauerunt peccatorum fit abolitio.*]

Eſaia 58. *Adhuc te clamante, ecce adſum*, ait tibi, & præuenit. Chriſtus Deus appropinquat iis magis, qui ei ſtudent eſſe proximi. Fidelis eſt Dominus in verbis, & in operibus ſuis. Alia via mihi benignitatem Domini conſidera, qua peccantibus ianuam aperit: non enim regni cœlorum claues alteri tradidit, quam Simoni Petro, qui ipſum pernegauerat. ANIMA. Quo iudicio, quibus rationibus adductus eſt, vt id faceret? & cur non eas dilecto, ac virgini, cur non charo fratri tradidit, Iacobo videlicet, aut eius cognomini? Petro, qui ipſum negauerat, eas committit. CARO. Diſce igitur rationem eius quod interrogas. Et ex eo rurſum VERBI propenſionem ad miſericordiam, clementiam ineffabilem, miſerationum multitudinem, quibus erga lapſos vtitur, qui eſt natura miſericordiſsimus, cognoſce. Vt enim lapſos, lapſuroſúe aliquando liberaret, & ad pœnitentiam ex timore, turbatione, & tremore ac timiditate animoſiores redderet, non alteri alicui ſibi obſequentium: ſed Petro potiſsimùm, qui ter eum negauerat, claues illas cœleſtes dedit: vt ille, ſi alios deinceps cecidiſſe, & per pœnitentiam pulcherrimè reſurgere, lachrymiſque maculas abluere, & violenter regnum ſupernum rapere audiret, verborum Domini ad ſe, & quomodo ſtatim cecidiſſet, cribratus vt triticum, memor, & exemplo ad compaſsionem promptior, lapſis, iterumque ſe erigentibus, ſine moleſtia, ac promptè cœleſtem ianuam reſeraret.

Matth.16. *Ioan.21.* *Matth.11.* *Luca 12.*

» ISIDORVS. *Καὶ τὸ μὴ μεταγινώσκειν πταίοντα ὀλέθριον, καὶ τὸ ἀπογινώσκειν ὀλε-*
» *θριώτερον. τὸ μὲν γὰρ ἀπὸ ῥᾳθυμίας, τὸ δὲ ἀπὸ ἀναλγησίας γίνεται. ὅσῳ δὲ ἀναλγησία ῥα-*
» *θυμίας χαλεπώτερον, τοσούτῳ ἀπόγνωσις ῥᾳθυμίας ἀργαλεώτερον. τὸ μὲν γὰρ ἀνήκεστόν*
» *ἐστι κακόν· τὸ δὲ εἰς θεραπείαν βαδίζει, ἐπεὶ τὸ μὲν κρίσεως ἐστι διεφθαρμένης· τὸ δὲ πα-*
ραλογισμοῦ.

παραλογισμοῦ, καὶ ἀπάτης. ῥαθυμία δὲ, καὶ ἀναλγησία δύο ἀργαλεώτερα κακά. In peccatum prolapſo pernicioſum eſt non pœnitere, pernicioſius deſperare. Nam cum illud ab ignauia, hoc à ſtupore & ſtoliditate proficiſcitur. Quanto autem ſtoliditas ignauia eſt calamitoſior, tanto deſperatio ignauia eſt nocentior. Illud quippe malum eſt immedicabile: hoc curationem admittit. Si quidem illud iudicij eſt corrupti: hoc falſæ ratiocinationis. Sunt autem ignauia, & ſtoliditas duo infeſtiora mala.]

Anima. Gloria Deo meo, gloria Chriſto meo, cuius clementia, & patientia nondum adeſt finis vltimus. Caro. Quoniam igitur plenè didiciſti, quam ob cauſſam Chriſtus Petrum, tradendis ei clauibus maioris æſtimarit, in eoque alios omnes diſcipulos prætererit, viriliter age: ne cadas animo: Petri exemplum tibi propone, qui nihil neglexit, nec diſſolutè egit: nec rem cunctando procraſtinauit: neque propter delictum ſocordiæ indulſit: nec dolorem poſthabuit, quo multo erat opus ob id, cuius gratia à diuinis ſeptis; & à parte Chriſti illa deſiderabili abiectus erat. Sed celerrimè ad ſanitatem reuerſus, & malum ſuum cognoſcens, vt cordatus, vt conſtans, vt fidens animi miles, lucta inſtauranda victorem ſuum vicit: & qui aduerſus ſe inſurrexerat, eum proſtrauit. Nam qua nocte cecidit, eadem reſurrexit.

Isidorvs. *Ἐπειδὴ ἐπέστειλας ποῦ τραποίμην, καὶ ποῦ βαδιοίμην, φαίην ἔγωγε, ὅτι εἰς μετάνοιαν, αὕτη γὰρ ἀκρόπολις ἔσται ὑψηλὴ καὶ μετάρσιος, καὶ ἀπορθήτοις τείχεσι περιπυργωμένη πάντοθεν. Quoniam quæſiſti per epiſtolam, quò te verteres, quò ires, reſpondeo ego, ad pœnitentiam. Ipſa enim arx tibi erit excelſa, & ſublimis, & muris inexpugnabilibus, atque in modum turrium altiſſimis vndique circumdata.*]

Ne proinde cunctare, ſed quam habes in conſpectu viam, ingredere. Vade viam, quæ te ad pœnitentiæ altitudinem ducit. Et, ſi cadis, reſurge: ſi dormis, expergiſcere, propoſitumque ac voluntatem muta in melius, & veniam adipiſcere, quandoquidem penes te (aut penes quem alium?) eſt creatoris venia, qui ſolus habet poteſtatem dimittendi peccata. Hîc enim abs te committuntur, & rurſum abs te omittuntur. Hîc remiſsionem, & abſolutionem accipiunt. Nam quæ confeſsio apud inferos? Hîc pœnitentiam arripe, & omnia tibi condonantur; & tunc clauiger tibi ianuam reſerabit. Anima. Quam ſupra & infra, ac toties prædicas pœnitentiam, doce me quænam ſit; & quomodo ſalus mea in hac ſola ſita ſit, perque eam ſolam, non per aliud acquiratur. Caro. Pœnitentia à me dicitur, & eſt, à diabolo ad Dominum per ſudores & labores exercitationis alicuius reuerſio. Ad bonum in abſtinentia à malo conuerſio; cum quis percurſis tenebris peſsimis, quibus obnoxius, omnigenis paſsionibus ſeruiuit, recurrerit ad Deum, ab his quæ ſunt præter naturam, vt prudens, reuerſus ad

Lucæ 5.

Pſal. 6.

ea quæ

ea quę ſecundùm naturam ſunt. Hæc eſt aperta mutatio mentis & pœnitentia; reuocatio, reſurrectio à peccato; ſeu pactum cum Deo vitæ
Ezech.36. melioris. Sermo autem Prophetæ eſt, immò Saluatoris. Poſtulat enim conuerſionem vt conuertatur, noſtram erga ipſum, & eius ad nos. Miſericors, inquit, ſum, & diligens miſericordiam natura, longanimis, diligens viſcera miſericordiæ, benignus, filiorum amans, paratus conuerti propter humanas nequitias. Hæc ipſa etiam Dauid pſalmographus ſcribit.
Pſal.30. *Declina à mala, & fac bonum.*

,, Chrysost. *Οὐ ταὐτὸν ἁμαρτημάτων ἀπαλλαγῆναι, καὶ δίκαιον εἶναι, ἀλλ'*
,, *ἕτερον μὲν τοῦτο, ἕτερον δὲ ἐκεῖνο. οὐ γὰρ ἀρκεῖ τὸ πονηρίας ἀποστῆναι πρὸς τὸ γενέσθαι δίκαιον.*
,, *ἔκκλινον γάρ φησι ἀπὸ κακοῦ, καὶ ποίησον ἀγαθόν, τῷ ἐκκλῖναι τὸ ποιεῖν εὐθὺς συνεπα-*
,, *γόμενος τἀγαθὸν, ἢ καρποὺς ἀρετῶν.* *Non idem eſt à peccatis deſinere, & iuſtum eſſe,*
,, *ſed aliud hoc, aliud illud. Non enim ſatis eſt diſcedere ab improbitate, vt iuſtus fias.*
Pſal.30. ,, *Ait namq;*, declina à malo, & fac bonum, *vbi illi*, declina, *ſtatim*, bonum,
,, *ſeu fructus virtutum ſubiungit.*

,, Basilius. *Τοῖς μετανοοῦσιν οὐκ ἀρκεῖ πρὸς σωτηρίαν ἡ ἀναχώρησις μόνη τῶν*
,, *ἁμαρτημάτων. χρεία δὲ αὐτοῖς καὶ καρπῶν ἀξίων τῆς μετανοίας. οὐ γὰρ ὁ καλῶς ἀρχόμενος, καὶ*
,, *καλῶς μετερχόμενος, οὗτος τέλειος καὶ μακάριος· ἀλλ' ὁ καλῶς ἀποθέμενος τὸν βίον, καὶ*
,, *θεαρέστως διαπεράνας. ταῦτ' οὖν εἰδότες, εἰς τὸ τέλος μὴ διαφθείρωμεν. Pœnitentibus re-*
,, *cedere tantùm à peccatis, ad ſalutem minimè ſufficit: ſed eos etiam fructus pœniten-*
Matt.10. ,, *tiæ dignos facere neceſſe eſt. Non enim qui bene incipit, ſeq; bene exercet, hic perfe-*
,, *ctus, & beatus eſt: ſed qui bene claudit vitam ſuam, & ita vt Deo placet, ad finem*
,, *perducit. Hæc cum ſciamus, in fine ne corrumpamus.*].

Rom.6. Ferme eadem Paulus ad Romanos ſcribens mandauit. Membra veſtra exhibuiſtis ad ſeruiendum peccatis, membra, inquam, Chriſti, capitis omnium. Verùm age, aptate ea ad ſeruiendum Verbo. Quomodocunque & huic ſeruiant membra. Porrò vir quidam ſpiritualis, animo feruenti, ad Dominum rurſus ita clamare auſus eſt; *dignare me Domine & te quodam modo diligere, ſicut peccatum dilexi, heu mihi, & tibi ſeruire puro Domino prompto animo ac ſtudio, ſicut peccatis ſeruiui.* Si quis ita ſe conuertens alacriter ſe conuerterit, meritò dicetur pœnitentiā agere. Quod ſi mens vt mancipium in habitu conſueto dominationem, & tyrannidē patiatur, cum cogitationibus & opinionibus non bonis, impulſibus, & luctis, quibus cum commercium habens, voluptatibus inquinatur, & inde in corde paſſiones morabuntur, nec virtus ibi eſt inde emergendi (quandoquidem paſſionibus impeditæ cogitationes eam vnà ſecum trahunt) nec eſt reuocatio, aut memoria conuerſionis. Quî enim eſſet, cum tanta abſurdorum turba oppreſſa teneatur?

,, Isidorus. *Διὰ τοῦτο καὶ Ἰωάννης ὁ πρόδρομος τὴν ἐξομολόγησιν πρὸ τοῦ βα-*
πτίσμα-

πίσματος ἐπιζήτει, ἐπὶ τῶν εἰσερχομένων. οὐκ αὐτὸς ταύτης δεόμενος, ἀλλὰ τὴν τῶν εἰσερχομένων σωτηρίαν πραγματευόμενος. ἀδύνατον γάρ τινι ἀφέσεως τυχεῖν, πρὸ τῆς τῶν πλημμελημάτων ἐξομολογήσεως. ὅτι ταπεινώσεως ἐστὶν ἀληθῶς τοῦτο αἴτιον. Idcirco & Ioannes Præcurſor confeſsionem ante baptiſmum requirebat in his, qui ad ſe confluebant. Non quod ea indigeret: ſed ad ſe aduentantium ſalutem ita efficere ſtudebat. Nemo enim antequam peccata ſua confiteatur, ſalutem poteſt conſequi: hoc ſiquidem reuera humilitatem gignit.]

Sed ne ſic quidem conſternari debes: deſperandoque concidere: ſed occurrere, & rationes, quantum potes, reponere, vt ne illam in vltimas tenebras deuolui patiare. Qui enim minoribus victus cadit, eius mores etiam in maiora corrumpuntur. Qui verò leuioribus reſiſtit, etiam grauioribus aduerſabitur. Nam ſi parua debellaueris, maiora qui te appetent? ANIMA. Docuiſti, idque ſatis, ſpiritualibus Patribus peccata confitenda eſſe, cogitatione, verbo, opere commiſſa; quod quidem ad ſalutem conducit vehementer, faciendumque eſt omnibus, quibus ſua ſalus curæ eſt. Ego porrò noſſe deſidero, vbi hac de re ſcriptum ſit; num lex de eo vetus, aut noua extet, quæ nos viris ſpiritualibus hortetur exponere, quid noctu, & interdiu egerimus. Audiui enim nuſquam id literis mandatum reperiri: nec opus eſſe, hominibus cogitata enuntiare: ſed ſoli puro Domino. CARO. Negligens, & iners mihi videris, neq; ſcrutari ſcripturarum oracula. Quod ſi Patres tuos, vt ſcriptum eſt, interrogares, ipſis annuntiantibus rem *Deuter.32.* totam vti ſe haberet cognoſceres, & nunc haud imperita & indocta appareres. Quod ſi & hoc te latet, ego tibi pandam. Pentateuchum, id eſt, quinque libros Moſes ille Dei ſpectator Hebræis conſcripſit, Geneſin, Exodum, Leuiticum, Numeros, Deuteronomium. In Numeris igitur etiam hoc præter alia poſuit. *Locutus eſt Dominus ad Moyſen, dicens. Loquere filiis Iſraël, Vir ſiue mulier cum fecerint ex omnibus peccatis, quæ ſolent ho-* *Num.5.* *minibus accidere, & per negligentiam tranſgreßi fuerint mandatum Domini, atque deliquerint, confitebuntur peccatum ſuum, & reddent ipſum caput, quintamq; partem deſuper ei, in quem peccauerint. Sin autem non fuerit qui recipiat, dabunt Domino, & erit ſacerdotis. Et hæc quidem in libro Numerorum.*

THEODORETVS. *Κελεύει γὰρ τὸν ἔν τισιν ἠδικηκότα πρῶτον ἐξαγορεῦσαι τὴν ἁμαρτίαν, εἶτα τῷ ἠδικημένῳ τὸ ληφθὲν ἀποδοῦναι. εἰ δὲ συμβαίη τὸν ἠδικημένον πρὸ τῆς τοῦ ἠδικηκότος μεταβολῆς καὶ μεταμελείας καταλῦσαι τὸν βίον, ἐκδοῦναι ταῦτα ἄγχιστα ὄντι, ἤγουν τῷ τῷ γένει προσήκοντι. εἰ δὲ τούτων μηδεὶς εἴη, μηδ' εὑρίσκοιτο συγγενὴς, τῷ Θεῷ προσενεγκεῖν διηγόρευσε. τὸ δὲ πλημμέλημα τὸ ἀποδιδόμενον τῷ κυρίῳ, τῷ ἱερεῖ ἔσται. Iubet enim eum qui alteri in re quapiam nocuit, primùm confiteri peccatum; deinde eidem ablatum reſtituere. Quod ſi contigerit, eum cui illata eſt iniuria, ante vita defungi, quam noxius pœnitentiam egerit, id cognatione proximo reddere. Quod ſi nullus*

 fuerit,

„ *fuerit, nec inueniatur cognatus, Deo offerri. Quod autem pro peccato redditur, cede-*
„ *re in vſum ſacerdotis.*]

Quod ſi plura teſtimonia deſideras, Dauidis librum, Salomonis, omniumque aliorum Prophetarum attentè perlege: omnibus enim quiddam ſuper hoc inſertum eſt, oportere omnes, vtriuſque ſexus, admiſſorum confeſsionem obire, & quantum poſſunt, eò alios adducere. Nec verba Verbi ac Domini audiſti, qui longè clariſsimè de hoc ſanxit? Nec quæ hortati ſunt, & ſcripſerunt Apoſtoli, præcones Verbi: nec quæ magiſtri, & primi Patrum? Vt paucis dicam, omnes hortantur, clamant, & vniuerſos ad annuntianda ipſorum cogitata, dicta & opera inuitant: non eſt enim aliud, vt diximus, principium pœnitentiæ, niſi occulta ſpiritualib⁹ viris detegere, ſicut & Dominus ad Moſen dixit. En docui quæ dicatur pœnitentia, & quæ ſit, & vnde. Si ergo vis, accede, pœnitere incipe. Nihil eſt quod impediat, nihil quod prohibeat. Verùm audi, & extremum ſermonis mei pernoſce. Verbum eſt
Ioan. 15. Chriſti. *Si non veniſſem,* inquit, *& eis locutus non fuiſſem, peccatum non haberent. Nunc autem excuſationem non habent de peccato ſuo.* Quod dictum ad te, tuique ſimiles pertinet.

„ Isidorvs. Ὁ μὴ πειθόμενος κορυφαίῳ χορὸς, ἄμουσος· καὶ ὁ μὴ πειθόμενος
„ ἄῤῥωστος ἰατρῷ, ἄθλιος. ὁ δὲ κορυφαῖος, καὶ ὁ ἰατρὸς ἔξω ἁμαρτίας ἐστίν. καὶ γὰρ καὶ αὐτὸς
„ ὁ χριστὸς τοῖς Ἰουδαίοις πολλὰ παρῄνει, καὶ αὐτῷ τῷ Ἰούδᾳ. τί οὖν; ἔπεισεν; οὐδαμῶς· ἐπειδὴ
„ τοῦ πεισθῆναι καὶ μὴ, τοὺς ἀκούοντας κυρίους εἶναι δεῖ, διὰ τὸ τῆς αὐτεξουσιότητος ὄρεξιν. τοῦ μὲν
„ διδάσκοντός ἐστι, τὸ μηδὲν παραλεῖψαι τῶν φερόντων εἰς πειθώ. τῶν δὲ ἀκροωμένων τὸ
„ πεισθῆναι. τοῦ γὰρ λέγειν ἐστὶ κύριος, οὐ τοῦ πεῖσαι ὁ διδάσκων. ἆρ' οὖν καταιτιασώμεθα τὸν Χρι-
„ στὸν, ὅτι οὐκ ἔπεισεν, ἢ οὐκ ἔσωσε τὸν Ἰούδαν, καὶ τοὺς ἑβραίους τοὺς τότε; οὐμενοῦν. *Qui non paret*
„ *rectori ſuo chorus, abſurdè, & inconcinnè canit: & ægrotus, qui non obtemperat me-*
„ *dico, miſer eſt. Rector autem, & medicus culpa vacant. Nam & ipſe Chriſtus cum*
„ *Iudæos, tum Iudam crebrius officij monuit: tamen non eis perſuaſit. Perſuadeantur*
„ *enim nec ne auditores, ipſorum debet eſſe poteſtatis, propter arbitrij libertatem vi-*
„ *delicet. Docentis munus eſt, nihil prætерire eorum, quæ ad gignendam perſuaſionem*
„ *valent: audientium, perſuaderi. Etenim qui docet, dictionem, non item perſuaſio-*
„ *nem in poteſtate habet. An igitur Chriſtum accuſabimus, quia Iudæ, & Hebræis*
„ *non perſuaſit, nec eos ſaluauit? neutiquam.*]

Anima. Optimè doces omnia, egoq; admitto & amplector, ac de cætero ſociam, & opitulatricem vitæ agundæ, & conſiliariam, & contubernalem te aſciſco: tantum quæ conuenit diſſere, vt ambæ purgemur à ſordibus, & pro viribus ad Dominum in ſuperna curramus. Nec in poſterum vt pullus infrænis, aut rabioſa Scylla, tibi reſiſtam. Quod ſi ambæ in ſcelus ruemus, & ego tecum puniar, & tu vnà multaberis. Quandoquidem nos vnum eſſe animal planum eſt, è carne &

ne & ſpiritu conflatum, *quæ ſibi inuicem aduerſantur.* Veruntamen vna eſt vita, & actio vna penitus, & iudicium, & damnatio, & ſupplicium vnum. Cùm autem hinc diſceſſerimus, tolletur actio, nihilque vel boni, vel mali operabimur. Galat. 5.

BASILIVS. Διττὴν ἐγὼ τῆς ψυχῆς τὴν ἐνέργειαν λέγω. τὴν μὲν ζωτικήν τινα τοῦ σώματος, τὴν δὲ θεωρητικήν τινα τῶν ὄντων. ἣν δὴ καὶ λογιστικὴν ὀνομάζομεν. ἀλλὰ τῆς μὲν ζωτικῆς δύναμις οὐκ ἐκ προαιρέσεως χωρεῖται, ὥσπερ γὰρ ἥλιον ἐκλάμψαντος οὐχ οἷόν τε τὸ μὴ φωτίσαι τοῦτο, καθ᾽ οὗ τὰς αὐγὰς ἤνεγκεν· οὕτω ψυχῇ ἀμήχανον μὴ ζωοποιεῖν σῶμα ᾧ ἂν ἐγγένηται. ἡ δὲ θεωρητικὴ δύναμις ἐν προαιρέσει ἔχει τὴν δύναμιν, ἡ δὲ κακία οὐδὲν ἕτερόν ἐστιν, ἀλλ᾽ ἢ ἀπόληψις, καὶ ἀπουσία ἀρετῆς. *Duplicem aio animæ functionem eſſe, vnam quidem vitalem corporis: alteram rerum contemplatricem, quam & ratiocinantem appellamus. Sed vitalis illius virtus à voluntate non procedit. Nam quemadmodum ſole illuceſcente non poteſt non illuminari, in quod ille radios ſuos proiicit: ita non poteſt anima non viuificare corpus illud, cui inſita fuerit. Contemplatrix verò à voluntate vim ſuam accipit. Improbitas autem aliud nihil eſt, niſi virtutis interclusio, & abſentia.*

ISAAC. Ὥσπερ ἐν τῇ πλάσει ἐν πρώτοις, προηγήσατο ἡ πλάσις τοῦ σώματος τοῦ ἐμφυσήματος· οὕτω τὰ σωματικὰ ἔργα χρὴ προηγεῖσθαι τοῦ ἔργου τῆς ψυχῆς. *Sicut cum primi homines fingerentur, prima fuit corporis fictio, deinde ſecutum eſt ſpiraculum: ſic opera, ſeu actiones corporeæ actiones animæ præcedere debent.*]

CARO. Vt me occupas, & trahis quo vis? Nec poſſum tibi vt famula non obſequi. Age vt libet, non me excuſo. ANIMA. Duc me ad meliora, & adiuua me. CARO. Fias bene placens, & probata conditori; & ego opera tecum promptè capeſſam. ANIMA. Pudor, & timor futurarum pœnarum me tenet, à quibus liberari magnoperè cupio. CARO. Tu opera verbis congruentia demonſtra. ANIMA. Vnum antea verſum profari me æquum eſt. Ita diſſeras velim, vt etiam aptè conuenienterque exordiare. CARO. Quînam me famulam loqui deceat, ante dominam clariſsimam, multoq; excellentiſsimam? Vereor ne id temeritati potius adſcribatur. ANIMA. Aſt ego iubeo, obtempera, & ſine mora prior dicito. Nam pro inſtrumento mihi es, & te verba facere oportet, mihique linguam ad ſermonem commodare, citra quam nec quidquam omnino proloqui, nec Deum, vt decet, cantare, ac laudibus celebrare queo. CARO. Quoniam præcipis, obſequor; tu fac attendas. Ex virtute tanquam genere quodam duo oriuntur: quorum aliud πρᾶξις ſiue actio, aliud θεωρία, ſiue contemplatio nominatur, per quas quis ad virtutis exercitationem eleuatur, & ad intimam Verbi amicitiam prouehitur. Ad praxim igitur tibi auxiliabor, nam theoria tua ſolius eſt.

Ἡ γνῶσις δεῖται τῆς πρακτικῆς, καὶ ἡ πρακτικὴ τῆς γνώσεως. ὅθεν φησὶ ὁ κύριος, ὃς

„ ἂν ποιήσῃ καὶ διδάξῃ, οὗτος μέγας κληθήσεται ἐν τῇ βασιλείᾳ τῶν οὐρανῶν. εἰ γὰρ ἤρκει πρὸς
„ τελειότητα τὸ ποιῆσαι μόνον, καὶ χωρὶς τοῦ διδάξαι, ἢ τὸ διδάξαι μόνον ἄνευ τοῦ ποιῆσαι,
„ οὐκ ἂν ἄμφω συνέζευξε, λέγων, ὃς ἂν ποιήσῃ καὶ διδάξῃ. φησὶ γὰρ ἡ γραφὴ, ὡς ἤρξατο Ἰησοῦς
„ ποιεῖν τε καὶ διδάσκειν. *Cognitio indiget actione, & actio cognitione. Vnde ait Domi-*
Matth.5. „ *nus.* qui fecerit, & docuerit, hic magnus vocabitur in regno cœlorum.
„ *Si enim ſuffeciſſet ad perfectionem facere tantum abſque docere, aut docere ſolum ſi-*
„ *ne facere, non ambo coniunxiſſet, his verbis,* quicunque fecerit, & docuerit.
Actor 1. „ *Ait enim Scriptura,* Ieſus cœpit facere & docere.]

Anima. Incipe igitur, vt potes, à praxi, tametſi praxin theoria antecedit. Caro. Nec enim quiſquam ad theoriam venire poteſt, niſi prius ad finem practicæ venerit. Incipiendum igitur tibi, & ſtudendum in primis huic, laborandumque in gemitibus, in lamentis, in luctibus, in lamentationibus, influentis lachrymarum, in oratione conſtanti, in pſalmodia ſtabili, in chameunia humili, in maceratione carunculæ, in contritione vera, in ieiunio ſeuero, in lectione ſcripturarum, in earum meditatione, & notitia, in peruigilatione continua, in opere manuum, in manuum eleuatione, in genuum inclinatione,
Luca 18. in forma diuina ſanctæ crucis exprimenda. Pectus libenter percute,
Pſal. 111. vt percuſsit publicanus. Diſtribue facultates pauperibus, vt ſcriptum
2. Cor. 9. eſt, & omne bonum opus quod poteris, hoc facito.

„ Chrysost. Οὐ γὰρ ἐκ χάριτός ἐστι σωθῆναι μόνον τινά, ἀλλὰ καὶ ἐκ πίστεως
„ χρείας καὶ ἀρετῆς. ὥσπερ γὰρ τοῦ πυρὸς ἴδιον τὸ θερμαίνειν, καὶ ἡλίου τὸ φωτίζειν, οὕτω καὶ θεοῦ
„ εὐεργετεῖν, ἀλλὰ καὶ πολλῷ πλέον ἤπερ ἡμᾶς ἐθέλομεν. ἔνθα γὰρ χάρις ἐστὶν, ἔργα οὐκ ἔστι καὶ
„ ἔνθα ἔργα, οὐ χάρις ἐστί. καὶ ἔνθα χάρις, οὐ χρὴ μέγα φρονεῖν. *Non enim ex gratia tãtum, ſed*
„ *etiam ex fidei, & virtutis vſu ſalus comparanda eſt. Etenim vt ignis proprium eſt*
„ *calefacere, & ſolis illuſtrare; ſic Dei benefacere, & multo plus quam nos velimus. Vbi*
„ *etiam gratia eſt, opera non ſunt, & vbi opera, gratia non eſt. Vbi autem gratia eſt,*
„ *ſuperbire non oportet.*

Anima. Oratione tua in me officioſa candide fuiſti. Quod ſi & operibus me delectare volueris, tum reuera & adiutrix mea vocabere. Caro. Fidere tantummodo te oportet, fidere, inquam. Mouere ad Dominum motu operum, ad eum ſurſum reſpiciens, & omnino ipſe dabit. Et accede, & fide non procraſtinata ad veſtigia conditoris tui procũbe, clamans cum lachrymis. Tu, Saluator, ineffabili tua exinanitione inſtauraſti, tu, Domine, ſaluaſti naturam hominum è manibus inimici, & ex ſeruitute. Tu ſalua me rurſum gratia tua: es enim Deus ſalutis. Si enim ex operibus me ſaluaueris, erit iſta compenſatio, non gratia, manifeſtaque retributio. Mihi autem nullum adeſt opus bonum. Ipſe ſolus bonus, ipſe natura miſericors, & tantum fidem requiris, & tantum charitatem vis. Si fides tantum redemptio eſt, etiam

ipſis

ipſis deſperatis, fidem habeo, ſalua me, es enim Deus ad ſaluandum. Fides eſt mihi pro opere, fidem pro opere ſuſcipe. Sufficiat tibi fides, quam & ſolam tibi offero. Si enim quoquo modo abſtrahere me ab omnipotenti potentia tua peſsimus tyrannus Belial potuerit (prô audaciam, prô impudentiam) efferretur, & gloriabitur vehementer. Seu igitur voluero, ſeu non voluero, ſalua me; *citò anticipent me miſericordiæ tuæ*. Tu es Deus meus ab vtero, tu cuſtos, tu ſeruator meus. Hæc ſi compuncta dixeris: ſi è profundis clamaueris: ſi ex animo lamenta & lachrymas, & gemitus fuderis, audiet te, & parcet, & ſaluabit, & liberabit, nam liberator eſt Dominus, & animorum Saluator ſolus. Habe ſpes bonas, & exſpecta optima.

Pſalm. 78. & 21.

Daniel. 6.

CAPVT XII.

Exempla Manaſsis, & Dauidis pœnitentium, & ſalutem conſecutorum.

ANIMA. Verùm ego omnes mortales peccando ſuperaui: omnes peccatis omnigenis prętergreſſa ſum; filium prodigum, principem latronem, meretrices, & publicanos, Sodomitas inſuper, & Niniuitas. Omnes qui temporibus Noe vixerunt, & qui inde ab Adamo primo hucuſque procreati ſunt. Et metuo, ne ſeductor me deuoret. CARO. Ne adeò timeas, ne ſupra modum metuas. Nam dolor immodicus mentem euertit. Et formidandum, ne quod animæ damnum hinc accipias, & in imum exitium præcipites.

"Ὥσπερ γὰρ τὸ μηδ᾽ ὅλως ἀλγεῖν ἐπὶ τοῖς ἁμαρτήμασιν, ὀλέθριον. καὶ τὴν ἐσχάτην ἀναισθησίαν ἐστί κλον ἡμῖν· οὕτω τὸ συνεχῶς, καὶ πέρα τοῦ μέτρου πᾶσιν ἐπιβλαβές. ἡ γὰρ ἐπιβολὴ τῆς ἀθυμίας εἶδε πολλάκις καὶ τῶν κατὰ φύσιν ἐκβάλλουσα φρενῶν, ὑπόβριχον ποιοῦσι τὴν ψυχὴν, καὶ πρὸς ἅπαντα ἄχρηστον ἐργάζεσθαι τὰ καλά. *Quomodo penitus non dolere propter admiſſa crimina pernicioſum eſt, & extremi cuiuſdam ſtuporis: ita aſsiduò, & nimium dolere, omnibus eſt noxium. Nam angor & triſtitia ſemper animo incumbens, ſæpius mente à ſua ſede dimota, ad inſaniam redigere conſueuit, & ad omnia bona honeſtaq; inutiles efficere.*]

Sed patere te conſolari, audies enim verba à viro quodam ſpirituali prolata, & ad hoc de quo agimus ſpectantia. Inuenio, inquit, Manaſſem regem tantopere peccaſſe, diuinaſque leges tranſgreſſum eſſe, vt aduerſum Dei gloriam etiam deteſtanda idola conſtitueret: qua de cauſſa genus Iudæorum, in lamentis videlicet, ploratibus, & ſupplicatione ieiuniorum ad Dominum clamabat. Non tamen illorum lamenta tunc, ſed poſtea exaudiuit, & in contritione cordis, in humilia-

4. Reg. 21.

CAPVT XIII.

De concipienda ſpe diuinæ miſericordiæ, ex pœnitentia, & humilitate.

PETITE, *& dabitur vobis*, verbum eſt Verbi. Si pulſaueris aperietur, & ſi quæſiueris, inuenies. Quære, pulſa, pete, ne his faciendis defatigere, donec aperiatur, & detur tibi. Si iudex iniquus exaudiuit viduam inſtantem, importunè clamantem, & accuſantem, qui iudicat orbem terrarum iuſto iudicio (quoniam iuſtum eſt iudicium tuum Domine) quomodo non citò iudicabit, ſi tantum vrſeris, & ſedulò petiueris? *Matth.7.* *Luca 18.* *Pſal.118.*

CHRYSOST. Ὅτι δεῖ προσκαρτερεῖν ταῖς εὐχαῖς, καὶ ταῖς ἀγρυπνίαις, τὸ γὰρ ἀκούεσθαι οὕτω γίνεται. Πρῶτον μὲν οὖν ἐκ τοῦ ἀξίους εἶναι λαβεῖν. ἔπειτα ἐκ τοῦ κατὰ τοὺς νόμους τοῦ θεοῦ εὔχεσθαι, τρίτον, ἐκ τοῦ συνεχῶς. τέταρτον, ἐκ τοῦ μηδὲν βιωτικὸν αἰτεῖν. πέμπτον, ἐκ τοῦ τὰ συμφέροντα ζητεῖν. εἰ δὲ μὴ οὕτως, ἀκουσόμεθα, αἰτεῖτε, καὶ οὐ λαμβάνετε, διότι κακῶς αἰτεῖσθε, καὶ ἐπὶ τὸ δέον. *Perſeuerandum eſt in aſsiduis precibus & vigiliis, ſic enim exaudimur. Primùm quidem ex eo quod digni ſumus, qui impetremus. Deinde, quia ſecundùm legem à Deo præſcriptam petimus. Tertiò, quia ſine intermiſsione. Quartò, quia nihil ad vitam iſtam ſpectans petimus. Quintò, quia conducentia orando quærimus. Quod niſi hæc conditiones habeat oratio, audiemus*, petitis & non accipitis, eò quod malè petatis, *& ſupra quam decet.*] *Iacob 4.*

ANIMA. Gloria Domino meo, gloria Chriſto meo, qui miſericorditer vult, & iudicat, & ſaluat. CARO. Aliud quiddam maius, & elegantius accipe, quò & maiorem omnino lætitiam haurias, docearisque, & in puritate confirmeris: quam ob cauſſam ſermones vtiles audire voluiſti. Quando enim verbo & imperio dæmonas eiiciebat à dæmoniaco, rogabant illi Dominum impudenter, ne in cruciatum mitterentur: ſed in porcos maximè, qui tunc paſcebantur, ingredi iuberentur. Et obtinuerunt quod deſiderabant, proceſsitque negotium, & hinc in ea regione, quorum erant porci in mare ſummerſi, detrimento ſunt affecti. Num igitur ille non præcognouit, qui prænoſcit omnia, ſcopum eſſe dæmonum, vt porcos ſummergerent? Nihilominus eis optata conceſsit: qui appellabantur legio, hoc eſt, ingens multitudo. Tuam autem petitionem, cui propoſita eſt vtilitas tua, an non multo magis, & beneuolentius (*gaudium enim eſt in cœlo*, vt ſcriptum eſt, *ſuper vno peccatore pœnitentiam agente*) ſuſcipiet, & procul adhuc tibi paternas vlnas ad complexum expandet? Sanè magis te accipiet, magis admittet, qui totum orbem iudicio incorrupto iudicat. Alioqui iuſtitia tanta Domini vbi tandem, & quando apparebit, ſi non tunc apparebit? Et ſi quis audiat dæmonas *Marc.5.*

flammata anima,& ardenti fide,vt meretricem illam,ad Chriſtum accedere oportere,& peccatorum remiſſionem flagitare.] " "

Non indiges ſumptu, non labore, nec alio quopiam, vnde tibi per continentem, per mare, per vias difficiles periculum aliquod,aut moleſtia pariatur. Sed in anima, in tabulis cordis inſcriptum geris, quod te volẽtem nullo negotio meliorum admoneat: ſi modo etiam fides haud dubia inſit.Cum tu purgationem obtuleris,paratam quoque remiſsionem accipis,vt dixi.Quod ſi tu in aliis quibuſdam excuſationes excuſas,plurimaque & diuerſa,& ſępe prętendis,in his quod prætendas haud inuenies, cum prætendi nihil poſsit. A multis prudentibus ſæpenumero audiui, nec ieiunium frequentandum, nec vigilias amplius, nec humi cubandum. Nihil quippe horum tantum poſſe ad ſalutem, quantum illud, quod magis celebratur. *Humiliatus ſum*, inquit, *& liberauit me.* *Pſal.114.*

CLIMACVS. Εἰ ἐξ ἀγγέλων δαίμονάς τινας ἡ οἴησις πεποίηκε, πάντως ἡ ταπεί- "
νωσις ἀγγέλους ἐκ δαιμόνων δυνάται ποιῆσαι. διὸ οἱ πεσόντες θαῤῥήσωμεν. εἰ χερουβὶμ αὐ- "
τοὶ διὰ τοῦτο μόνον πάθος τῶν οὐρανῶν ἐξέπεσον, ζητητέον, μή πως καὶ δίχα ἀρετῆς ἑτέ- "
ρας, ἐκ ταπεινώσεως μόνης εἰς οὐρανὸν ἀναβαίνειν ἐνδέχεται. ἱκανὴ γὰρ ἡ λύπη τῆς καρδίας "
καὶ διανοίας, ἀντὶ πάσης ἐργασίας σωματικῆς. ὅτι ὁ Θεὸς ἐγγύς ἐστι τοῖς λυπηροῖς καρδίας. "
Si inflata de ſe opinio quoſdam ex angelis dæmones fecit, planè humilitas ex dæmo- "
nibus angelos facere poteſt: Quamobrem qui cecidimus,bono ſimus animo. Si Che- "
rubin, ob ſolam ſuperbiam cœlo extruſi ſunt, videndum, ne forte etiam abſque alia "
virtute,& ex ſola humilitate in cœlum aſcendere liceat.Dolor quippe cordis & ani- "
*mi præ omni corporali labore ſatis eſt.*Quoniam prope eſt Deus,his qui tri- " *Pſal.33.*
bulato ſunt corde, & humiles ſpiritu ſaluabuntur.] "

Sicut Publicanus humilitate cordis ſaluatus eſt. Non quia laboribus aſceticis ſe delaſſauit: nec quia inſudauit occupationibus ſpiritualibus:ſed quia humiliatus eſt,humilitate,quam perfectam & optimam ex ſuperna gratia ſortitus eſt.

CAPVT XIV.

Deſcriptio humilitatis ex effectis eius.

QVID autem ſit humilitas,breuiter nunc tibi declarabo.Si ſenſeris,& dixeris te omnium vltimam:te peccando viciſſe omnes, & omne facinus nefarium, & omne genus ſceleris,ſi quis alius homo,nouis modis perpetraſſe. Si quid aliquando deliqueris,id tuum exiſtimaueris. Si quid rectè feceris,id Dei gratiæ adſcripſeris:ſi neminem oderis,neminem afflixeris,neminem ſcandalizaueris.

Ὃς ἐὰν σκανδαλίσῃ ἕνα τῶν μικρῶν τούτων, συμφέρει, ἵνα κρεμασθῇ μύλος ὀνικὸς περὶ τὸν τράχηλον αὐτοῦ, καὶ ῥιφθῇ εἰς τὴν θάλασσαν. Qui ſcandalizauerit vnum Matt.18. de puſillis iſtis, expedit ei, vt ſuſpendatur mola aſinaria in collo eius, & demergatur in profundo maris]

Si neminem irriſeris, neminem turbaueris, neminem iudicaueris, iniuriæ non memineris.

ISIDORVS. Ὥσπερ οἱ γνήσιοι καὶ διάπυροι τῆς σωφροσύνης ἐρασταὶ ἐκ τῆς οἰκείας ἁγνείας καὶ ἐπὶ τῶν ἄλλων, καίπερ μὴ τοιούτων ὄντων, πολλάκις καθαρὰς τὰς ψυχὰς φέρουσι, καὶ οὐδένα ἡγοῦνται εἶναι ἀκόλαστον· οὕτω καὶ ἀσελγείας οἴστρῳ λυττῶντες, καὶ τοὺς μὴ ὄντας, τοιούτους εἶναι ψηφίζονται. ἕκαστος γὰρ ἐκ τῶν καθ᾽ ἑαυτὸν καὶ τὰς περὶ τῶν ἄλλων φέρειν κρίσεις. *Quemadmodum veri, & feruidi pudicitia amatores, ex ſua ipſorum caſtitate etiam aliorum animos, quanquam tales non ſint, ſæpe puros eſſe cenſent, neminemque libidinoſum ducunt: ſic contrà proteruæ libidinis œſtro perciti, etiam illos, qui huiuſmodi vitio carent, ſibi ſimiles arbitrantur. Quilibet enim ex ſe alios metiri conſueuit.*]

Si neminem per calumniam vllo modo accuſaris. Si neutiquam de alio detraxeris, nullum odiò habueris. Si hæc ritè præſtiteris, acquiſiſti humilitatem: acquiſiſti ſalutem, haud dubiè ſine laboribus, ſine ærumna, ſine foſsionibus, ſola ad hæc voluntate ſufficiente.

CHRYSOST. Ὅτι καὶ τοῦτο τῆς θεοῦ φιλανθρωπίας ἔργον ἐγένετο, τὸ τὰς κυρίας τῶν ἐντολῶν, καὶ συνεχούσας ἡμῶν τὴν ζωήν, μηδὲν ἀπὸ τῆς σώματος ἀσθενείας παραβλάπτεσθαι. *Etiam hoc diuinæ benignitatis opus eſt, quod præcipua Dei mandata, & quibus vita noſtra continetur, ab imbecillitate corporis nihil impediuntur.*]

Quod ſi & linguam loquendo quæ decent exercueris, ſcito te totum decalogum probè obſeruaſſe. Si quis autem ſe humiliauerit, piaculumque, & execrabilem, & ludibrium hominum duxerit, quî tandem verbum aliquod inutile, aut profanum, aut inane, aut glorioſum profuderit? Nunquam enim ſuper contribules ſe eriget, nec deſpiciet fratres & amicos, nec deridebit in aliquo proximum: ſed ſeruum ſe inutiliſsimum reputabit, & tum ad felicem terminum, in Scriptura expreſſum perueniet, *qui ſe humiliat, exaltabitur: contrà, qui ſe exaltauerit, humiliabitur.*]

Ταπεινοφροσύνης τὸ μὲν σχῆμα πολύ, καὶ πολλοῖς περιφερόμενον, ἀλήθεια δὲ οὐδαμοῦ. οὐχ ὁ ἑαυτὸν εὐτελίζων οὗτός ἐστι ταπεινόφρων, ἀλλ᾽ ὁ μετὰ χαρᾶς τὰς τοῦ πλησίον ὕβρεις καὶ ἀτιμίας καταδεχόμενος. ἡ ταπείνωσις γὰρ καὶ ὁ φόβος τοῦ θεοῦ ὑπεράνω εἰσὶ πασῶν ἀρετῶν. *Humilitatis imago & ſpecies frequens eſt, & circumfertur à multis, cum veritas eius nuſquam reperiatur. Non qui ſeipſum abiicit, hic humilis eſt: ſed qui cum gaudio à proximis contumelias, ignominiamque ſuſtinet. Humilitas porrò, & timor Dei omnibus virtutibus antecellunt.*]

CAPVT XV.

Epilogus, cum gratiarum actione ad ſanctiſsimam Trinitatem.

EN, tibi ſalutis viam, eamq́; facillimam demonſtraui, viam quę compendio ad princeps lumen perducit. Nihil enim habet laborioſum, neque ad diſpiciendum difficile, nihil accliue, nec decliue, nec tortuoſum, vt Labyrinthus: inſuper nihil rebus ad corpus, & res caducas pertinentibus: non diuitiarum abundantia, nec ſumptu aliquo, tantummodo humili precatione, & timore Dei opus habet. Complectere humilitatem, ſi ſaluari deſideras, & tu, & alius quilibet qui ſapit, mentemque humilem amat & honorat, vt etiam ad Dominum, quem concupiſcis aſcendas: appropinquat enim ſibi in humilitate appropinquantibus. ANIMA. Rectiſsimè de hoc etiam me admonuiſti. Qualis ſit humilitas demonſtraſti, & explanaſti. CARO. Sed age, hic ſermonem finiamus, ipſi Verbo verborum largitori gratias agentes.

Gloria igitur tibi, ô Trinitas, Deus omnium conditor. Trinitas in hypoſtaſibus, in diuina autem natura vnitas,

GREGORIVS THEOLOGVS. Ἐπὶ μὲν τῆς ἁγίας τριάδος τρεῖς μὲν ὑποστάσεις λέγομεν, καὶ τρία πρόσωπα, φύσιν δὲ μίαν, καὶ ἓν θέλημα. ἐπὶ δὲ τοῦ Χριστοῦ μίαν μὲν ὑπόστασιν, καὶ ἓν πρόσωπον, δύο δὲ θελήσεις, καὶ δύο φύσεις, καὶ δύο ἐνεργείας. τὸ τῆς σαρκὸς θέλημα ὑποτασσόμενον τῷ θελήματι τῷ θείῳ. *In ſancta Trinitate tres quidem ſubſiſtentias, & tres perſonas, naturam & voluntatem vnam eſſe dicimus. In Chriſto vero vnam quidem hypoſtaſin, & vnam perſonam, duas autem voluntates, duas naturas, duas operationes: ita vt carnis voluntas diuinæ voluntati ſubiecta ſit.*]

Vnus Deus ratione inconfuſa. Opinionem gentilium, & Iudæorum, tanquam hydram multicipitem, aut monſtroſum Typhoëum declinamus: Hebræorum quoque propter monarchiam. Nos enim monarchiam quidem, ſed in tribus perſonis ſiue hypoſtaſibus inconfuſè honoramus, naturam vnam, & identitate gloriæ; à qua vtinam à peccatis in hac vita contractis liberemur. Quam decet gloria, honor, adoratio, & imperium, ô pater, & eodem throno illi aſsidentes, Fili & Spiritus ſancte, nunc & ſemper, & in omnes generationes.

FINIS LIBRI PRIMI.

DIOPTRÆ LIBER SECVNDVS.

LIBRI CAPITA.

I. *Carni vitioſitas, & contumacia ipſius ab anima exprobratur. Animam ex his quæ per corpus agit & operatur, qualis quantaq́ ſit, cognoſci.*

II. *Niſi artus & membra corporis accreuerint, animæ functiones non apparere: &, ſi membrum aliquod perierit, aut vitiatum fuerit, ſecundùm illud animam nihil agere. Qua in parte corporis animum, ſeu mentem habitare exiſtimandum ſit.*

III. *Corpore per mortis fata diſſoluto, animam haudquaquam diſſolui & extingui, Platonis argumento confirmatum.*

IV. *Quamobrem mundus ante hominē, & corpus ante animam procreatum ſit. Huius nobilitas, illius vilitas.*

V. *Vter protoplaſtorum, & vtra pars animæ potius peccarit. Superbiæ deteſtatio, cuius auctor & origo Lucifer.*

VI. *Animam potius quàm corpus ob ſcelus primorum parentum pœnas luiſſe. Quo pacto vtriuſque corpus miſerabiliter commutatum ſit. Mortem videri pœnam leuem, & conducibilem. Animam hinc exeuntem bene aut malè habituram.*

VII. *Quid ſignificet* ad imaginem & ſimilitudinem, *& verius ſecundum animam nos eſſe homines. De celeritate animorum incredibili.*

VIII. *Corpus Adami nec interitui obnoxium, nec ab eo alienum eſſe conditum.*

IX. *In quas oras animæ ex hac luce commigrent.*

X. *De reſurrectione hominū, ſupremo illo die: & cuiuſmodi tum beatorum tum damnatorum corpora futura ſint.*

XI. *Ec-*

XI. *Ecquid Chriſtus deſcenſu ad inferos omnes animas inde eripuerit.*

XII. *S. Damaſceni locus de iis, quos Chriſtus ab inferis liberarit.*

XIII. *Qua demum ratione qualibet anima ſuum ipſius corpus à mortuis exiſtens recognoſcet.*

XIV. *Generatim omnes inter ſe agnituros, donec alij ad dextram, alij ad ſiniſtram iudicis ſeparentur. Inde iuſtos in omnem æternitatem, peccatores autem non amplius mutuum noſcituros.*

XV. *Magno & nouiſſimo die vniuerſam creaturam ad ſpeciem elegantiorem & incorruptiorem, ſimiliterq́; humana corpora & animas in melius immutatum iri: & earum partes duas (in quibus ſcilicet ineſt iraſcendi, & concupiſcendi vis) deſituras. τὸ καθ' εἰκόνα cum archetypo comparatur.*

XVI. *D. Gregorij Nyſſeni locus de anima tripartita, ex diſputatione de Anima, & Reſurrectione, cum Macrina ſorore habita.*

XVII. *De reſurrectione vberior diſſertatio, ex iiſdem Gregorij Nyſſeni Macrineis, vt auctor noſter appellat. Ad ſacros libros euoluendos cohortatio; & ad ſacroſanctam Trinitatem gratiarum actio.*

DIOPTRÆ LIBER SECVNDVS.

CAPVT I.

Carnis vitioſitas, & contumacia ipſius ab anima exprobratur. Animam ex his quæ per corpus agit & operatur, qualis quantaq́; ſit, cognoſci.

ANIMA. Alterum tibi ζήτημα, quæſtionemq́ue propono. Quæ enim ſermone antegreſſo, & heſterno die ex te ſcire volui, ea tu mihi omnia, pro eo ac res poſtulauit, expoſuiſti.

,, ISIDORVS. ἂν γὰρ ζητήσεις, εὑρήσεις ἄν· ζητήσεις δὲ, εἴγε
,, οἰηθείης μὴ εἰδέναι. τὸ γὰρ οἴεσθαι εἰδέναι, τοῦ μὴ ζητεῖν, μηδὲ εἰ-
,, δέναι αἴτιον. τότε γὰρ εἰσόμεθα, ὅταν μὴ εἰδέναι οἰόμενοι, τοὺς διδάσκοντας ἐπιζητῶμεν.
,, ἐπεὶ τὸ νομίζειν εἰδέναι, οὐκ ἐᾷ προκόπτειν εἰς τὸ εἰδέναι, οὐδ' εἰς τὸ ζητεῖν, καὶ εὑρίσκειν.
,, *Si enim quæſiueris, inuenies: quæres autem, ſi te nondum ſcire, putaueris. Nam pu-*
,, *tare ſe iã ſcire, vt nec quæratur, nec ſciatur in cauſſa eſt. Tunc namq́; ſciemus, quan-*
,, *do nos arbitrantes neſcire, magiſtros à quibus erudiamur requiſiuerimus. Etenim*
,, *opinari ſe ſcire, nos ad ſciendum proficere, & quærere, & inuenire non ſinit.*]

Nunc noſſe velim, diſſoluta natura in quas oras ſpiritus, ſiue anima hinc proficiſcatur. Si dicas, ad inferos, vbi nam ſunt inferi? Hoc te pro virili tua explicare ne pigeat. CARO. Laboras tu negligentia, vt mihi quidem videtur. Si enim animum quoque ad ſcripturas attenderes, perinde vt eas legis (quotidie enim pſallis, & hymnos recitas) omnia nota, & experta tibi intus forent: ſermoneq́ue & doctrina externa minimè indigeres. Nunc & ignorantia quaſi tenebris offunderis: & me miſeram, abiectamq́ue famulam tuam interrogas. ANIMA. Si abs te non didicero, à quo tandem alio diſcam? Et ipſam ſcripturam audio iubentem interrogare, dicentemq́ue, inter ſe quærere, & rationes conferre fructuoſum eſſe. CARO. Quodnam opus tibi curæ eſt: & cui intendis animum, & ad quod natura es idonea? agedum narra mihi. ANIMA. Certum ac ſtabile mihi opus eſt diuinarum rerum meditatio; & vnde à principio extiterim,

rim, & quã ob cauſſam: & quis ſit conditor meus: & quomodo is me rebus, creaturiſque vniuerſis excellentiorem condiderit, omniaque in manus meas dederit, volatilia, reptilia, beſtias, cœlum, & omnia ſidera, terras, & maria. Et tandem quo pacto me tibi fœtidæ incluſerit, atq; coniunxerit: & quonam ex hoc tabernaculo euolatura ſim. CARO. Bene narras: & ego iſta te facere ac dicere cupio, vt eorum rationem naturamque perſpicuè comprehendas. ANIMA. Non alius mihi ſcopus, non appetitio, non deſiderium eſt, quam ſemper commentari, & lætari his quæ dixi. Et gaudeo, & delector, & ſanctæ ſcripturæ ſum dedita. Verùm vt ſus ſe in lutum abiicit & contaminat, & in eo ſe iucundè volutat: ſimiliter tu ſtolida, mihique exitioſa facis. Vt porcus quippe ſpurciſsimus cupiditatib. carnalibus inquinaris, & me polluis penitus: & deorſum vergis, & mentem ad imaginem Dei factam turbidam reddis, vt, quemadmodum deberet, cœleſtia reſpicere nequeat. Quem gero oculum vitias, atque hinc quandam mutilationem, cæcitatemque animi ſuſtinens, intelligere ac perſpicere cogitationes cordis, & affectiones turbulentas non poſſum. CARO. Cur ita loqueris, domina, cum tu imperium in me teneas? Tu ceu eques equum verſas me quo lubet. Tu omnem poteſtatem meam in manu tua habes: abſque cuius nutu ac voluntate ego nihil vel boni, vel mali queo efficere. Et tamen maledicis, & irata mihi ſic exordiris.

Τὴν ὑπεροχὴν τῆς ψυχῆς ἔδειξε. καὶ γὰρ αὐτή ἐστιν, ἡ τὸ πᾶν ἐγκεχειρισμένη τῆς "
κυβερνήσεως. Excellentiam animæ oſtendit. Nam illi tota gubernatio commiſſa "
eſt.] "

ANIMA. Haud vera dicis, nec quod res eſt. Similiter enim facis, vt equus ferox, intractabilis, habenas reſpuens, calcitro, & percuſſor, cum lupatum mordens, & per loca præcipitia currens equitem trahit, hinnit, humum vngula pulſat, ſeſſoremque quamuis firmum, & fræna tenentem, ſi furere cœperit, ſella excutit, quod peſsimum eſt, & præcipitem agit. Eodem modo nunc quidem inter nos ſe res habet. Os tibi ligneum, & frænorum impatiens, vt equus contrà hinnis, nec duci facilè, nec conuerti potes: ſed me potius ducere, rapere, & tyrannicè tractare conaris.

Τὸ σῶμα οὐ σπένδεται τῇ ψυχῇ, καὶ οἷον ὡς βασιλίδα τιμᾷ, ἀλλ' ἀντιστρατεύεται κατ' "
αὐτῆς τῷ νόμῳ τῆς ἁμαρτίας τυραννικῶς, καὶ τῷ νόμῳ τῆς ἐπιθυμίας. καὶ τῇ ἡδονῇ συμβού- "
λῳ χρησάμενον, ἐπὶ τὸν χοῦν καταῤῥεῖ, ἐκτελοῦν. καὶ πράττον τὴν ἁμαρτίαν. Corpori cum "
anima fœdus non intercedit, nec vt reginam honorat: ſed aduerſus eam impudenter "
inſurgit lege peccati, & lege concupiſcentiæ: & voluptate in conſilium adbibita, in "
terram ſe abiicit, peccatumq; operatur.] "

Si igi-

Si igitur flagellauero,& puniuero te,ſi fame,ſiti,afflictione macerauero,& laniauero, ſi tot & tot labores tibi impoſuero, & frigore, & nuditate ærumnoſam te fecero, tuoſque ſaltus, & motiones proteruas ita compreſſero,per quas in ſuperiorem,& heram tuam calcitras, & te carnē ſpiritui pro ancilla ſubiecero, non habeo qui mecum currat, qui mihi opituletur, quemue in conſectanda virtute ſocium adhibeam. Quomodo ergo fungar actionibus honeſtiſsimis? Contra ſi te colo, ſi tibi parco, ſi te amo, aduerſariam te, & hoſtem rabioſam reperio: & fœdas,& confundis me,& tecum deorſum rapis.Et ita rurſum te hic ſociam laboris, & adiutricem adipiſcor. Maleuolentiam tuam, rebellionemque timeo. Adiutrix mihi es,& viciſsim obluctatrix. Nunc me oppugnas, nunc adiuuas. Mirum ſanè, quomodo vtrumque poſsis. Quid captem conſilij in hoc negotio, penitus neſcio. Si conditore imperante abſolui à te poſſem, pro deſiderio meo è cuſtodia hac ſordida egrederer, diſcedensque à rebus iſtis inferioribus,ad dominum,ad patrium ſolum,ad meum vitę genus aſcenderem, & relicta terra, cœlos habitarem. CARO. Sublimè euecta es, & ſupra me ſublata potius, velut materia & corpore vacans, velut naturà angelus, velut ratione ornata, ac ſempiterna, velut ſola conditoris imaginem & ſimilitudinem conſecuta. Mundus vniuerſus tuæ præſtantiæ non eſt comparandus.

" CHRYSOST. Βύλει μαθεῖν, ὅσον τῶν ἡμετέρων ψυχῶν ἡ τιμή; μέλλων ἀυτὰς ὁ
" χριςὸς λυτρῶσαι, ὀ κόσμον ἔδωκεν, ὀυχ ὀυρανὸν, ὀ γῆν, ὀ θάλατταν, ἀλλὰ τὸ αἷμα ἀυτοῦ
" τὸ τίμιον. *Noſſe vis, quantum valeant animæ noſtræ? Redempturus eas Chriſtus,*
" *non mundum, non cælum, non terram, non mare, ſed illum pretioſum ſanguinem*
" *ſuum dedit.*]

Ego vilis, & natura ignobilis, ego peccatis dedita, & carne lutea, & execrabile quiddam, ac deteſtabile, ex quatuor elemētis commixta & compoſita,vt tu cenſes. Dic mihi,& impera, vt domina,quod videbitur. Tamen ſi me,quam vt improbam vituperas, & turpem ducis,non haberes,nihili æſtimanda eſſes. ANIMA. Siccine ancilla audaciſsima,dominæ tuæ reſpondes? cur tu adeò imperitè, & audacter loqueris? CARO. Si audire placet,cur dixerim, quæ dixi, primùm poſita iracundia placidam te exhibe. Ego verò etſi paululum à decoro deflexi, perſonæque reuerentiam aliquantum ſepoſui, veritatem vt par eſt latius tibi exponam. Tu me attentè audi,& cognoſce. Sine inſtrumentis, & membris, & partibus meis conditorem afficere laudibus, & venerari, & illi gratias agere non potes. Quod alterum eſt, delictis perpetratis non potes pœnitentiam agere cum lacrymis humilibus, vt Petrus, & meretrix, niſi ego collaborem tibi, & te adiuuem.

uem. Vbi te à me ſeiunxeris, tum me verum dixiſſe comperies. Anima. Iterum blateras, iterum contradicis, iterum impudentius, hoſtis mea, reſpondes.

Isidorvs. *Οὔτε τὴν παῤῥησίαν ἀναισχυντίαν λεκτέον, οὔτε τὴν ἀναισχυντίαν παῤῥησίαν. Nec libertati impudentia, nec impudentia libertatis nomen imponendum.*]

Caro. Quamobrem verò taceam? Quamobrem deſinam? Scio me tibi famulam & ſeruam traditam & adiunctam eſſe. Ideo tamen elinguis facta non ſum, nec deſipio. Qui vtramque noſtrûm finxit, ſpiritum mihi indidit, & tu non prior me creata es. Nec me figulus quidam, te autem Deus præmiſit. Sine me contempta, & deſerta, & nihil es. Incognita es, ſpectari nequis, otioſa, & iners. Quis enim te nouit, quis ſpectauit, quis te vel aliquantum cognoſcit, num pulchra, num deformis ſis naturâ, num prudens, num laudabilis, an planè ſecus: num ingenioſa, num inepta, & imperita prorſus? Anima. Quam ob cauſſam tu mihi iſta exprobres, & quid tibi velis, oſtende. Caro. En veritatē perſpicuè tibi pandā. Tota hæc vniuerſitas, partim ſenſu, partim intellectu percipitur. Intelligibilia Intelligibilibus, ſenſibilia ſenſibilibus. Vtrūq; natura noſtra pro portione ſortita eſt. Quæ ſubiecta ſunt ſenſibus, per ſenſuum inſtrumenta cognoſcit: intelligibiliū cōprehenſio non ex his ipſis, ſed ex ſola ſenſuum functione gignitur. Hoc modo tu qualis ſis, cognoſceris. Ex illis enim quæ agis, nota euadis. Et Dominus creaturarum his ſolis comprehenditur. Quis enim poſt homines natos Deum vidit? Etenim natura eſt inaſpectabilis, & omnem eſſentiam vincit: ſed ex ipſis creaturis proportione videtur. *Inuiſibilia enim Dei*, vt magnus ille Paulus ſcribit, *ex his quæ facta ſunt, intellecta conſpiciuntur*, & ex ſapientia, amplitudineque qua producta ſunt, conditor, vt dictum eſt, cognoſcitur. Deinde quotquot opera quotidiè fiunt, inſtar præconum omnibus dominum prædicant. Ex magnitudine enim, & pulchritudine creaturarum, inquit, earum parens & rector perſpicitur. Ego motum vitalem abs te accipio, tu viciſsim tui manifeſtationem à me accipis, per quam, vt per inſtrumentum operaris. Ego enim tuum indicium & nota, nec imprudens præco, & teſtis incircumſcripta ſum operum & ſermonum, quæ, & quos per organa mea prodis, & per ipſos, & cum ipſis terrarum orbem peragras. Et apud me occultaris, & ſub vmbra mea lates, vt natura intelligentia conſtans, & aſpectum fugiens. Et omnis tua cogitatio, quæſitum, placitum non exit, nō effertur, apud te remanet. Non orator, non philoſophus, non geometra, non vates, non magus aliquis, non vllus alius ea cognoſcit, donec à me os, id eſt, ſex quaſi

Ioan. 1. *Rom. 1.*

chordas, inſtrumenta ſcilicet ad ſonum vocis edendum inter ſe congruentia ſumpſeris: guttur, fauces, collum, linguam, labra, dentes, & his ſenſum tuum declararis, & dubia explanaueris, in lucemque protuleris, obſcuraque, & occulta omnibus patefeceris. Proſpicis autem per oculos meos, & intueris quæ vis. Loqueris per linguam meam: per aures audis; per odoratum odoraris; per manus meas operaris, & omnes artes ſcientiasque, à triuialibus & minutis vſque ad maximas per me exerces. Nihil ſine hac ancilla, nihil, ſiue id ad intelligentiam, ſiue ad ſenſum ſpectet, præſtare vales. Ego te manifeſto, ego tibi gloriam affero. Alienis ne gloriare, aduentitiis ne inſoleſce.

CAPVT II.

Niſi artus & membra corporis accreuerint, animæ functiones non apparere: &, ſi membrum aliquod perierit, aut vitiatum fuerit, ſecundum illud animam nihil agere. Qua in parte corporis animum, ſeu mentem habitare exiſtimandum ſit. Animam & corpus ſibi mutuò creata eſſe.

QVOD ſi totum plenè cupis diſcere, attende hic mihi animum, & dilucidè percipies. Nota es vt maxima, pulchrorumq; pulcherrima. Ab origine tua perfecta, per te conſummata & plena es, mihi inde ab vtero materno aſsidens & cohabitans. Ego autem cùm primùm naſcor, infans ſum, fœtus nouus ac recens omnino, omnis actionis impotens, & tu per me tunc vniuersè nihil agis. Nec enim articulatè quippiam loqueris, nec ambulas omnino, nec aliquid operum manib. meis conficis: ſed otioſa es, vt dictum eſt, & tempus inutiliter tranſigis, meq; famulam & abiectam tu domina exſpectas, donec membra mea, & partes tibi perficiantur, eorumq; conueniens tibi incrementum adipiſcar, plenitudinemque, & menſuram ætatis attingam. Tum demum ad actionem, & praxin procedis.

ANASTASIVS. Νηπίου καὶ ἀτελοῦς ὄντος τοῦ σώματος, ὡς νήπιος, καὶ ἀτελὴς ἡμῶν. καὶ ἄφρων ὁ νοῦς καθίστηκε, μηδὲν σχεδὸν διακρίνειν ὑπὲρ τὰ ἄλογα δυνάμενος. προκοπτόντων δὲ τῶν μελῶν, καὶ αὐξομένων, οὕτω κατὰ πρόβασιν καὶ ὁ νοῦς συναύξειν δοκεῖ, καὶ φωτίζεσθαι. *Dum corpus noſtrum infantile, & adhuc imperfectum eſt, etiam intellectus noſter velut infans, & imperfectus, & inſipiens eſt, ac nihilo ferè magis, quã brutæ animantes diſcernit. Creſcentibus autem membris, ſecundùm eorum accretionem etiam intellectus augeri, & illuſtrari videtur.*]

Quod

Quod ſi mihi nec opinati aliquid morbi acciderit,& forte mēbro mutilata,aut priuata fuero,etiam tu ex ea parte ad agendum operandumque imbecilla,& impotens deprehenderis. Quod ſi & cerebri inflammationē patiar, aut alia ratione malè me habeam, ſubitò mecū doles,& attonita,& quaſi epileptica,aut mente capta non aſpicis,non loqueris,nihil penitus facis. Breuiter, ſemimortua, & vitæ expers videris. Sicut & ego, ſi oculi mei obtenebrati fuerint,& iis patiar, mox totum corpus meum obſcuratur,vt in Euangelio ſcriptum eſt:tametſi omnia membra firma ac robuſta ſeruem. Hoc etiā contingit tibi, ſi mēs minus bellè habuerit.Cerebrū igitur in medio capitis collocatū eſt:mens vt regina eſt,cum facultate triplici,memoria,imaginatione, ratiocinatione. Vis imaginatrix in anteriori eius parte, memoria in poſteriore ſita eſt: tertia in medio, cerebri,inquam. Intellige bene quæ dico. *Lucæ 11.* *διάνοια.*

PSELLVS. *Τὸ τῆς κεφαλῆς ὄνομα τὰ τρία ταῦτα τοῦ τοιούτου μέρους δηλοῖ μόρια. ὧν τὸ μέσον κορυφὴ λέγεται, τὸ δὲ ἔμπροσθεν βρέγμα, τὸ δὲ ὄπισθεν ἰνίον. τούτων δὲ μέσος ὁ ἐγκέφαλος κάθηται, ἀπευθυνόμενος πρὸς τὴν κορυφήν, ἔχων ὑποκείμενον τὸν νοῦν ἡμῶν ὡς βασιλέα. καὶ δορυφοροῦσι μὲν ἔγγιστα τοῦτον αἱ ἡγεμονικαὶ δυνάμεις, πορρωτέρω δὲ αἱ ἡγεμονικαί τε, καὶ φυσικαί. καὶ ἔτι πορρωτέρω αἱ αἰσθητικαί. ἀλλὰ τούτῳ τῷ βασιλεῖ ἐκ γειτόνων τύραννος τὸ σῶμα ἐφέστηκεν, καὶ ἐπιστρατεύει κατ᾽ αὐτοῦ δυνάμεις τινὰς ἐμπαθεῖς, καὶ προσφύλους. καὶ ὥσπερ ἐπὶ νηὸς, τοῦ σώματος τὸ μέγα τοῦ βίου διαπεραιούμενος πέλαγος ὁ νοῦς ὁ καθαρός. ὕδατα δὲ ἐφ᾽ ὧν ὀχεῖται τὸ σῶμα τὰ ἔμφυτα τούτου παθήματα, ἐν οἷς πολλάκις πρὶν τῶν λιμένων ἅψασθαι, ὑφίσταται τὸ ναυάγιον, καὶ τῇ καταδύσει τοῦ σωματικοῦ πάθους ὁ ἐπιβεβηκὼς ἐπ᾽ αὐτῷ νοῦς φέρεται ὑποβρύχιος, καὶ συμπνιγόμενος. Caput cùm ſit vna quadam pars humani corporis, eius nomen tres illius partes complectitur, quarum media vertex, antica ſinciput, poſtica occiput dicitur. In harum medio ſitum eſt cerebrum, rectà ſub vertice, vbi ſedes eſt animi noſtri, tanquam regis, quem proximè ſtipant facultates principes: longius principes ſimul, & naturales, longiſſimè autem ſentientes. Verùm huic regi tyrannus è vicino imminet, corpus videlicet, & ad eum facultates quaſdam turbationibus obnoxias, caducaſq́; inhærentes oppugnandum mittit. Nec ſecus in corpore, quàm in naui vaſtum iſtuc vitæ pelagus animus purus traiicit. Aqua quibus ſuperuehitur corpus, inſita in eo paßiones ſunt, in quibus frequenter, antequam portum attingat, naufragium ſubit, & corporis affectionibus qui naui inſidet animus, ſummerſus & ſuffocatus, vndis fertur.*]

Triplex porrò facultas abſque mente, eſt inutilis omnino, quantumuis valuerit,& ſalua tibi manſerit. Nempe ratio,ira,cupiditas,cū quibus & procreata es, & à principio à fictore, & conditore tuo, omniumq; effectore proceſsiſti. De cætero ſi in medio cerebrum fuerit validum, tres facultates tuæ quatuor virtutes cardinales, inſtar alicuius quadrigæ generant. Quæ ratione conſtat,prudentiā,& iuſtitiā;

in qua irarum ardores exiſtunt, fortitudinem: cui libidines inſunt, temperantiam. Cerebro autem affecto, perdidiſti omnes, non ſolum quatuor has, & generales virtutes; ſed quotquot harum complexu coërcentur, memoriam puta, ratiocinationem, phantaſiam, opinionem, & vim ſentiendi, mentem principem, & feneſtras meas ſentiendi quinque, viſum, odoratum, auditum, guſtatum, tactum in manibus; omnia ſimul pereunt, quæ animæ & corporis, quæ occulta & manifeſta. Quod ſi bene valeat tripartita vis, rationalis, iraſcibilis, concupiſcibilis, nihilominus non habent quod agant hæc tria, patiente cerebro, quod omnibus excellit. Iam ſi vita mea ad ſenectutem maiorem peruenerit, & ad octogeſimum, aut eo diutius ſuperſim, languidaque, ac marcida membra euaſerint, & alij ſenſus, quibus liberè vteris, nec ita tibi mens damni expers erit. Nec quando in febrim acrem, & quotidianam incidero. Nec cum muſtum bibero plurimum ſicut Noë. Quantum enim corporis vigor remittitur, tantum etiam intelligentia & cognitio vaneſcit. Inueteratum quippe organum, & vas, ſiue etiam corpus totum vigorem efficientiamque priſtinam non ſeruat, quæ vnà cum corpore creſcit & conualeſcit, & cum eadem rurſum conſeneſcit & flacceſcit: & ex inſtrumento muſico, nō bono, nec ſuaues eduntur ſoni. Cerno ego oculis, tu vero pupillis mentis: qua quidem non ſana, omnia perdidiſti. Intellexiſti, cognouiſti, domina, quid voluerim, & quo pacto ſine me honore aliquo dignanda non ſis? ANIMA. Intellexi, perſpexi penitus, & obſtupui. Vt dixiſti, vt locuta es, vt memoraſti, ita eſt. Neſcio autem, vnde tibi horum cognitio, & vnde, & à quo hanc ſcientiam compararis. Narra mihi de præceptore tuo, quis & vnde ſit. CARO. Percellis me verbis tuis, & premis, & mirari ſubit, quomodo me tam imperitè interroges, tamque ſimpliciter percunctere. Dicam tamen veritatem. Nihil per me noui. Ex quo autem nata ſum, & in lucem edita, ſcrutata ſum, didici, Deo adiuuante, mediocriter. Cum didiciſſem autem quomodo quærens quæſitum inueniat, & conuertiſſem me ad ipſum, inueni mihi datum, quod quærebam.

Geneſ. 9.

„ ISIDORVS. ἐμοὶ τὴν μετρίαν γνῶσιν ἡ κατὰ μόνας προσείδωκεν ἀναχώρησις.
„ ὁ γὰρ ἐν μέσῳ θορύβων στρεφόμενος, καὶ γνῶναι τὰ οὐράνια βουλόμενος, λέληθεν ὅτι ἐν ἀ-
„ κάνθαις σπειρόμενον ὑπ' ἐκείνων συμπνίγεται, καὶ ὁ μὴ σχολάσας, θεὸν γνῶναι οὐ δύναται.
„ *Mihi mediocrem cognitionem ſeceſſio in ſolitudinem peperit. Nam qui in me-*
„ *diis tumultibus verſatur, & cæleſtia cognoſcere nititur, ignorat in ſpinis ſemi-*
„ *natum ab iis ſuffocari; & eum qui non vacat, Deum non poſſe cognoſcere.*]

Ariſtoteles, & Hippocrates Cous mentis, ſeu animi ſedem eſſe volunt in corde potiſsimùm. Galenus diſſentiens, eam in cerebro ponit.

nit. Gregorius Nyſſenus aliud iudicat, & phyſicis horum dogmatibus contradicit, dum ita ſcribit. Animus vt res incorporea, non poteſt circumſcribi, non hæret in locis, cum moueatur, nec cohiberi queat: nec in partibus corporis, & membris manet. Totus autem totum corpus peruadens, quæ ſui muneris ſunt, vt natura ſua fert, ſuopte nutu agit, ſanis partibus pro inſtrumentis vtens. Quod ſi aliquod horum infirmum præter naturam fuerit, non operatur animus in affecta parte, vt ſuperiore diſputatione ſatis ſuperq; docuimus. Exemplo tibi quod dico dilucidius faciam. Quemadmodum ſi quis faber ferrarius quæ artis ſunt agat, multisque inſtrumentis ad opus è ferro conficiendum vſus ſit, præ aliis autem incude, malleo, forcipe, & his faciat quod facit: nihil enim ſine iis fabricare poteſt. Sic mihi & animum conſidera, ſi non ſanum cor, & ſanum cerebrum, vt inſtrumenta tractet, non habet quomodo conuenientia naturę ſuæ opera capeſſat. Quod autem in his excellentius atq; præſtantius ac maius eſt, anima viua, & ad ſpiraculum vitæ condita eſt. Admiranda res maximè, immortalis, par angelis. Non tamen poſtquam producta es in te vt conſiſteres accepiſti, ſed in me, & apud me, quod magnum eſt miraculum. Ego ficta ſum, & tu mecum condita. Non ſeorſum tu, ſeorſum ego. Non ita eſt domina, ne iſtuc cogites: ambæ ſimul à conditore ſumus conditæ. Non eſt corpus fictum ante animam, nec anima ante corpus ſubſtitit, aut extitit. Hoc veriſsimum eſt. Simul enim ambæ, & iterum ſeorſum. Non alterum alteri tempore antecedit, contemporanea, coæua, coætanea vocaris. Nec enim anima ſine carne, nec caro ſine anima omnino facta eſt, nec condita conſtat: ſed ex animatis animatum, & ex viuentibus viuens vtique corpus gignitur, viuens, animatum, mortale, & corruptioni obnoxium animal homo, vt dicitur.

CAPVT III.

Corpore per mortis fata diſſoluto, animam haudquaquam diſſolui & extingui, Platonis argumento confirmatum.

ANIMA. Dogma quod non facilè intelligas & aſſequare. Coniūctio admirabilis, miſtio noua maximè. Nunc mihi reſponde. Nos conditor creauit, vt dixiſti, ambas omnino, & colligatas vtramque commiſcuit, vt ipſe nouit. Tu vero quomodo recedis & fugis à me putredo, & in puluerem terramq; conuerteris, ac interis funditus? Ego autem etiam poſt diſiunctionem nunquam occido. Et ego quidem abſque te viuo: tu ſine me neutiquam. Ego, inquam, viuo, & vigeo. CARO. Rurſum audi dicta

Plato in Phædro. elegantia, quæ ego à veteribus ſapientibus audiui. Quod ab aliquo mouetur, quidquid illud fuerit, non habet vitam à ſe, ſed ab alio potius, à quo & quod conſiſtit, & mouetur habet. Tantum enim eſt, & apparet, & ſpirat, quantum adeſt illi à quo agitatur, in quo & vnà conſiſtit & permanet. Cum autem ab illo, à quo continebatur ſolutum fuerit, deſinit eſſe, quod motu ciebatur, cùm deſit quod motum afferebat. Tu autem te ipſam moues, & ſemper moueris. Ex quo neceſſariò ſequitur, te æternam eſſe: Nam quod ſe ipſum mouet, quia nunquam deſeritur à ſe ipſo, nunquam ne moueri quidem deſinit. Quod autem ſemper mouetur, viuere non ceſſat: quod non ceſſat, nec deſinit, & fine caret, eſtque à corruptione alienum. Tale autem eſſe immortale, ratione colligitur. Sed etſi ego & corruptioni obnoxia ſum, & mortalis, tamen abs te vim vitalem accipio, & ſpiro & moueor. Rurſum ſi à me ſeparata fueris, viuere amplius nequeo. Nec queo ſpirare ſi abs te diuellar. Diuellor autem propter ea, ex quibus ſum compoſita; & ſine te nihil ſum, niſi odor teterrimus.

CAPVT IV.

Quamobrem mundus ante hominem, & corpus ante animam procreatum ſit. Huius nobilitas, illius vilitas.

ANIMA. Et quomodo cum adeo vili & ingloria caruncula coniuncta ſum? Et quomodo non prior fui, præceſsiq; gloria, tu autem, vt inferior, poſterius è terra formata es? Et quomodo immortalis anima cum mortali carne colligata ſum? CARO. Si hæc vis cognoſcere, attende, diſces. Totus hic mundus animæ cauſſa procreatus eſt: omnibus enim præſtantior eſt; non ipſa propter mundum condita. Quod autem inferius eſt, Dominus & creator primùm condidit: maius, vt melius, poſterius conſtituit. Quoniam autem natura animæ ſine comparatione melior & excellẽtior eſt, vt dixit Dominus, minus, nempe mundus debebat prius produci, vt quoddam palatium, deinde animæ vis imperatoria. Duplicem autem mundum condidit, ſuperiorem & inferiorem. Suprà angelos, miniſtros, diuinæ gloriæ ſpectatores, mentes à concretione materiæ ſegregatas, ſpiritus naturæ tenuis, & igneæ. Naturam inferiorem mortalem, creaturas diuerſas, animalia quæcunque, terreſtria, volatilia, & aquatilia. Fuerunt autem omnia bona valde, vt ſcriptum eſt. Intellectualia propter cœlum, miniſtratorias virtutes ſcilicet: ſenſibilia propter ſenſum, inferiorem ſcilicet hunc mundum. Naturam inuiſibilem, & viſibilem, ſolam, ſimplicem, ſeparatim vtramque, hanc

Matth. 16.

Pſal. 103.
Hebr. 1.
Geneſ. 1.

quidem corporalem, illam incorpoream. Incorpoream mihi cogita ſupramundanorum, quotquot immaterialis & intelligibilis ſubſtantiæ ſunt. Corpoream autem inferiorem, & comprehenſibilium ſenſu. Nec igitur ſuprà corpora ſunt, nec materia expertia infrà. Homo autem præ omnibus ſolus ex duplici ſubſtantia, ex intelligibili, & ſenſibili, ſuperiorum & inferiorum, fictione & inſpiratione Dei à principio eſt productus. Nam corpus ex inferioribus, anima ex ſuperioribus eſt.

CHRYSOST. Ὅτι μόνος ὁ ἄνθρωπος γέγονεν ἀπὸ διπλῆς οὐσίας, τὰ δ' ἄλλα πάντα τοῦ τε ἄνω κόσμου, καὶ τοῦ κάτω ὁμοίως ἐκ μοναδικῆς οὐσίας παρήχθησαν, τῆς ἄνω καὶ τοῦ κάτω. τῆς ἄνω, ἀσωμάτου, τῆς κάτω, σωματικῆς, καὶ αἰσθητά, καὶ νοητά. *Solus homo ex duplici ſubſtantia concretus eſt: cætera omnia tum ſuperioris mundi, tum inferioris ſimiliter ex vna tantùm producta ſunt: ſuperioris quidem incorporea, inferioris corporea, ſenſibilia, inquam, & intelligibilia.* IDEM. Σῶμα, ψυχὴ, καὶ πνεῦμα. μέμνηται δὲ καὶ Μωϋσῆς. σώματος μὲν ἐν τῷ εἰπεῖν, ἔλαβεν ὁ θεὸς ἀπὸ τῆς γῆς χοῦν, καὶ ἔπλασε τὸν ἄνθρωπον. ψυχῆς δὲ, ἐν τῷ, ποιήσωμεν ἄνθρωπον κατ' εἰκόνα ἡμετέραν. πνεύματος δὲ, λέγων, καὶ ἐνεφύσησεν εἰς τὸ πρόσωπον αὐτοῦ πνοὴν ζωῆς. *Corpus, anima, & ſpiritus. Meminit autem & Moſes. Corporis quidem, dum ait*, Formauit autem Dominus Deus hominem de limo terræ. *Anima, ibi*, faciamus hominem ad imaginem & ſimilitudinem noſtram. *Spiritus, ibi*, & inſpirauit in faciem eius ſpiraculum vitæ.] Geneſ. 1. Geneſ. 2.

Præſtantior pars de ſuperorum, deterior de inferorum numero eſt. Animal ſapientiſsimũ, mixtum ex his ambobus, animam ad imaginem Dei continens. Et hunc, magnum mundum in paruo, & in medio intelligibilium, ſenſibilium, animatorum, inanimatorum collocauit: vt vtriuſque mundi oblectamentis & bonis, tanquam cognatorum, abundanter meritò frueretur. Diuinis quidem per animam à Deo ſuppeditatis; terrenis per corpus, & ab ipſis ex fide conditori fructum afferret. Virtutes portò adminiſtratoriæ, ordinum, qui intelligentia cernuntur, animæ, & tabernaculo eius præſunt: quemadmodum magnus, & diuinus præco Paulus confirmat. *Nonne, inquit, omnes ſunt adminiſtratorij ſpiritus, in miniſterium miſsi propter eos, qui hæreditatem capient ſalutis?* Et Saluatorem docentem audiui, *videte*, inquit, *ne contemnatis vnum de puſillis iſtis. Nam eorum angeli ſemper vident faciem patris mei*, cui cum tremore aſsiſtunt. Hebr. 1. Matth. 18.

CHRYSOST. Οἱ μὲν οὖν θεῖοι ἄγγελοι διακονοῦσι τοῖς ἀγαθοῖς ἀνθρώποις, οἱ δὲ πονηροὶ δαίμονες τὰς κατὰ τῶν ἁμαρτωλῶν τιμωρείας. ἐξαπέστειλε γὰρ εἰς αὐτοὺς ὀργὴν θυμοῦ αὐτοῦ. θυμὸν, καὶ ὀργὴν, καὶ θλίψιν ἀποστέλλει δι' ἀγγέλων πονηρῶν. οἱ τοίνυν δαίμονες οὐ ἀφηνιάζουσι τῇ προθέσει, ἀλλ' ὑπὸ ζυγὸν κεῖνται τῆς δουλείας, καὶ κελεύονται πρᾶξαι ὡς δήμιοί τινες τὰ προστατλόμενα ἀπὸ θεοῦ, καὶ τῶν ἁγίων. οὐ γὰρ κατ' αὐθεντίαν πράττουσιν,

ἀλλὰ

» ἀλλὰ ἄκοντες ποιοῦσι τὰ προςτάγματα. *Cœleſtes igitur angeli hominibus bonis mi-*
» *niſtrant:mali autem dæmones ſuppliciis peccatoribus infligendis inſeruiunt.* Im-
» miſit enim in eos iram indignationis ſuæ.Indignationem,iram,& af-
» flictionem per angelos malos immittit. *Dæmones itaque licet voluntate*
Pſal.77. » *rebellent,tamen iugo ſubiecti ſunt,& quaſi carnifices quidam,à Deo & ſanctis im-*
» *perata exequi iubentur. Non enim ſua auctoritate, ſed inuiti faciunt, quæ illis*
» *mandantur.*

Propter hæc mundum hunc prius produxit,. & veluti palatium aliquod tibi ſubiecit. Mundus autem è quatuor elementis compoſitus & coagmentatus eſt, quæ ipſe Deus nulla ſubiecta materia creauit:ex his, inquam, mundum verbo fabricatus eſt. Primum & ſummum elementum eſt æther,ſiue ignis:cui ſubeſt aër,& huic aqua: infimum locum terra obtinet.Reliqua ſingula, & particularia, quotcunque,& qualiacunque ſunt, minora & maiora,beſtiæ,iumenta,ſtirpes, reptilium genera, arbuſtorum germina, & herbarum ſemina, deinceps, vt magnus & ſapientiſsimus ſuperûm & inferûm opifex mandauit, ex elementis extantibus prodierunt.Poſtquam verò mundum hunc inferiorem conſummauit, poſtremo loco hominem, vt illius principem futurum,condidit. Nec enim prius regem venire oportebat, quàm ei tabernaculũ & domicilium,& quibus egeret,eſſent conſtituta: ſed palatium paratiſsimum eſſe conueniebat, & omnia demum,quæ vſus,& commoditas poſtularent, & ita eum intrare. Siquidem & herbam ante,quam pecudes procreauit.Vt ſiquis inſignis paterfamiliâs amico, & vicino ſuo magnificum epulum appararet: ac principio vitulo, & tauris mactatis eſculenta,, ac poculenta pararet, menſamque inſtrueret:deinde amicum conuiuam introduceret, qui lautiſsimis illis epulis deliciiſque ſe expleret. Itaque ſicut dixi, ita factum eſt,& vniuerſitate condita, primùm fictum eſt corpus, poſtmodum anima, pars hominis præſtantior creata eſt. Prius extitit quod ſeruit, poſterius quod imperat.

» CHRYSOST. Ἐννόησον γάρ μοι τὴν τάξιν τῆς διαπλάσεως, καὶ λογίζου, τὸ τοῦ ἐμ-
» φυσήματος τοῦ δεσπότου, ὅπως αὐτῷ γέγονεν εἰς πνοὴν ζωῆς, καὶ ἐγένετο εἰς ψυχὴν ζῶσαν.
» τί οὖν ὁ πλασθείς; ἁπλῶς εἰκὼν ἄψυχος, καὶ ἀνενέργητος, καὶ εἰς οὐδὲν χρήσιμος. διὸ καὶ
» πρότερον τὸ σῶμα παράγεται, καὶ τότε ἡ ψυχὴ ὡς τιμιωτέρα, καὶ ἐνδοξοτέρα. *Cogita*
» *mihi formationis ordinem, & conſidera, quomodo inſufflatio Domini facta ſit ipſi*
» *in ſpiraculũ vitæ,*& factus ſit homo in animam viuentem. *Qnid igitur for-*
» *matus? Simpliciter imago inanima,& otioſa, & inutilis erat. Quare & prius cor-*
» *pus producitur,& poſt anima,vt honoratior, & nobilior.*]

Sapientium & antiquorum magiſtrorum ratio quædam ſeu doctrina eſt, quod propter aliud fit, quidquid illud aliud tandem ſit, inferius

ferius eſſe illo, propter quod ſubſiſtit: idq́ue ante alios Saluator docet, *nonne anima*, inquit, *plus eſt quam eſca, & corpus plus quam veſtimentum?* *Matth. 6.*
Nullo enim modo anima propter eſcam, nec corpus propter veſtimentum formatum eſt: quin contra potius, duo illa horum gratia quæruntur. Corpus autem vt vehiculum animæ honorandæ, & glorioſæ prius factum eſt. Sed age, attentionem renoua. Quoniam hominem geminum, ſeu duplicem facere conſtituit, ex anima nimirum, & corpore, corpus priore loco format ex quatuor primis corporibus, ex igne, aëre, terra & aqua: ex calido item, & frigido, humido, & ſicco, ex ſanguine, phlegmate, flaua, & atra bile, perq́ue horum, & ex horum quatuor quaternione carnem fictor ille fingit. Poſtea animam quoq; inſpirat. Inſpirat autem vnde vult, & vt melius nouit, non ex elementis, vt cætera, cohærentem: ſed vt ſuprà dixi, de ſupernorum ac cœleſtium ordine, conditioneq́ue, immortalem, incompoſitam, ſimplicem, & diuinam, ſupernæ nobilitatis angelorum participem, & ad illos amoris deſiderio contendentem: quanquam carni mihi, deorſum te trahenti alligata es. Vt cum luctata contra principes tenebrarum, ſupernæ gloriæ hæreditatem ſortita fueris, indeq́ue certaminum præmium acceperis (vt quæ bonum ipſa elegeris, & non à Deo tantum) opitulatrix, & adiutrix ancillæ tuæ appareas, & hîc infrà morantem, ad ſuperos tecum euehas, & hoc onere leuatam, me pauperem deſpicabilemq; conſeruam & σύντροφον tuam ad Deum vnà introducas, contubernalemq́ue, & indiuiduam comitem me, & ciuem eorum qui illic æuum agitant, quamuis indignam habeas. Reginam te fecit, me autem vt ſubditam, miniſtram, famulam, alieno arbitrio ſubiectam, ancillam. En, quod quærebas diſſolui: quomodo nempe, tametſi naturæ nobilitate, prior me ſis, mihiq́ue honore & excellentia antiſtes, non tamen prior procreata ſis. *Epheſ. 6.*

CAPVT V.

Vter Protoplaſtorum, & vtra pars animæ potius peccarit. Superbiæ deteſtatio, cuius auctor & origo Lucifer.

ANIMA. Etiam hoc quæſitum ſatis ſuperq; ſoluiſti. Quoniam verò mihi imperium auctoritatemq́ue, tibi ſubiectionem & locum ancillæ tribuis, hinc iam hoc quoque præter alia diſſere ac doce. Vtrius protoplaſtorũ in mandato tranſgrediendo delictum magis fuit. Et vter potius peccauit, ſpiritus intelligentiæ compos, an pars in qua non ineſt ratio. Vehementer ſcire iſtuc cupio. CARO. Difficilis eſt tua quæſtio, domina, meamq;

propemodum ſcientiam,& captum excedit. Veruntamen, vt ſcriptu-
ræ mediocriter perita, quæ inde habeo, & didici, fidenter tibi de re
propoſita enuntiabo. Animam ratione præditam certò noſti, à con-
ditore ab initio armis probè munitam fuiſſe,&munitam ad auxilium
habendum,& pugnandum aduerſus ſeductorem. Arma intelige vim
iraſcendi,& concupiſcendi. Veruntamen quæ ad ſuum apparatum &
munitionem habuit, his ipſis contra ſemet ſtultè vſa eſt.

„ GREGORIVS. Ἡ λογικὴ ψυχὴ οὐκ ἔχει συνυφισάμενα ἑαυτῇ τὸ θυμικὸν, καὶ τὸ
„ ἐπιθυμητικὸν, ἀλλ' ἀλόγου ψυχῆς εἰσιν ἴδια, καὶ μέρη μὲν αὐτῆς εἰσι. διὰ τὸ προσπεφυκέ-
„ ναι αὐτῇ, πλὴν οὐκ εἰσὶ ψυχῆς κατ' οὐσίαν, καὶ φύσιν αὐτὰ, καθὰ ὁ λόγος καὶ ὁ νοῦς, ἀλλ' ὡς σύν-
„ θετα, καὶ ἐπείσακτα. *Anima intelligens non habet ſubſtantiæ ſuæ ſocias iram & cupi-*
„ *ditatem, quæ animæ ratione carentis propria ſunt. Partes quidem illius ſunt, qua-*
„ *tenus ei agnatæ ſunt. Veruntamen ſubſtantia & natura, ſicut mens & ratio, cum*
„ *ea non communicant: ſed vt adiuncta & aduentitia.*]

Inimicus quippe improbi ſerpentis ſpecie velatus, verbiſque do-
Geneſ.3. loſiſsimis Euam allocutus, diuinitatem eos conſecuturos, ſi de ligno
vetito guſtarent, nobilitatem ſpiritus in fraudem pellexit, & in iudi-
cium rationi minimè conſentaneum ratio delapſa eſt, dum lignum
guſtare, & Deum fieri ſibi vtile futurum cenſuit. Peccauit item pars
cupiditatis maxima, dum eſcam illam, & diuinitatis adeptionē æquè
amauit.

„ Ἐπὶ τὸ πλεῖστον τὸ ἐπιθυμητικὸν νοσεῖ, καὶ τότε τὸν νοῦν ὁμοῦ σπᾶται, καὶ δελεάζει πρὸς
„ συγκατάθεσιν τοῦ κακοῦ. *Sæpiſſime pars animæ, in qua ſunt cupiditates, ægrotat, &*
„ *tunc mentem vnà ſecum trahit, atque ad conſenſum in peccatum ineſcat.*]

Primùm tentauit voluptas, mox vana gloria. Illa lignum oſten-
dit, fallacia quaſi flatu quodam incenſa, quòd aſpectu delectabile, &
bonum ad veſcendum. Hæc, diuinitate potiri, maius eſſe rebus vni-
uerſis. Iſta duo, domina, Euam falſum perſuadendo circumuenerunt,
perque illam, & ab illa etiam Adamum.

„ Ἀπὸ γυναικὸς πάλαι ἀρχὴ ἁμαρτίας, καὶ δι' αὐτὴν ἀποθνήσκομεν πάντες. μικρὰ
„ πᾶσα κακία πρὸς κακίαν γυναικός. κρεῖσσον πονηρία ἀνδρὸς, ἢ ἀγαθοποιὸς γυνή. ἀπὸ γὰρ
„ γυναικῶν ἐκπορεύεται πονηρὸν, καὶ ἀπὸ ἱματίων σής. A muliere quondam initium
Eccl.25. „ peccati,& per illam omnes morimur. Parua eſt omnis malitia ad mu-
Eccl.24. „ lieris malitiam. Melior eſt iniquitas viri, quàm mulier benefaciens.
„ A mulieribus enim procedit iniquitas, ſicut à veſtimento tinea.]

Nec verò impoſtor ſolùm ratione & cupiditate affectis, fraudu-
lentam hanc luſit comœdiam: ſed inſuper tertia facultas, iraſcendi vi-
delicet, plagam ſenſit. Qua cum aduerſus illum vti oporteret (quo
conſilio Dominus ipſam dederat) Eua potius cum eo fœdus iniuit,
ad deteriora illecta,& mentem, qui eſt oculus interior, conuulnerata.

Et

Et hinc, ſicut diximus, ſpe diuinitatis obtinendæ, de ligno ſcientiæ boni & mali guſtauit. Anima igitur carnis expers peccato ſe obligauit. Veruntamen age, domina, attende, & vide ſuperbiam, moresque inanis gloriæ, qui nos omnes perdiderunt. Quæ olim primum, & præcipuum, cœleſtiumque exercituum principem angelum cœlo deturbauit, & natura lucidum, tenebroſum reddidit: qua & ille cecidit, & omnes cadere concupiſcit, à quo ſuperbiæ morbus manauit, qui omnibus eo laborantibus exitium ſine controuerſia parit, eſtq; vniuerſis animi morbis deterior ac pernicioſior. Huic qui ſeruit, Deum habet aduerſarium; è diuerſo, inimicum humani generis ſocium & amicum. *Superbis enim*, ait Scriptura, *Deus reſiſtit*, quemadmodum celeriter ſeductori reſtitit. *Iacob. 4.*

CAPVT VI.

Animam potius, quàm corpus ob ſcelus primæuorum parentum pœnas luiſſe. Quo pacto vtriuſque corpus miſerabiliter commutatum ſit. Mortem videri pœnam leuem, & conducibilem. Animam hinc exeuntem, bene aut malè habituram.

ANIMA. Quod ex tuis verbis eſt colligere, videtur caro paſſa iniuriam. Si enim anima deliquit, cur pœna ad carnem peruenit? Ea ſiquidem, vt patuit, morte damnata eſt, atq; in interitum, & vitam ærumnis plenam ruit. Anima vero, antea immortalis, etiam poſt lapſum immortalitatem retinuit: & cum pœnas dare meritò deberet, nullas dedit.

CHRYSOST. Τί οὖν, ἐπηρεάζεται ἡ σὰρξ διὰ τὴν ψυχὴν φθαρτὴ γενομένη; οὐδαμῶς, καὶ γὰρ διὰ τὴν ψυχὴν λέγομεν ἡ σάρξ. ἡ τοίνυν δι' αὐτὴν γενομένη, πῶς ἠδίκηται, εἰς τὴν αὐτῆς διόρθωσιν τοῦτο παθοῦσα, καὶ ὑπὲρ αὐτῆς πάσχουσα; καὶ γὰρ θνητὴ γέγονε δι' αὐτὴν ἁμαρτοῦσαν· κἂν δικαιοπραγήσῃ ἡ ψυχή, πάλιν πολλῆς δι' αὐτὴν ἀπολαύσεται δόξης. εὕροις δ' ἂν τοῦτο καὶ ἑτέρωθι γενόμενον. τοῦ γὰρ ἀνθρώπου ἁμαρτόντος, ἡ γῆ ἐδέξατο τὴν κατάραν. ἐπικατάρατος γάρ φησιν ἡ γῆ ἐν τοῖς ἔργοις σου. ἀκάνθας καὶ τριβόλους ἀνατελεῖ σοι. ἐπειδὴ ἡ εἰς αὐτὴν κατάρα πάλαι τοῦ ἀνθρώπου ἐλυμαίνετο τῇ ἀνέσει, καὶ τῇ ἀδείᾳ. ἐν λύπαις φαγῇ αὐτὴν πάσας τὰς ἡμέρας τῆς ζωῆς σου. εὕροις δ' ἂν τοῦτο καὶ ἐπὶ τοῦ κατακλυσμοῦ· τῶν γὰρ ἀνθρώπων εἰς κακίαν ὑποκλινάντων, καὶ τὰ ἄλογα τὴν αὐτὴν τούτοις τιμωρίαν ὑπέμειναν, μηδὲν ἡμαρτηκότα. ἀεὶ γὰρ ὁ θεὸς ὅταν ἁμάρτῃ ἡ ψυχή, τὸ σῶμα κολάζει. οὕτω καὶ ἐπὶ τοῦ Κάϊν πεποίηκε. ψυχὴ ἥμαρτε φόνον ἐργασαμένη, καὶ τὸ σῶμα αὐτοῦ παρελύθη στένων καὶ τρέμων ἐπὶ τῆς γῆς. ὁμοίως καὶ ἐπὶ τοῦ Ὀζίου. ὑψώθη καρδία αὐτοῦ, καὶ εὐθέως ἐξηνθήσε λέπρα εἰς τὸ πρόσωπον αὐτοῦ, &c. *Quid igitur? iniuria afficitur caro, propter animam corruptioni obnoxia? nequaquã. Etenim propter animam caro, dicimus.*

,, *mus. Quæ igitur propter ipſam facta eſt, quomodo iniuriam accepit, ſi hoc ad ipſius*
,, *emendationem paſſa eſt, & pro ipſa patitur? Nam quia illa peccarat, mortalis ipſa*
,, *euaſit: quæ ſi rurſum iuſtitiæ ſeruierit, magna denuo per illã gloria fruetur. Id quod*
,, *& alibi factum inuenies. Nam cum homo peccaſſet, terra maledicta eſt.* Maledicta
Geneſ. 3. ,, enim, *inquit*, terra in operibus tuis. Spinas & tribulos germinabit tibi.
Geneſ. 7. ,, In dolore comedes ex ea omnibus diebus vitæ tuæ. *Etenim maledictio*
,, *in ipſam, hominis voluptatem & licentiam labefactauit. Hoc item in diluuio per-*
,, *ſpicies. Nam cum homines in ſcelera ſe effudiſſent, animalia bruta quoq; cum nihil*
,, *peccaſſent, eandem tamen cum ipſis pœnam ſubierunt. Semper quippe Deus peccante*
,, *anima corpus punit. Sic & in Cain fecit. Anima peccauit cæde perpetrata, & corpus*
Geneſ. 4. ,, *eius diſſolutum eſt, gemens & tremens ſuper terram. Similiter & in Ozia. Eleua-*
2. Par. 26. ,, *tum eſt cor eius, & mox in facie illius lepra apparuit, &c.*

CARO. Immo verò, tota animaduerſio non ad corpus, ſed ad animam pertinet potius: tametſi videatur nihil pœnarum, vt ais, perſoluiſſe. Cuius rei paradigmate quodam tibi fidem faciam. Si rex quiſpiam natura humanus à crudeli tyranno mancipium emat longè calamitoſiſsimum, ærumnoſiſsimum, maximè miſerabile, exili corpore, nudum, macie confectum, natura morbidum, vehementer bilioſum, petulans, improbiſsimum, vituperabile, probroſum, indignum aſpectu, lepra & ſcabie coopertum, plenum dedecore, placidis oculis; ſi, inquam, huiuſcemodi ſeruum emat, eumque reſpiciat, curæ ac diligentiæ quam plurimum illi adhibeat, & quidquid habet morbi, ſordium, ac fœditatis, ab illo depellat, & deſtringat, veſte pulcherrima induat, ſtationeq; & loco primo eundem dignetur, aulicorumque præcipuum faciat: ille autem iſta vilipẽdens, tantum beneficium nullo modo capere ac ſuſtinere queat, contraque regem benefactorem maximum & Dominum maleuolè manibus & calcibus inſurgat, & in illum aliquid noui ſceleris meditetur, deprehendaturque & cognoſcatur homo peſsimus, & auferantur ab eo pecuniæ, facultates, gloria, fœlicitas, pannisque vetuſtiſsimis, inutilibus, laceris ad riſum & ludibrium tandem induatur; vt qui manus aduerſus benignum Dominum petulanter ſuſtulerit; damnatusque in carcerem, aut in locum, inſulámue deſertam, & inhabitabilem proiiciatur: vt detrita, ac lacera veſtis, quæ ad annum ſeptimum, aut octauum ſuffecerat, putrefacta ſoluatur, indeque ille miſerrimus nudus obambulet, donec vitam ærumnoſam tot malis oppreſſus decurrat; cedò, domina, cuius eſt damnatio, & quis delicta luit? Num ſtolidus & petulans famulus, vt qui manus regi intulerit? Ille proſcriptus, in carcerem concluſus, & iuſtè mala perpeſſus, qui natura intelligenti, & voluntate libera præditus eſt: an pecuniæ, facul-

tates

tates, diuitiæ, & gloria, quæ animo externa ſunt, quibus eſt ſpoliatus? ANIMA. Potius homo ipſe, vt demonſtraſti, damnatur, & pœnas ſuſtinet, quamuis corpus nondum ſuppliciis ſubiectum eſt, nec quidquam aliud exitioſum pertulit. CARO. Dic mihi, & iudica, quemadmodum iudicas, num putas iuſtè latam eſſe ſententiam, qua ille proſcriptus, & gloria ſua eiectus eſt? ANIMA. Iuſtiſsimè, probiſsimè. Niſi enim eſſet humanus ille rex, in membra corporis vindictam exercuiſſet, non tantùm externis ipſum multaſſet. Itaque contumelioſo illi corpus illæſum reliquit. CARO. Bene reſpondes, & vt ſe res habet, fers ſententiam. Veruntamen ſuper anima & carne hæc ſcienda ſunt. Quoniam anima in his, propter quæ procreata fuerat, permanere noluit, nec contenta eſſe illuſtri dignitate, quam ſortita erat, & pulchritudine mundi legitimè frui, vt paterna hæreditate, natura & gratia ſibi tradita, & præſens tanquam non præſens rapere voluit, paremque illum cum domino honorem ad ſe deriuare inſipienter ſtuduit, elata gloria, qua deſupèr diues erat, carne à Deo ficta atque à principio condecorata, cuius ſubtilitas incredibilis, cuius pulchritudo admirabilis, lapſum priuauit, ne iterum laberetur. Luci enim ſtellarum, & lunæ primæuam protoplaſtorum pulchritudinem aſsimilauit, ſpectaculum ineffabile, ſingulare, incomparabile, ſine veſte, ſine artificio, non egens tegumentis, gloria & pulchritudine ſolem omnino æquans. Sic enim illi quamuis nudi, nihilominus clarum fulgebant, & gratiæ ſplendores iaculabantur. Et hanc quidem carnem induuntur ex cauſſa quam dixi. Fluxa autem & corruptibili natura, inſtar foliorum, ab vniuerſitatis opifice poſtmodum veſtiuntur. Non qui mutaſſet puluerem, aut naturam eius: ſed qui priorem ſubtilitatem abſtuliſſet. Et ab Eden, & deliciis illis eiiciuntur, vt ligno vitæ orbentur; quòd Deus curaret, non autem (quod abſit) inuideret, impetumque peccandi & errandi cohiberet. Mors autem non eſt mors, tametſi quædam pœna eſt: ſed remedium quoddam benignum, quo ad conducibile nobis tranſimus: & pœna eſt plena humanitatis, vt etiam malum non ſit tandem immortale: ſed vt mortui, à peccato iuſtificemur. Seruit igitur animæ caro peſsima in annos viginti, aut amplius, vel centum etiam: quanquam quis eo vſque vitam producit? Quamenimcumque diu vincula illa durauerint, tandem rumpuntur, & corpus in ea reſoluitur, è quibus à principio eſt formatum, & terrenus poſtremò in terram redit. Corpore autem intereunte, penitus nudaris & deſolaris manifeſtè per quod appares, quodque ipſa contines, nec vllo modo ab ipſo contineris.

" GREGORIVS. Οὐ γάρ ἐστι ἡ ψυχὴ ἐν τῷ σώματι ὡς ἐν ἀγγείῳ ἢ ἀσκῷ, ἀλλὰ μᾶλλον τὸ σῶμα ἐν τῇ ψυχῇ. οὐ γὰρ περιέχεται ὑπ' αὐτοῦ, ἀλλὰ περιέχει αὐτὸ ἡ ψυχή. *Non enim eſt anima in corpore vt in vaſe, aut in vtre aliquo: ſed contra potius corpus in anima, quæ non ab ipſo continetur, ſed ipſum potius continet.*] "

" Soluta igitur, ſurſum ad conditorem proficiſceris. Veruntamen ſi cuſtodieris etiam mentem (vt fas eſt id, quod ad ſimilitudinem Dei eſt conditum) non deprauatam, à vitiis liberam. Proficiſceris, inquam, intelligens ad intelligentes (ducibus angelis) quibus cum tibi cognationis & naturæ, & patriæ ſocietas intercedit; ad lucidos, coruſcos, & lumina altera.

" Οὐ γὰρ αὐτόματος ἡ ψυχὴ πρὸς ἐκείνην ἀναχωρεῖ τὴν ζωήν, ἐπεὶ μηδὲ δυνατὸν· ἀλλ' ὑπὸ ἁγίων ἀγγέλων ὁδηγουμένη ἄνεισι. *Haud enim per ſe anima ad vitam illam euolat, quod non poteſt: ſed à ſanctis angelis deducta.*]

" CHRYSOST. Ὁδὸς γὰρ ὁ παρὼν βίος, δεόμενος τῆς ἄνωθεν χειραγωγίας. εἰ γὰρ εἰς πόλιν μέλλοντες ἀπιέναι, δεόμεθα τοῦ γνωρίζοντος ἡμῖν τὴν ὁδόν, πολλῷ μᾶλλον εἰς τὸν οὐρανὸν ἀποδημεῖν μέλλοντες χρείαν ἔχομεν τῆς ἄνωθεν ῥοπῆς, ἵνα καὶ δείξῃ, καὶ στηρίξῃ, καὶ χειραγωγήσῃ. πολλαὶ γὰρ ἀτραποὶ ἐκτετριμμέναι. ἀλλὰ τὸ μὲν ὁδηγηθῆναι τοῦ θεοῦ γίνεται· τὸ δ' ἄξιον εἶναι θεοῦ, καὶ κρατηθῆναι ὑπὸ χειρὸς ἐκείνου, τῆς ἡμετέρας γνώμης σπουδῆς. ἂν γὰρ ᾖς ἀκάθαρτος, οὐ κατέχει σε ἡ χεὶρ ἐκείνου. *Præſens enim vita via quædam eſt, ſuperna manuductione opus habens. Si namque in vrbem aliquam abituris neceſſarius eſt nobis qui viam monſtret, quanto magis in cœlum abituri, ſuperna indigemus ope, quæ & monſtret iter, & nos confirmet, & manu ducat. Multa enim ſunt viæ auiæ. Ceterùm duci nos eò, Dei munus eſt: vt autem digniſſimus Deo, & eius manu teneamur, ſtudij noſtri eſto. Si enim immundus fueris, non te illius manus continebit.*]

Pura ad puros, in virtute à Deo data, & gaudio impleris eorum, quæ in cœlis inuenis. Quod ſi contra aliqua & operibus nigra & caliginoſa fuerit, à tenebroſis & caliginoſis angelis abducitur. Et quia tenebræ eſt, cum his tenebras ſortitur (vt illaudatis motionibus implicita) cum earum præfectis, & curatoribus. Nam naturæ animarum reſpondent actionibus ſuis, & omnimodis vnaquæque talis eſt, quales actiones eius apparent. Si opera lucis fuerint, illuminantur naturâ: ſin tenebrarum, participes fiunt tenebrarum. Anima quippe ab initio corpori immiſſa, velut viſco adhæret, & tota quodammodo illi coaluit, & per ſpeculum corporis inſinuatur & reſpicit, obſcurante & obtegente carne naturam incorpoream; à qua vbi ſeparata fuerit, clarius perſpiciet.

1. Cor. 13. " Πρόσωπον πρὸς πρόσωπον, οὐχ ὡς πρόσωπον ἔχοντος τοῦ θεοῦ, ἀλλὰ σαφέστερον δηλονότι, καὶ τρανότερον. Facie ad faciem. *Non quòd Deus faciem habeat; ſed clarius videlicet, & manifeſtius*]

Hîc

Hîc paradigma ſiue exemplum quod attuli, finem habet. Id ſi non optimè conuenire, nec vndique ipſi rei propoſitæ reſpondere exiſtimas, quodcunque paradigma conſidera, & diſce, ſemper illud leuiter rem attingere, ſeu ſtringere, non planè tangere, nec eſſe omnino par: hoc enim modo eſſet idem. Quod autem idem eſt, nunquam παράδειγμα vocari queat.

CAPVT VII.

Quid ſignificet, ad imaginem, & ſimilitudinem: *& verius ſecundum animam nos eſſe homines. De celeritate animorum incredibili.*

ANIMA. Et qualem tandem arbitraris eſſe hominem? Explicadum mihi. An ſolum corpus, quod corrumpitur: an (penes quam imperium eſt) anima illud, *ſecundùm imaginem, & ſimilitudinem*, vt ſcriptum eſt, citra vllam mutationem ſeruat? Moſes enim litteris tradidit, hominem ad imaginem Dei procreatum eſſe, eum quem primum ab initio Deus condidit. Quonam pacto autem citra animam corpus homo vocatur? rurſumque, quinam ſola anima homo appellatur, abſque corpore, cum quo ſubſiſtit? Etenim ille ſpectator Dei ſcripſit in Geneſi, Deum de puluere terræ hominem formaſſe. Corpus igitur quomodo tam apertè hominem nominauit? Nam ſpiraculum vitæ poſtea, poſt primam ſcilicet formationem, in faciem eius inſpirauit, ac poſtmodum in animam viuentem factus eſt. Ad vtrum igitur illud, *ad imaginem, & ſimilitudinem* pertineat, velim me doceas, ad animam ne, an ad ſeruum, & conſeruum corpus. CARO. Docebo, & ex Pauli ſcriptis teſtimonium firmum deſumam, vnde rem cognoſcas. *Licet is, qui foris eſt, homo noſter corrumpatur*, inquit, *tamen is qui intus eſt, renouatur de die in diem.* Homines igitur hæc ambo nominauit, internum & externum: vtrumque ſeparatim, quoniam vtrumq; animam habet & corpus. Veruntamen propriè ſecundùm animam homo vocari poteſt. Ne tu mihi externa, & quæ in oculos incurrunt, conſidera: neque illam corporis formationem tecum reputa. Caro enim velut indumētum, & tegumentum quoddam concipienda eſt. Illud, *ſecundùm imaginem*, vt paucis dicam, anima eſt. At enim ſecundùm gratiam iſtuc, non ſecundum naturā intellige. Noli enim exiſtimare, domina, corpus hoc quod corrumpi-

Geneſ. 2.

2. Corin. 4.

rumpitur, hominem nuncupari, tametſi ſcripturam dicentem audias, *faciamus hominem ad imaginem, & ſimilitudinem noſtram:* Sed intellige animam potius ibi hominem dici, non, inquam, hunc quem videmus: ſed qui intus latet: naturam ſcilicet aſpectum fugientem, interitus expertem, & præſtantiorem. Porrò hoc ipſum hinc aptius percipies. Ipſa ego ſecundùm animam homo ſum. Meum enim corpus dicitur: nam corpus eſt animæ corpus. Non enim aut manus *ego*, dicit, aut pes, aut membrum aliud: ſed vox iſta, *ego* planè eſt animæ. Cætera omnia quæ corporis ſunt, pedes, manus, membra, & partes eius vocantur ab his, qui ſciunt illud à principio tanquam inſtrumentum aliquod, ſeu vehiculum eſſe factum, vt oſtendimus. Itaque & hinc animam potius eſſe hominem exiſtimandum eſt. Ratio porrò regina in perturbatiões imperium habuit, & homo imperium in creaturas totius orbis. Quatenus præeſt vt princeps, & dominus, homo imago Dei eſt, & vocatur.

„ THEODORETVS. Εἰκὼν θεοῦ ὁ ἄνθρωπος οὔτε κατὰ τὸ σῶμα, οὔτε κατὰ ψυχὴν,
„ ἀλλὰ κατὰ τὸ ἀρχικὸν μόνον. ὡς ἁπάντων τοίνυν τῶν ἐπὶ γῆς τὴν ἀρχὴν πεπιστευμέ-
„ νος εἰκὼν προσηγόρευται τοῦ θεοῦ. ἡ δὲ γυνὴ ὡς ὑπὸ τὴν τοῦ ἀνδρὸς ἐξουσίαν τελοῦσα, τοῦ ἀν-
„ δρὸς ἐστὶ δόξα, καὶ οἷον εἰκόνος εἰκών. ἀρχὴ μὲν γὰρ καὶ αὐτὴ τῶν ἄλλων, ἀλλ' ὑποτετάχ-
„ θαι τῷ ἀνδρὶ προσετάχθη. *Homo neque ſecundùm corpus, neq; ſecundùm animam,*
„ *ſed ſecundùm imperij maieſtatem duntaxat Dei imago eſt. Vt igitur omnium quæ*
„ *in terris ſunt principatu inſignitus, Dei imago appellatur. Mulier autem vt ſub*
„ *viri poteſtate conſtituta, gloria eſt viri, & velut imaginis imago. Eſt quidem &*
„ *ipſa aliarum rerum princeps, veruntamen viro ſubeſſe iuſſa eſt.*]

Præſtantiſsimum maximeque primum in anima certum eſt mentem eſſe, cui facultas celerrima, & incomparabilis data eſt. Habitat quidem in anima, & puncto temporis vniuerſum mundum peragrat, ac citra defatigationem, Boreæ, & Auſtri, orientis occidentiſque climata percurrit: mare, continentem, inſulas peruadit, cœleſtia, & ſupercœleſtia attingit. Eſſentia quidem minimè, ne iſtuc cogites, neue dicas: ſed vi cogitationum, & imaginationibus ſolis. Sola diuinitas omnibus & vbique præſens adeſt, ſubſtantialiter, & naturaliter, vt natura ſupra naturam, vt ſola ſuperſubſtantialis, vt ſola inexplicabilis. Itaque *ſecundum imaginem* principatum dilucidè ſignificat. Verùm quemadmodum nemo eſt ſuperior, nec æqualis domino (omnia quippe omnium conditori cedunt) ita in terris nihil eſt homine ſuperius ac maius. Ille enim dominus & creator eſt omnium ſimul: te autem per gratiam ſuam principem omnium quæ in terris ſunt, facit. Omnibus iumentis præſumus, omnibus natantibus, & terrenis, vniuerſis, vt breuiter dicam, imperamus, reptilibus, volatilibus, piſcibus,

ſcibus, beſtiis, & quotquot tandem animantia ratione carentia Deus creauit. Iam igitur cuius, & quale ſit illud *ſecundùm imaginem*, cognouiſti. Rurſum illud, *ſecundùm ſimilitudinem* in nobis ſitum eſt, noſtræq; voluntatis, & conſilij, & morum eſt. Etenim aſsimulamur ratione etiam domino, ſi mores ex virtute manantes, vt decet, induamus. Nam poteſtatem qua ſecundùm Deum viuere queamus, ſi modò velimus, ipſe nobis indidit, faciendique optima & ſalutaria, & diuina. per quæ quis pro modulo ſuo ſimilis Deo euadit, quà veritate, miſericordia, iudicio videlicet.

BASILIVS. Τὸ κατ' εἰκόνα ἐστὶ τὸ ἀρχικὸν δηλαδὴ, καὶ βασιλικόν· τὸ κατ' εἰκόνα, ἔχω ἐν τῷ λογικὸς εἶναι, καθ' ὁμοίωσιν δὲ γίνομαι ἐν τῷ χρηστὸς γενέσθαι. καὶ κατ' εἰκόνα μὲν ὡς ὢν ὄντως, καὶ ὡς ἀεὶ ὢν, εἰ καὶ μὴ ἀνάρχως, ἀλλ' ἀτελευτήτως. καθ' ὁμοίωσιν δὲ ὡς ἀγαθὸς ἀγαθοῦ, καὶ ὃς σοφὸς σοφοῦ, τοῦ κατὰ φύσιν ὁ κατὰ χάριν. καὶ κατ' εἰκόνα μὲν πᾶσα φύσις λογικὴ ἐστὶ τοῦ θεοῦ, καθ' ὁμοίωσιν δὲ μόνοι οἱ ἀγαθοὶ καὶ σοφοί. Secundùm imagiginem, *eſt nimirum poteſtas illa regia & imperatoria.* Secundùm imaginem *habeo ex eo, quod ratione ſum præditus:* ſecundùm ſimilitudinem *autem fio ex eo, quod bonus fio. Et,* ſecundùm imaginem *quidem ſum, vt qui reuera ſim, & ſemper ſim; & ſi non abſq; principio: ſed tamen ſine fine.* Secundùm ſimilitudinem *verò vt bonus boni, vt ſapiens ſapientis & quidem naturà ſapientis ego per gratiam ſapiens. Et,* ſecundùm imaginem *quidem Dei eſt omnis natura intelligens:* ſecundùm ſimilitudinem *autem ſoli boni ac ſapientes.*]

Vt ſi ſtuduerimus vitam probam agere, & nos virtuti deditos probauerimus, etiam mercedem vt debitam, non gratuitam: non temerè, ſed propter opera tantum præbitam accipiamus: ex quibus quiſpiam pro captu humano conditoris ſimilitudinem acquirit: ſicut homines docet perfectos fieri, cœleſtem, & omnimodis perfectum patrem imitantes, qui communiter, & ex æquo pluit ſuper iuſtos & iniuſtos, & ſolem ſuum omnibus oriri facit. Si igitur tu quoq; vitam *Matth. 5.* Deo placitam amaueris, fuerisq; fratrum amans, & miſericordiæ ſtudioſa, mitis, humana, conditorem ſimilitudine quadam expreſsiſti. Veruntamen *ſecundùm imaginem* habes donum à Deo, & facultatem rationalem, & imperij principatum & (quod quartum eſt) auctoritatem, qua nihil maius: *ſecundùm ſimilitudinem* verò ex operibus virtutis. Si enim & hoc donum eſſet, vt prædicta, vbi eſſet quæ tibi refertur gratia? quomodo coronareris? & ſuperna regia quomodo aperiretur tibi? Itaque bonum eſt ſaluari, & ex laboribus ſuis, ex quibus coronam vt debitum, non vt donum adipiſceris: quod pigritantium, vel potius puſillanimium, & illiberabilium ſeruorum eſt.

CAPVT VIII.

Corpus Adami nec interitui obnoxium, nec ab eo alienum eſſe conditum.

ANIMA. Etiam hæc diſertiſsimè diſſeruiſti, ſatiſque demonſtraſti. Verùm agè, & hoc mihi cupienti ediſſeras, corpus protoplaſti, mortale ne tantùm, an contra immortale principiò formatum eſt? CARO. Nec mortale & corruptibile, nec contra immortale: ſed inter mortalem immortalemque naturam medium, & medium maximè inter hæc vtraque. Vt ſi quidem partem meliorem eligeret, legiſque præſcriptum ſeruaret, ex opere æternitatem conſequeretur. Si autem cupiditatibus rerum labentium cederet, & corruptibile, & mortale corpus geſtaret. Si enim conditor prorſus immortalem condidiſſet hominem, non eum morte damnauiſſet: immortale enim mortalitate, quis damnanauerit? Sin condidiſſet mortis in omne æuum expertem, alimento corporeo & corruptibili, ac terreſtri non egiſſet: —

" CHRYSOST. Ἐπειδὴ γὰρ φθαρτὸν ἔμελλε τρέφειν ἄνθρωπον, καὶ τὴν κτίσιν αὐ-
" τὴν τοιαύτην εἶναι ἐχρῆν. οὐ γὰρ δὴ φθαρτὰ σώματα ἀφθάρτῳ ἤμελλεν ἐνδιαιτᾶσθαι φύ-
" σει. λοιπὸν οὖν φθαρτὴ καὶ κτίσις ἐγένετο. *Quoniam enim hominem corruptibilem*
" *nutritura erat, creaturam ipſam quoque huiuſcemodi eſſe oportebat. Non enim*
" *intereuntia corpora incorruptibili alimonia victura erant. Sequebatur ergo, vt*
" *& creatura corruptibilis fieret.*]

— nec aliquo modo delicti eum pœnituiſſet: quomodo in ipſo primo angelo contigit: quem etſi aduerſus conditorem eleuatus eſt atque inſurrexit, tamen eum immortalem, vt prius, manere ſiuit, & manent immortales illi ſpiritus, tenebrarumque participes.

CAPVT IX.

In quas oras animæ ex hac luce commigrent.

ANIMA. In longum huius dogmatis diſputationem produximus. Non quia dubitaremus, aut cauillaremur: ſed, quod inprimis oportebat, vt diſceremus, non vt tantum percunctaremur. Quoniam autem & hoc finem optatum accepit, tempus opportunum eſt ad alia tranſeundi, quæ ab initio propoſui, ne in obliuionem veniant. In omnibus autem quæſtionibus, peto vt mihi ignoſcas. CARO. Eloquere quid quæras: haud enim memini. ANIMA. Illud erat quod percunctabar, quibuſnam in locis, & quibus regionibus iuſtorum, peccatorumque ſpiritus

ritus poſt diceſſum ex hac luce, vſq; ad Chriſti aduentum viuere ſtatuendum eſſet. CARO. Si noſcere vis, quomodo ſe habeat, quod interrogas, aduerte animum his quæ dicam, & veritatem percipies. Scripturæ docent, excelſiſsimum eſſe locum, in quo animæ iuſtorum requieſcant. Hic autem locus diuerſis nominibus appellatur. Nempe regio viuentium, terra mitium, tabernaculum à Deo factum, ciuitas altiſsima, torrens odoratiſsimus, ſonitus feſtum celebrantium. Et hæc quidem ex epiſtolis Pauli ad Corinthios, & Philippenſes conſtant. Inferior autem incolatus, & temporaneus, & ſeruilis eſt, tabernaculi huius, quo diſſoluto, domum aliam in ſuperis habemus, cuius ædificator dominus, cuius opifex Deus. *2.Corin.15.*

Ἐπίγειον δὲ οἰκίαν τὴν κατὰ τὸν παρόντα βίον λέγει διαγωγήν, σκηνὴν δὲ λέγει τὸ σῶμα. ἐὰν τοίνυν φησὶ τέλος λάβῃ τὰ παρόντα, τὴν ἀχειροποίητον ἔχομεν οἰκίαν τὴν οὐράνιον, τὸ μετὰ χριστοῦ εἶναι. Terrenam autem domum præſentis vitæ curſum & inſtitutum, tabernaculum corpus appellat. Si igitur, inquit, præſens vita finiatur, domum non manu factam habemus, *cœleſtem nimirum, nempe vt cum Chriſto ſimus.*]

Soluti igitur corporibus, conſtanter credimus abductum nos iri ad dominum, quicum eſſe præſtat. Quare & amabilem illam vocem emittit, cupio diſſolui, & hinc abſolui, vt cum Chriſto viuam, quicum eſſe deſidero. *Philip.1.*

Διὰ τὴν τελειότητα ποθεῖ τὴν ἀνάλυσιν. οὐ γὰρ ἁπλῶς τὸ ἀπελθεῖν τοῦ βίου καλὸν λέγομεν, ἀλλὰ τὸ καλῶς εὐδοκιμοῦντα ἀπελθεῖν ἐκεῖ. Propter perfectionem diſſolutionem deſiderat. Non enim ſimpliciter ex hac vita diſcedere bonum dicimus: ſed bonam famam conſecutum diſcedere.]

Et Salomon rex, vt videns (futuri prouidus, vt Prophetæ, qui videntes dicebantur) ita ſcribit: *iuſtorum animæ in manu omnipotentis Dei ſunt, & non tanget illos tormentum mortis.* Ioannes autem Damaſcenus, vir ſapientiſsimus, verè ipſa gratia, quod eius nomen ſonat, animas quidem habetis (inquit in hymnis martyrum) in ciuitate cœleſti, in qua habitãtes, cum domino viuitis, pro quo & occubuiſtis. Et plurimos alios teſtes, & maiores inter ſanctos dictis meis aſtipulantes producam tibi, Gregorium, Baſilium ſummos magiſtros, Gregorium Nyſſenum, Andream Creten ſem, & illud aureum, diuinumq; os, omnes ſimul concorditer, & vnanimi conſenſu, omnium Sanctorum animas in cœlo eſſe confirmantes. Oportet enim mundum supernũ impleri omnimodis (vt magna illa, & vigil mens Gregorius ſcribit) è quo de lapſus Satanas, vt fulgur de cœlo cum angelis ſuis, domino teſte, proiectus eſt. Poſtquam autem locus ille vacuus impletus fuerit, *Sap.3.* *Luca.10.*

conſumationem ſæculi,& iudicium exſpecta. Teſtis, & citra exceptionem Paulus,qui omnium caput & principem Chriſtum, poſtquam reſurrexit, primogenitum mortuorum , & primogenitum in multis fratribus,& Adamum ſecundum nominat.

Coloſſ.1.
Rom 8.
1. Cor. 15.

CHRYSOST. Τύπος ἦν Χριστοῦ ὁ ἀδάμ. ὥσπερ γὰρ ἐκεῖνος τοῖς ἐξ αὐτοῦ καίτοιγε μὴ φαγοῦσιν ἀπὸ ξύλου γέγονεν αἴτιος θανάτου, τοῦ διὰ τὴν βρῶσιν εἰσαχθέντος· οὕτω καὶ ὁ Χριστὸς τοῖς ἐξ αὐτοῦ, καίτοιγε οὐ δικαιοπραγήσασι γέγονεν αἴτιος δικαιοσύνης, ἣν διὰ σταυροῦ πᾶσιν ἡμῖν ἐχαρίσατο. *Adam Chriſtum adumbrabat. Nam ſicut ille poſteris ſuis,quanquam de ligno non comediſſent, cauſſa exilij per eſum illum inducti factus eſt: ita & Chriſtus in ſe credentibus, quanquam iuſtitiæ opera non habentibus, cauſſa iuſtitiæ factus eſt, quam per crucem omnibus nobis donauit.*]

Qui & primo prior, & prodromus nobis ad patrem præiuit, & in eius throno glorioſo ad dexteram conſedit, ſimul omnium caput, vt & capitis corpus paulatim eò congregetur, & congruenter aptetur & coagmentetur. Nec enim corpus ſit, abſente capite: nec rurſum caput,ſi abſit corpus.

CHRYSOST. Οὐχ ὡς ταύτης σωζομένης μόνον, ἀλλ' ὁμολογουμένου τούτου, ὅτι σωζομένης ψυχῆς, ἀναντιῤῥήτως καὶ τὸ σῶμα κοινωνήσει σωτηρίας κατὰ τὴν ἀνάστασιν. *Non quod ea ſola (anima) ſaluetur: ſed (vt eſt in confeſſo, & cui refragari nemo poteſt) quod ſaluata anima, etiam corpus in reſurrectione ſalutis particeps futurum ſit.*]

Cæterùm animæ bonorum ſolæ nunc euehuntur, per ſe, vt poſſunt, omni nexu ſolutæ, ad omnium caput & dominum vadentes : poſt reſurrectionem verò, etiam cum ipſis corporibus euehentur.

CLIMACVS. Οἱ μὲν τὰ τοῦ Θεοῦ φρονήσαντες, χωριζόμενοι τῶν τῇδε, ἄνω μερικῶς ἀνέρχονται, οἱ δὲ τὰ κάτω, κάτω πάλιν πορεύονται. τὸ γὰρ χωριζόμενον, οὐδὲν λοιπὸν μέσον ἵσταται. ὅθεν οἱ τὰ οὐράνια φρονήσαντες, εἰ καὶ τὰ ἄνω ἀνέρχονται ψυχαὶ αὐτῶν, ἐπὶ τῆς γῆς τὸ σῶμα καταλιμπάνουσι. οἱ δὲ τὰ γήϊνα, καὶ σαρκικὰ φρονήσαντες, μετὰ θάνατον ἐπὶ τὸν ᾅδην κατέρχονται. *Qui ſapiunt quæ Dei ſunt, emigrantes ab his rebus caducis, parte ſui ſuperna ſcandunt: contrà, qui res fluxas & infernè poſitas, infra deſcendunt. Nam quod ſeiunctum eſt, anima inquam, de cætero in medio non manet: qui cœleſtia, inquam, ſapiunt, ita in ſuperna euolant, vt in terra corpus relinquant. Qui autem terrena & carnalia ſapiunt, poſt mortem ad inferos deuoluuntur.*]

Papæ, quanta gloria, quantus honor? Papæ, quantum myſterium? quàm multa dona, quàm multa beneficia, in quibus à principio cum conditore communicauimus, & quæ à conditore vſq; in finem, & in ſempiternum obtinebimus. Tu crede, & fidem habe hæc dicentibus, vt vera de bonorum animabus ſentientibus ac docentibus.

Quod

Quod ſi etiam cognoſcere lubet, vbi peccatorum animæ inueniantur, & quo deueniant, de hoc quoque dicam. In partes terræ infimas & locum abeunt, in mortem caliginoſam. Attende, & conditionem illam defle. Dauid pſallendo gratias agit, qui eduxerit ab inferno animam ipſius, vt omnipotens, nec ſiuerit, vt miſericors, diutius tyrannidem pati. Quin & Iob inferni loca lamentatur, vocans terram tenebrarum & caliginis, vbi horror ſempiternus inhabitet: vbi nec videt quiſquam, nec videri poteſt. Eſt enim locus tenebroſus, & vallis caliginoſa, plena lachrymarum, & dolorum, longeq́ue profundiſsima. Quò cùm deſcendiſſet Dei Verbum, animas, quotquot illud etiam ibi adorabant, & violentia tyranni detinebantur, eduxit, & trophæum victoriæ erexit.

Pſal. 29. *Iob 10.*

CAPVT X.

De reſurrectione hominum ſupremo illo die: & cuiuſmodi tum beatorum, tum damnatorum corpora futura ſint.

SED quod futurum eſt audi, & contremiſce, & horreſce ad alterum illum, extremumq́ue aduentum, & vniuerſorum communem reſurrectionem. Inde prodibunt ſingulæ animæ cum corpore, cum quo vixerant, & illinc rurſum, heu, ad infernum redibunt.

ISIDORVS. *Τοῦ παρόντος βίου ὑποσυρομένου κατὰ μικρὸν, ἐγγύτερος ὁ τῆς ἀναστάσεως γίνεται καιρός. εἰ δὲ ἐκ τοῦ μὴ ὄντος δύναται θεὸς ὑφιστᾷν ὅσα βούλεται, πόσῳ μᾶλλον ἐκ τοῦ ὑφεστῶτος ἀνακαινίσαι τὰ ἤδη γενόμενα, καὶ εἰς γῆν ὑποστρέψαντα σώματα. ὅτι δὲ ἔσται, καὶ πῶς ἔσται ἀνάστασις, καὶ τὸ μυστήριον, τῶν σπειρομένων διδάξει σε, καὶ πάντων τῶν φυτῶν ἡ κίνησις, χειμῶνος τελευτώντων, καὶ ἔαρος πάλιν ἀναζώντων. Cum vitá præſens, ſiue ſæculum paulatim deficiat, tempus reſurrectionis propius accedit. Quod ſi Deus ex non extante producere poteſt quæcunque vult, quanto magis ex eo quod extat, poteſt renouare corpora, quæ iam fuerunt, & in terram redierunt? Fore autem reſurrectionem, & qualis futura ſit, & myſterium illud, quæ ſeminantur, omniumq́; plantarum motus te docebit: quæ cum hyeme moriantur, verno tempore reuiuiſcunt.*]

Hoc magni Dauidis verba docent, qui peccatores ad inferos reuerſuros affirmat, ait enim, *reuertentur vnde exiuerunt.* Ibi atrocia & plus quàm atrocia patientur, dolebunt, gement, plorabunt amarè, & plangent, & flebunt: veruntamen fruſtra & inaniter: nihil enim proficient, incaſſum lugentes. Parce mihi tunc Domine: ita, parce mihi, obſecro te. Quod paulùm effugiſti, iterum cernes, & accedes vetus tuum tabernaculum: prô quàm horribile quiddam; & voles ad angelos confugere,

fugere, ſed ab iis repellere. Aſpicies autem abominandum, & deforme domicilium, & impuritate, & maculis, & ſtigmatis plenum, & formidabile intuens, auerſata fugies. Sed minitantibus angelis, ac terrentibus, & ad ipſum flagris te violenter impellentibus, quanquam nolens, tuum corpus iterum ingredieris. Et hæc quidem huiuſmodi. Iuſtorum autem corpora vt margaritæ nitentes, vt carbunculus, vt lampades, vt ſol ſplendidiſsimus pulchritudine gloriæ. Quod ſi hæc doctrina tibi ambigua videtur, agam argumentis admodum probabilibus. ANIMA. Cuius nam argumentis? & vnde habes? CARO. Vnde? ex ſanctiſsimis, & plurimis, quorũ primus eſt Ezechiel, alter Iſaias, tertius Dauid inclytus, & cum eo omnes, qui ante Chriſtum, & poſt eum inſignes extiterunt. Chriſtus autem amplius tibi huius quæſiti fidem facit, qui trophæum maximum aduerſus mortem conſtituit: nempe his quæ in Euangelio dixit. Magnus autem Paulus de reſurre-
1. Cor. 15. ctione ad Corinthios ſcribens, carnem velut ingloriam in terram lapſam conſumi, vt infirmam, vt animalem teſtatur. Condita enim ſepulchro putreſcit, & diſſoluitur & corrumpitur: reſurgit autem incorrupta in ſpiritu, & gloria, immortalis, ſemper viuens, plena gratiarum. Continuò huiuſmodi exemplum apponit. Quemadmodum granum primum quidem nudum in terram cadit: poſtea computrefactum non nudum quid germinat: ſed cum tunicula, & alia ſimul calamum, ariſtas, genicula, folia, & multitudinem compoſitam granorum ad viſum ſpecioſorum profert.

„ CHRYSOST. Μὴ γὰρ ἐπειδὴ σῖτος σπείρεται, καὶ πάντες στάχυες ἀνέρχονται,
„ τοιαύτην νομίσῃς ἐν τῇ ἀναστάσει ἰσονομίαν εἶναι· μάλιστα μὲν γὰρ οὐδὲ ἐν τοῖς σπέρμασι μία
„ τάξις, ἀλλὰ τὰ μὲν τιμιώτερα, τὰ δὲ καταδεέστερα. ἐντεῦθεν μανθάνομεν, ὅτι εἰ καὶ ἐν βασι-
„ λείᾳ πάντες, ἀλλ' οὐ πάντες τῶν αὐτῶν ἀπολαύσονται, καὶ εἰ καὶ πάντες ἐν γεέννῃ οἱ ἁμαρ-
„ τωλοὶ, ἀλλ' οὐ πάντες τὰ αὐτὰ ὑπομένουσιν, ἀλλ' ἐν διαφορᾷ πολλῇ ἀμφότεροι. *Ne tu per-*
„ *inde in reſurrectione fieri exiſtima, vt cùm frumentum ſeritur, & ſpica omnes è gra-*
„ *niũ aſſurgunt; præſertim, cum nec in ſeminibus ſit æqualitas: ſed alia aliis potiora.*
„ *Vnde diſcimus, quanquam omnes boni in regno cælorum futuri ſint, non tamen*
„ *omnes iiſdem gaudiis fruituros. Et quamuis omnes peccatores in gehenna erunt,*
„ *non tamen omnes eadem tormenta ſuſtinebunt: ſed vtrique multo diſcrimine, &*
„ *illi lætabuntur, & hi cruciabuntur.*

Similiter mihi cogita & reſurrectionem ab ipſo Adamo primo parente vſque ad finem, & inſpice, & admirare altiſsimam prouidentiam. Repente tunc omnis creatura mutabitur. Non enim tunc paruus, nec magnus, nec niger, nec albus, nec gracilis, nec craſſo corpore, nec ruffus, nec flauus, nec nigro capillo: non curuus, non claudus, non turpem affectum habens, non deformis, non carens manu aut

pede,

pede, aut claudicans, non gibboſus, non cæcus, non balbus, non ſapiens, non ſtultus, non ſenex, non puerulus, non ſeruus, non liber, non barbarus, non Scytha. Nec enim vt moritur quis, ita etiam reſurget: ſed qualis primò conditus homo fuit; & qualis erat antequam de ligno vetito comedens, mandatum tranſgrederetur. Non enim hoc corpus tunc craſsitiem habebit: ſed idem quidem erit: character & habitus autem diuerſus: non generatio (nec enim virorum, mulierumque naturalia admixtionem, ad copulationem, libidinemque corporum ſeruient: ſed erit alius ſtatus, quem conditor ſolus nouit, non ſolum vt oſtenſum eſt, ad rationem incorruptionis: ſed etiam extra omnem curam, & ſollicitudinem, & ſtudia mundana, conatusq;. Ceſſabunt poſt reſurrectionem nuptiæ: deſinet amor carnalis: nulla erit corporum venerea coniunctio. Non enim nubent, vt Chriſtus ait, *Lucæ 20.*
nec adulterandi, aut fornicandi ſentientur impetus: non bellum: non irruptiones & luctæ: ſed natura hominum ſimilis naturæ angelorum futura eſt: quod & Dominus perſpicuè docet.

GREGORIVS. *Μέλλομεν τότε ἀπεκδύσασθαι τὸν δερμάτινον χιτῶνα, ὃν περιεβλήθημεν μετὰ τὴν παράβασιν ἐκ τῶν ἀλόγων δερμάτων, καὶ πάντα ὅσα τοῦ ἀλόγου δέρματος περὶ ἡμᾶς, ἂν ἐν ἀπεκδύσει τοῦ ἀλόγου συναπεκβαλλώμεθα. Tunc pelliceam tunicam deponemus, quæ poſt tranſgreßionem è pellibus brutarũ animantium cooperti ſumus, & ſimul omnia quæ ſunt brutæ pellis, in nobis, exuemus.*

BASILIVS. *Οὐ δεῖ τὰ ἰδιώματα τοῦ αἰῶνος τούτου καὶ μετὰ τὴν ἀνάστασιν προσδοκᾷν, ἀλλ' ἀγγελικὸν, καὶ ἀπροσδεῆ βίον εἰδέναι τὸν ἐν τῷ μέλλοντι αἰῶνι. Linguæ ſæculi huius etiam poſt reſurrectionem exſpectanda haud ſunt. Sed ſciendum, vitam angelicam, citra vllam egeſtatem in ſæculo futuro actum iri.*]

Et Paulus ſcribit, eos qui relinquentur, necdum morte obita, immutatum iri, cum in momento, in ictu oculi iudex aderit. Deinde vniuerſos reſurrecturos, etiam immutatos: omnes ſiquidem eadem erunt ætate. Nudos autem, & τετραχηλισμένους reſurrecturos. Nudum, & τετραχηλισμένον ab ouibus rationis expertibus, & ſacrificiis dictum eſt, quaſi dicas, reſupinata facie omnium oculis expoſitum. Nam antiquitus lex à Moſe lata fuit, vt huiuſcemodi hoſtiis ſacrificandis pelles detraherentur, vt membra vndiq; rimari liceret, ne alicubi læſum quippiam, aut mancum ſubeſſet: quandoquidem tunc etiam tota res nudabitur. *1.Cor.15.* *Hebr.4.* *Leuit.1. & alibi.*

THEODORETVS. *Ὅρα τί ἐστι τὸ τετραχηλισμένον, διηγόρευε ὁ νόμος τὰ εἰς θυσίαν προσφερόμενα θύματα ἄρτια εἶναι κατὰ πάντα. μήτε ὠτότμητον, μήτε χωλὸν, μήτε λώβην τινὰ ἔχον. ἀφαιρεθείσης δὲ καὶ τῆς δορᾶς, καὶ εἴγε φανείη τις μῶμος αὐτοῦ, ἢ μελάνωσίς τις ἐν μέρει τοῦ σώματος, μὴ προσάξει τοῦτο τῷ θεῷ. Vide quid ſit τετραχηλισμένον. Lex iubebat, quæ in ſacrificium offerrentur, perfecta & integra eſſe vndiquaque,*

Leuit.22. » *quaque, non aure mutila, non clauda, non vitium aliquod habentia. Abſtrahi e-*
» *tiam pellem, & ſi quid reperiretur maculæ, aut denigratio aliqua à parte quapiam*
» *corporis, Deo hoſtiam illam non ſacrificari.*]

Illud autem, *mortui reſurgent incorrupti,* hunc ſenſum habet: non erit aliqua ſubſtantiæ carnalis conſumptio. Sola quippe mors mortalitatem ſoluit, & naturæ pereundi finem affert, & mori poſſe tollit, naturam non tollit. Quanquam enim corpus euaneſcit, manet nihilominus, & illo die gloriæ plenum reſurgit.

» Διαφέρει φθορὰ, διαφθορὰ, καὶ καταφθορά. φθορὰ μὲν ἐστὶν ὁ τῆς ψυχῆς χωρισμὸς, καὶ
» ἡ τοῦ σώματος ἠρεμία, καὶ ἀκίνησις, ἣν καὶ τὸ ἄχραντον τοῦ κυρίου σῶμα ὑπέστη. διαφθορὰ
» δὲ τὸ σαπῆναι, καὶ σκώληξι καταβρωθῆναι, ἣν οὐχ ὑπέστη τὸ παναχραντον τοῦ κυρίου σῶ-
» μα. καταφθορὰ δὲ ἡ παντελὴς ἀπώλεια. ὡς τὸ, κατεφθάρη ὁ λαὸς οὗτος ὑπὸ τῆς ἁμαρ-
» τίας. *Differunt hæc tria* φθορὰ, διαφθορὰ, καταφθορά. *Etenim* φθορὰ *interitus, eſt a-*
» *nimæ à corpore ſeparatio, & corporis quies atque ab omni motione ceſſatio: quam*
» *& immaculatum Chriſti corpus ſuſtinuit.* διαφθορὰ *corruptio, eſt putrefactio, &*
» *paſtio ipſa vermium: quam immaculatiſsimum Chriſti corpus neſciuit.* καταφθορὰ
» *pernicies, eſt conſummata, & perfecta perditio, ſiue exitium. Quo ſenſu dictum eſt*
» *illud,* diſperiit populus iſte propter peccatum.]

Veruntamen hoc non de omnibus hominibus intelligendum eſt. Reſurrectio quippe communis eſt omnium. Aſt quod ad gloriam, & communicationem gloriæ attinet, procul dubio non niſi eorum erit, qui in Chriſto vitam exegerunt. Nam *qui bona fecerunt, in vitam reſurgent, qui verò mala, in iudicium,* vt ſcriptum eſt. Ioan.5.

CAPVT XI.

Ecquid Chriſtus deſcenſu ad inferos, omnes animas inde eripuerit.

ANIMA. Oratio tua nihil dubitationis habet, mihiq́ue per omnia ſummopere placet. Equidem credo iſta, & fidem habeo, extra hoc ſolum. Audio enim ſcripturam apertè dicentem, cùm deſcendiſſet Verbum ad inferos, ab illo Zachar.9. dominatu omnes in libertatem aſſeruiſſe. Tu verò paulò antè docuiſti peccatorum animas in tartaro detineri, manereq́ue nihilominus, vt antea. Si enim ſimpliciter omnes à tyranno vindicauit, quo pacto tu contrà affirmas, animas illic retineri, & pati quæ patiuntur, qui pœnas perſoluunt? Mihi quidem ſacris literis parum conſentanea, falſitatiſq́ue ſuſpecta videris differere. CARO. Aduerte animum, domina, hoc quæſitum tibi diſſoluam. Etenim & vera tibi dico, & Scripturæ congruentia. Paradigma rem confirmabit. Ponamus aliquem

eſſe facinoroſum & fugitiuum, ingratum, ſeruum vernaculum Domini ac regis ſui, qui ſe loco munitiſsimo, expugnatuque difficillimo teneat; quo in loco vrbem ædificet, quam crebris & excelſis turribus communiat. In huius vrbis medio effodiat lacum profundiſsimum, qui ipſos terræ fines ac terminos infra attingat: cuius latitudo altitudini reſpondeat, lacum tenebroſum & obſcurum, lacum vmbræ mortis: & carceres in eo anguſtos, caliginoſiſsimos, & ad cruciatum aptiſſimos. Ad hæc aliam maleuolentiam conſidera. Poſtquam infelix tyrannus beſtias venenatas, & leones, & dracones, viſu deformes pardales, aſpides, rubetas, ſerpentes, ſcorpiones exitiabiles congregauit, has ſimul lacu caliginoſo ad dolores & pœnas eorum retinet, quotquot ſubactos ibi incluſerit. Nec in hoc lacu, nec in hac vrbe vel ſolis vel lunæ lumen cernitur: Sunt autem tenebræ palpabiles, & tenebræ illæ Aegyptiæ, omnibus notiſsimæ. Iuxta vrbem eſto via militaris, ſiue publica, quam omnes hominum nationes pertranſeunt: & alij quidem amici regis, alij aduerſarij, & inimici, qui omnes, alius aliunde à ſeductore capiuntur; nec aliò currere ſalutis cauſſa poſſunt. Durauit dominatio tyranni huius diutiſsimè: omnes paulatim in ſuam poteſtatem redegit, violentia illi pro iure eſt, tyrannicè inſurgit, capit, verberibus indignè pulſat, premit, affligit inſignes, abiectos, omnes, bonos & malos ferreis compedibus in lacu conſtrictos: in quo locus nullus eiuſcemodi indignitate vacat. Quam tyrannidem rex amplius non ferens, ſed benignè reſpiciens, & populum miſerans, chariſsimũ, & quem habuit vnicum filium ad generis humani liberationem, dimiſsionem, & auxilium miſit. Qui cùm aduenisſet, & cum ſeductore manus conſeruiſſet, eumque deieciſſet, & conſtrinxiſſet, & vi valida eneruaſſet, victoriamque aduerſus hoſtes, vt potens in prælio obtinuiſſet, vrbem peruaſtauit, turres diruit, ſimul quidquid inimicorum fuit, perdidit, occidit, eliſit, & omnia vaſa rapuit ac diripuit. Et infima laci illius penetrans, omnia clauſtra, catenas, & portas confringens, omnes penitus in cuſtodiis illis vinctos liberauit, in lucem eduxit, multiſque videndos exhibuit. Sed animaduerte quod conſecutum eſt arbitrium & iudicium. Amicos quidem paternos ab aliis ſecretos, maximaque gloria & honore dignatus, regi & patri vniuerſos adducit, vt ſint imperij cum Domino participes: non amicos autem, ſed hoſtes infra reliquit, quoad dies extremi, & generalis iudicij illuceſcat, & de omnibus iuſta ſententia pronuntietur. Alioqui & tu, domina, planè iniuſtum iudicas, ſi impios & inimicos illos potentis, pari frui voluptate cum amicis eius, aut eadem cum ipſis præmia conſequi debere exiſtimas. Non autumo te iſtuc arbitrari. Et hoc illi ad

Exod. 10.

Pſal. 23.
Matth. 12.
Eccleſ. 24.

miſericordiam maximum cenſeo, quod eandem vniuersè libertatem ſunt adepti, proſtrato qui æquè in omnes crudelitatem exercebat ſuam, communiter cuſtodia leuati planè, vinculis ſoluti, & abſoluti, & à belluis, truculentiſque carnificibus liberi. Quodque amplius, & pulchrius eſt, quòd tranſire potuerunt, cùm non eſſet cuſtos carceris, non punitores acerbi. Si igitur animas adhuc in inferno manere audis, ſcito neutiquam tormenta ſuſtinere, vt prius, nec etiam vinculis teneri ferreis vtpote à tyrannide vindicatas. Et hoc munus eſt maximum atque ampliſsimum. Ad hæc dicito, ſi quid tibi in mentem venit. ANIMA. Quorſum ſpectet hoc paradigma, intelligo. Iuſto iudicio omnes quod debent, amici maxima, inimici minora accipiunt. Veruntamen proportione gratiam omnes debent. CARO. Quo tandem modo intellexiſti problema: ſeu potius quo fine hoc paradigma allatum cenſes? Quis ſit hîc tuus ſenſus, noſſe peruelim. ANIMA. Interpretationem maximè talem puto. Tyrannus idem eſt qui prius, Lucifer. Quam vrbem ædificauit, infernum eſſe coniicio. Profundiſſimus lacus, & carceris tenebræ, infernus ſunt, & mors, amborumque imperium. Via regia ſeu publica ſine dubio huius vitæ curſus. Inſidiæ propè hanc viam publicam mors, vt videtur, quæ omnes rapit, & ad inferni ventrem demittit. Reptilia autem, & genera venenatorum peſsima, cruciatum illum intolerabilem interpretari oportet. Rex & Dominus, & filius regis, eſt omnium conditor, & ſaluator hominum Chriſtus. Amici ſunt iuſti: contra, inimici ſunt impij peccatores, quos enim alios eſſe dicam? Quò autem paternos amicos induxerit, regnum cœleſte quiſpiam non ineptè dixerit. CARO. Dexterrimè intellexiſti, & pulcherrimè declaraſti. Gratia Chriſto, qui hoc tibi inſpirauit. Veruntamen ſcito paradigma non vſquequaque illi quadrare, cuius eſt paradigma. Non enim iam paradigma, ſed omni-
Geneſ. 49. modis idem foret. De Chriſto vaticinans Iacob Patriarcha, *recumbens*
Amos 5. *dormiuit vt leo*, inquit. Rurſum alibi vrſus à Scriptura dicitur. Difficilia planè & ſymbolica, non tamen ex his audebit quiſpiam rationem ferarum Verbo ac Domino prorſus attribuere. Quod vtile eſt, & ad rem facit, id duntaxat à feris mutuandum eſt: quod blaſphemum, & rancidum, relinquendum. Leo quatenus animalium rex, & terribilis, huic comparationi ſeruit. Vrſus autem, vt quiddam natura iuſtum, & vltionis expetens. Tale eſt paradigma, non ſimile & aptum omnimodis. Quæ autem mihi dicenda reſtant, ea poſterius dicam. Nunc quod ad vtilitatem tuam addam S. Damaſceni eſt. Docet enim, & perſpicuè demonſtrat, in Chriſto viuentibus hanc rationem multò veriſsimam. Docet verò per iambos, num ſimpliciter omnes

Chriſtus

Chriſtus apud inferos ſaluauerit, an qui ibi crediderant, quod recipiendum.

Sermonem hunc non eſſe Damaſceni, propter characterem iamborum, hoc eſt, "
quia iambis conſcriptus ſit, affirmat in margine ſcholion: quanquam in illis iambis "
non dimenſionis ſyllabarum, ſed pedum ratio habita eſt potius. Eſt autem ſermo ſeu "
oratio pro defunctis cum hac inſcriptione. Quod ij qui cum fide ex hac vita "
exceſſerunt, viuorum miſsis, & beneficiis iuuantur.

CAPVT XII.

S. Ioannis Damaſceni locus de iis, quos Chriſtus ab inferis liberarit.

AC nonnulli quidem per eos, qui antè crediderunt, Patres & Prophetas, & Iudices, & Reges, & Principes intelligũt, aliosq; nonnullos, Hebraici populi, qui facilè recenſeri poſſunt, omnibusq; noti ac perſpicui ſunt. Nos verò aduerſus eos, qui ita ſentiunt, ad hunc modum diſſeremus. Nec beneficij loco ducendum, nec nouum ac mirum hoc cenſendum eſt, iis nimirum, qui crediderint, ſalutem à Chriſto allatam eſſe: quippe cum ſolus ipſe Iudex ęquitate pręſtet, nec periturus ſit, quiſquis ipſius verbis fidem adhibuerit. Quocirca eos omnes ſalutem conſequi, atq; ad Dei ac Domini deſcenſum inferni vinculis ſolui, neceſſe erat. Idque & ipſius prouidentia contigit. At verò cuncti illi, mea quidem ſentẽtia, ſola ipſius benignitate ac miſericordia ſalutẽ acceperunt, qui etiamſi alioqui vitæ puritate excelluiſſent, atq; optimis quibusq; actionĩbus perfuncti fuiſſent, tenuiterq; ac temperanter, & caſtè vixiſſent, tamen puram ac diuinam fidem haudquaquam perceperunt, vt qui nulla omnino diſciplina, aut cuiuſquam magiſterio eruditi exculti q; fuiſſent. Hos quippe ille omnium moderator ac Dominus retibus diuinis incluſos ſublimè traxit, eisq; cum diuinorum radiorum ſplendorem inieciſſet, ac veritatis lumen oſtendiſſet, ita eorum animos inflexit, vt in eũm crederent. Neq; enim ille natura miſericors tot labores fruſtra atq; incaſſum ab ipſis ſuſceptos fuiſſe ſuſtinebat. Perdifficilem enim, & ærumnoſam, ac, ſupra quam dici queat, anguſtam vitam duxerant. Nam & animi perturbationibus imperauerant, & voluptates reſpuerant, & paupertatem ac continẽtiam ad extremum vſq; coluerant, & vigiliis ſe ſe confecerant, atq; vt paucis complectar, omnia virtutis gratia, haud piè illi quidem, ſed tamen expleuerant, ſummæque prouidentiæ (vt quidem ipſis videbatur) præſtantiſsimè, tametſi non ſine erroris labe, cultum & venerationem adhibuerant. Quin fuerunt etiam nonnulli, qui diuinam omnipotentis Trinitatis fidem, exiliter

illi quidem ac perobſcurè, ſed tamen perceperunt. Alij Verbi incarnationem, venerandoſque ipſius cruciatus, reditumq; ad vitam prædicarunt. Alij ortum ex Virgine, atque adeò nomen ipſius enuntiauerunt. *Maria*, inquit, *nomen puellæ*. Alij rurſus eximia illa omnia, naturæque vim excedentia, à Chriſto edita miracula vaticinati ſunt, hoc eſt, mortuorum excitationem, cæcorum, mutorum, leproſorum, ſurdorum, febricitantium, hydropicorum, ac manus ſiccitate laborantium, paralyticorum, atque eorum, qui dæmonum intemperiis vexabantur, curationem, obambulationem item in mari, & panum ac piſcium benedictionem, rurſusque aquæ in vinum commutationem, hæmorrhoiſſæ denique, & curuæ prorſus mulierculæ ſanationem vnà cum quàm plurimis aliis rebus prædicentes. Hos inquã diuina Verbi potẽtia perire, optimarumq; actionũ fructu carere, minimè ſuſtinuit. Temporis enim pars ipſis, vt diximus, commodata, in obſcuritatem haudquaquam abit: verùm omnibus iis, qui vitæ curriculum honeſtè confecerint, ſeruata, cumulatiore poſtea menſura refertur. Contra qui turpiter ac ſceleratè vixerunt, nihilque omnino, quod cum virtute coniunctum eſſet, egerunt, nec ſemen vllum, aut fructum habuerunt: verùm & vita, & ſermone, & fide prorſus aberrarunt, nec pluuia diuina cælitus in eos fuſa, vllum germen ediderunt (neque enim vt iam à me dictum eſt, ſementem vllam fecerunt) nec, vt prorſus ſteriles, illucente gloriæ ſole maturuerũt, his profectò nullo modo Chriſtus profuit, nec lapſos, vt opinor, ſecum excitauit, vt qui ſalute penitus indigni eſſent. Quin ne in ipſum quidem eos credidiſſe exiſtimo. Primus etenim ille ex ſuperbia in tenebras lapſus draco, quem in prima ætate coluerunt, mentes eorum, ac ſpirituales cordis oculos cæcauit, vt videntes non viderent, quemadmodum ſcriptum eſt, & intelligentes omnino non intelligerent. Reliqui autem omnes, qui ſemen ſuſceperunt, illapſa pluuia germen protulerunt, atq; exorto ſole maturitatem contraxerunt.

Eſaie 6.

CAPVT XIII.

Qua demum ratione quælibet anima ſuum ipſius corpus à mortuis exiſtens recognoſcet.

ANIMA. Optimè verò rem explanaſti, mihique tradidiſti. Diuinum hoc teſtimonium amplector, & eo ſum contenta. Sed enim aliud habeo quærendum, atque id, vt opinor, difficile. Hoc etiam pro viribus tuis ſoluere velis. Cum enim mortale corpus anima immortalis deſeruerit, quonam

nam modo id quod æternum eſt, iam corruptum ac deletum inuenire atq; cognoſcere valebit? Et alia reliquit corpus mutilum, alia ſurdum, alia ſurdaſtrum, alia mutum, alia virilitate ſpoliatum, alia macrum, alia vix oſsibus hærens, alia pingue, plenum, carnoſum, graue, inutile, ventrioſum, putredinem meram & marcorem. Alia iuuenile, imberbe. Alia ætate langueſcens. Alia pedum & manuum vſu deſtitutum. Alia infantile, nuper natum, in cunis adhuc vagiens. Alia confectum ſenio, & rugis exaratum. Alia coma nigra, alia ſubargentea, ſeu candidiſsima. Tu tamen aſſeris in communi reſurrectione excitatum, & mutatũ iri, & tale futurum, quale primi parentis ab initio fuit conditum, expers habitus priſtini & notarum, quibus antea præditum fuit. CARO. Mirum quiddam & inauditum audi. Ne tu illic naturæ proprietatem & faciem quæras; ſed omnia ſupra naturam fore crede & imaginare. In hac enim vita huiuſmodi differentiæ ac notæ, hic affectus iſti, affectuumque miſeriæ, quas in corporibus enumeraui, cernuntur: in futuro autẽ ſæculo nihil horum cernetur: ſed ſicut Dominus nouit, & iudicio quod ipſe ſcit, ineffabili modo ſpiritibus ſigna dabuntur, quibus vnuſquiſque corpus ſuum recognoſcat: quemadmodum oues ſuos agnos in ouilibus, viciſsimque agni matrum ſuorum vbera agnoſcunt. Non enim ex ſigno, aut ex aliquo indicio aſpectabili: ſed ex odore quodam, eoq; ſolo mutuum cognoſcunt, vt vnaquæque procul ad ſuum accurrat. Frequenter ego mille oues vidi ab herba, & paſcuis in ouilia redeuntes, & matre etiam longius agnum requirente, accedere alios, aliarum fœtus. Verùm illa penitus negabat vbera, & lactis nutrimẽtum, nec eos admittebat, propter odorem alienum: ſuum autem, quem ex odore internoſcebat, non excludebat. Sic omnium corporum tunc quoq, fiet agnitio, per indicium, quod diuinitus dabitur, cùm ad tubæ cœleſtis ſonitũ rediuiua è ſepulchris prodibunt. Signum illud ego quidem ignoro, ſoli conditori notum. Non enim ſub ſenſus cadit, nec eſt corporatum: ſed intelligentia tantum percipi poteſt.

CAPVT XIV.

Generatim omnes inter ſe agnituros, donec alij ad dexteram, alij ad ſiniſtram iudicis ſeparentur. Inde iuſtos in omnem æternitatem, peccatores autem non amplius mutuum noſcituros.

NON ſolum quiſque corpus ſuum, vt allata ſimilitudine declarauimus, ſed etiam cognati cognatos, & amicos, & omnes alij inter ſe agnoſcent. Neutiquam enim putandum, neutiquam exiſtimandum non ſingulos ſingulis in illa communi omnium reſurrectione, & iudicio notos fore. Erunt vtiq; , ſed eo modo quo dixi, non per figuram, & indicium ſignorum corporalium; ſed ſignis quibuſdam à materia & corpore ſeiunctis. ANIMA. Et vnde conſtat iſtuc? quis huius ſententiæ teſtis? ſi enim teſtes idoneos dederis, credam, & probabo: interea fidem non adiungo. CARO. Primum audi Chriſtum in Euangelio, vbi de hoc dogmate perſpicuè loquitur, aitq; diuitem illum agnouiſſe Lazarum in ſinu Abrahę requieſcentem. Alibi rurſus ad Iudæos inquit: cum videritis Abraham, & Iſaac, & Iacob, & omnes Prophetas in regno Dei, vos autem expelli foras. Hic clara agnitio, notitiaque exprimitur. Et quamuis hæc ſub parabola dicantur, tamen tu nullo modo dubita. Parabolæ enim rerum futurarum ſolent eſſe imagines, & illæ inprimis, quæ ab ipſa veritate Chriſto, inquam, futura prædicente prolatæ ſunt.

Luca 16.
Luca 13.

„ THEODORVS STVDITA. Παραβολή ἐστι λόγος ἐξ ἐνεστώτων πραγμά-
" των μηνύων τὸ μέλλον. ἢ πραγμάτων μελλόντων γενήσεσθαι εἰκών. ἢ ἐσομένων πραγμά-
„ των ἐμφερὴς εἰκών, καὶ παράλληλος ἔμφασις. ἐπεὶ οὐκ ἂν οὐδαμῶς οὐδεὶς εἰπεῖν ἴσχυσε πα-
„ ραβολὴν πράγματος μὴ δυναμένου γενήσεσθαι. *Parabola eſt oratio, ex præſentibus*
„ *rebus futuras indicans. Seu, imago rerum futurarum. Seu, futurarum rerum ſimi-*
„ *litudo, & ſpecies reſpondens: ſiquidem nemo vnquam eius rei aſſerre parabolam po-*
„ *tuit, quæ fieri nequiuiſſet.*]

ANIMA. Dominus inter omnes, & ante omnes fide digniſsimus. Si aliud teſtimonium ſuppeditat, dictis abs te aptum & conueniens, addas licet. CARO. Plurima verò ſuppeditant. Veruntamen ex tanto numero non niſi tria, quatuor, aut quinque, eaque à primoribus Eccleſiæ magiſtris petita proferam. Ne longè abeam, Chryſoſtomus inter Patres eximius, præclariſsimè ſic docet. Non ſolum quos nouimus familiares, agnoſcemus; ſed etiam quibus nunquam viſi ſumus; aut quos antea nunquam nouimus Abraham, Iſaac, Iacob, omnes retro Patriarchas vſque ab origine, Prophetas, Martyres, Patres, Apo-

ſtolos,

ſtolos, omnes qui ab Adamo, inde vſque à primordio ad finem propagati ſunt, viritim, & ſeparatim perfectiſsimè cognoſces. Similia Baſilius in oratione contra diuites auaros. Quomodo cauſſam dicturus, inquit, coram iuſto iudice te defendes ab iis qui abs te laceſsiti acriter inſtabunt? Nam quocunque oculos circumferes, vmbras vbique, ſimulacraque malorum aſpicies. Hinc orphanorum lachrymæ, illinc viduarum gemitus, aliunde abs te oppreſsi pauperes: ſerui, quos laceraſti, vulneribusque affeciſti: vicini, quos ad iram prouocaſti: cuncta hîc aduerſus te conſiſtent. Scribit & Gregorius Theologus in hunc modum. Tunc & Cæſarium luce clariſsima circumfuſum videbo, qualis mihi per quietem frequenter apparuit. Quid verò beatus, & lachrymis addictus ille Ephræm Syrus? Tunc, inquit, liberi parentes ſuos redarguent, quod nihil operum legitimorum fecerint. Et alij, cùm viderint notos ac familiares cum ouibus, vt optabant, ad dexteram collocatos, lamentabuntur ob diiunctionem, flebunt, dolebunt. Magnus Athanaſius Alexandrinorum Epiſcopus, doctrinæ orthodoxæ propugnator, fundamentum, & baſis ſic ait. Et hoc iuſtorum animabus præmium conceſſum eſt, vt cum reſurrexerint, omnes recognoſcant, vnaq; ſint, ſimul viuant, ſimul habitent, fruentes gloria, & cum Chriſto æuum ducentes. Peccatores autem etiam hoc, præter alia priuantur, non habentes agnitionem: ſicut nec aliam delectationem, ex quo à iuſtis ſeparati fuerint. Sicut igitur actiones, & omnia tunc manifeſta erunt: ita etiam omnibus omnium facies notæ: donec, vt dixi, ſegregatione facta, quiſque ad locum quem ſortitus erit, miſſus fuerit. Ad Deum quidem iuſti, & ordines ſanctorum: è diuerſo peccatores ad loca horrida cateruatim abducentur, cognoſcenturque ab aliis: ipſi inter ſe minimè agnoſcentes, alios ad maiorem cruciatum ſuum agnoſcent: Nam ſi tunc ab aliis non agnoſcetentur, quanam ignominia ſcelerati illi plecterentur? quæ tunc acerba & intoleranda eſt, cum quis alienos nouit, & ab iis noſcitur. Quicunque enim multantur ſeu damnantur, non coram iis, quibus ignotus, ſed quibus notus eſt, erubeſcit. Nam quem nemo nouit, cur pudore ſuffundatur? at notus ſuffundatur neceſſe eſt. Et hoc quidem huiuſmodi & eſt, & dicitur: & omnes (exceptis quos excepi) viciſsim agnoſcent. Tu verò quid de iſtis probationibus ſentis? Credis, an non credis? vt mihi videtur.

CAPVT

CAPVT XV.

Magno, & nouiſſimo die vniuerſam creaturam ad ſpeciem elegantiorem, & incorruptionem, ſimiliterq́ humana corpora, & animas in melius immutatum iri: & earum partes duas, (in quibus ſcilicet ineſt iraſcendi & concupiſcendi vis) deſituras τὸ κατ' εἰκόνα cum archetypo comparatur.

ANima. Neutiquam his ſidem denego, qui enim poſsim, cum tu iſta tam verè, ac meritò diſſerueris, & docueris? Potius tibi de perſoluto quæſito meo gratias habeo: quando ex Christi ore didici, omne verbum fieri credibile, ſi a duobus aut tribus teſtibus fuerit confirmatum. Verùm reſtat inſuper aliud ζήτημα, cuius cognitionem maximoperè deſidero. Exiſtimo enim (ſicut tute ſupra docuiſti) & cœlum, & terram, & omnem denique creaturam in conſummatione ſæculi ad naturam excellentiorem redactum iri: ſicut & corpora hominum, in vitam reuerſorum mutationem naturæ in melius adipiſcentur. Sed in me, & meis rebus, dic, obſecro, quomodo tunc res ſe habebit? Egóne talis etiam tunc ero, qualis modò ſum? nempe, ſecundùm triplicem facultatem, & alia, quæ de me traduntur, & in his immutabilis penitus cernar, & in omne æuum ſic tripartita viuam, vnaquaque parte, nimirum ratione, ira, & cupiditate definitam ſibi functionem exercente? Nam ſi & in futuro ſæculo huiuſmodi ſtatum tenebo, iterum perturbationibus ſubiecta, & contaminata, & vitioſa, dum vis iſtæc tripartita ad illicita me pertrahit, anima profectò in ſtatu puritatis & innocentiæ neutiquam verſabitur. Quod ſi fortaſſe ex his tribus duas amiſero, quomodo iis deperditis perfectio mea conſtabit? Nam cui planè deeſt aliquid, non eſt perfectum & abſolutum vtique. Et ſi bipertitò diuidar, quomodo immutata, & truncata plenitudinem habebo? Rurſum, quo pacto ſecetur ſeparetúrque, quod natura eſt inſecabile, & inſeparabile? Quomodo ſeparetur, ſeparatumq́ue permaneat? Si enim, vt dixiſti, totum animæ gratia factum eſt, quidquid conditor & conſeruator produxit, mundus autem iſte decreto ac nutu conditoris ac Domini in ſtatum nobiliorem migrabit, & elegantiorem formam accipiet, quam qua nunc ſuperbit, habitumq́ue ſplendidiorem ac diuiniorem conſequetur, efficitur hinc, mihi iniuriam irrogari. Quid tu ad hæc? Si perſeuerabo eſſe talis, qualis hodie ſum, nec ad decus & gloriam ampliorem prouehar, perinde vt cætera omnia, atque etiam tu, & tota vniuerſi ſpecies, nouitate quadam condecorata, & illuſtrata, & rebus alium ordinem atque modum, præſtantiorem videlicet,

Matth. 18.

delicet, & in omnium ſpatia ſæculorum permanſurum tenentibus: ſi creator carnem, contubernalem ac ſociam meam immutarit, & honorarit, vt decreuit, & decet, me autem dominam ſine honeſtamento reliquerit, quid dicemus? infima ſummis, ſumma infimis omnino miſcebuntur. Immutata enim inferiore ſubſtantia, me, quæ de ſuperiorum ordine ſum, nulla ratione fas eſt negligere: ſed cum honorabilis, & illuſtris, & natura ſim admirabilis, æquitas poſtulat, me dignitati meæ parem mutationem adipiſci, quæ præſentem hanc conditionem meam excellenti præſtantia multis partibus poſt ſe relinquat. Etenim ſi & inanimam naturam immutaturus eſt, & quidquid inter homines miniſtrat, ac ſeruit, me vnam, mentis & conſilij participem, & ad imaginem Dei factã, an non exornare, an non etiam plus quàm mundũ cohoneſtare conuenit? Iam tu me doce, quid exſpectare conſentaneum ſit. CARO. In altum quoddam pelagus cogitationũ ac ſenſuum me inducis. Quod enim quæris laborioſum eſt & copioſum, nec facilè eius exitus inueniri poteſt: nec eſt vt quiſquã id paruo negotio aſſequatur & intelligat. Hæreo, timeo, obſcuritates & ænigmata loqueris. Doctiorem percunctare, mihi vt imperitiori ignoſce. ANIMA. Alium audire, & ab alio diſcere nolo. Nam quod tibi adeſt, cur id aliunde petitum eam? Quînam alium nondum mihi familiarem interrogabo? Tu intima, & tanquam conuictrix mea, tu mihi reſponde. Si detrectaueris, ſcias velim, non te alam impoſterum; non cibum, non potum mecum ſinam capere. CARO. Tamen canis lorum non comedit, vt noſti. Quia verò me vrges, dicendum eſt pro viribus. Et antea tibi affirmaui, & iterum affirmo, architectum vniuerſitatis huius tua cauſſa mundum hunc duplicem, ſuperiorem, & inferiorem, ſub oculos cadentem & non cadentem, quodque in medio amborum mixtum & coagmentatum eſt, conſtruxiſſe. Quem cùm rurſus immutabit & innouabit, etiam propter te, tuumque ſplendorem & gloriam innouabit: mea quoque reformatio & refictio tuum eſt decus, quando honor corporis ad id, quod ad imaginem Dei factum eſt, redundat: ſicut contrà, ſi contemnor, & dedecoror, id ipſum quoque tua refert. Deus ſibi ſufficit, nullo horum indiget: non lumine ſolis, & lunæ, non orbibus cœleſtibus, non terrarum ſpoliis, non quatuor elementis. Nulli prorſus egeſtati diuinum numen ſubiicitur. Quî enim vlla re egeret? ſed tibi omnia & nunc impertiuit, & in futuro impertiet. Si ergo his quæ tua cauſſa producta ſunt, ornamenta maiora quædam conferet, illa quoque propter te, & tua cauſſa conferentur. Ablatis autem abs te hiſce duabus facultatibus, in quibus cupidines, & irarum ardores exiſtũt, quibuſcum nata & adulta es, ſimul

certè à natura tua vitioſæ affectiones, quæ ex hiſce ad detrimentum tuum prodeunt, auferentur. (Si tamen ita eas vocare licet, vnde ſæpenumero optima, & plurima ſanè promanant. Nam ſi mens, quemadmodum debet, omnibus præſideat, atque imperet, affectionum vſum rationi conuenientem: ſin autem, earundem vſum à ratione auerſum, & vitium nominare oportet.) Etenim ſi illis careas, ſimul cares bile, ira, iracundia, & iniuriarum memoria, timòre, timiditate, nec eſt vlla apud te audacia, non æmulatio contentionis amans: nō voluptas aliqua rationis expers, quæ animum fœdè concitet: ſed vt ſimul ingreſſæ ſunt, ſic ſimul abeunt. Supercilium & oſtentatio ceſſabunt, ſi ira deſit. Non erit fides, non ſpes, ſi non ſit cupiditas. Memoria euaneſcet. Quis enim eius vſus? Atq; hæc quinq; ſunt rationis, vt ita dicam, germina.

„ GREGORIVS. Μνήμην φαμὲν τὴν ἐπὶ θεοῦ καὶ τῶν θείων, τὸ γὰρ βλεπόμενον τοῦ μνημονευθῆναι οὐκ ἐπιδεῖται. ὡσαύτως καὶ πίστις, καὶ ἐλπὶς τότε οὐ παρέσται. ἀγάπη μόνη οὐ παύσεται οὔτε ἐν τῷ νῦν αἰῶνι, οὔτε ἐν τῷ μέλλοντι. ἀλλὰ πλειονότερον αὐξήσει. καὶ μεῖζον. *Memoriam dicimus de iis, quæ ad Deum, & diuina ſpectant. Nam quod oculis vſurpatur, memoria non indiget. Similiter & fides, & ſpes tunc non aderunt: ſola charitas neque nunc deſinit, nec in futuro deſinet, ſed augeſcet amplius.*]

Vacabis igitur ira & cupiditate, ſeu concupiſcentia. Cum enim ad ipſum finem & extremum eorum, in quę appetitus fertur perueneris, nullo horum tibi opus erit. Longè recedent. Veterem quippe hominē penitus exuens, vnà cum ipſo quidquid habet exuis, iterumq; ad vitā omni dolore liberam recurris. Sola charitas in perpetuum tibi adeſt, ꝓpria ex omnibus quæ habemus, & comes indiuidua. Hæc ambo aūt principio non habuiſſe te ſcias, vim concupiſcendi, & iraſcendi puta, erant.n. rationis expertia; ſed poſterius indita tibi, & appoſita ſunt,—

„ GREGORIVS. Ἁπλῆ καὶ μονοειδὴς ἀρχῆθεν ἡ ψυχὴ ἐκτίσθη μετὰ τοῦ νοὸς αὐτῆς, καὶ τοῦ λόγου, τοῦ πρωτοπλάστου φημὶ, ὅπερ ἦν τὸ θεϊκὸν ἐκεῖνο ἐμφύσημα, εἶθ' οὕτως συνετέθησαν αὐτῇ θυμὸς, καὶ ἐπιθυμία, ἐκ τῆς ἀλόγου φύσεως συντεθέντα. *Simplex & vniformis ab initio anima procreata eſt, protoplaſti, inquam, cum mente ſua, & ratione, quod erat diuinum illud ſpiraculum. Deinde ſic illi ira & cupiditas natura irrationali conſtantes copulatæ ſunt.*]

—tanquam arma ad propulſandum deuincendumq; aduerſarium: vt neq; vulneraret te, nudam intuens: neq; iaculis igneis, & acutis feriret. Finito autem bello, proſtratiſq; inimicis, & pace tranquilliſsima conſecuta, impreſsioneque, lucta, & pugna confectis, hoſtibuſq; robore, & audacia ſpoliatis, & longè in gehennæ ignem proiectis, quid iſta velut arma de cætero tibi proderunt, videnti, & ridenti aduerſarium iam extinctum? Aderat autem tibi cum mente ratio pura puta, caſtiſsima, ſinceritate fulgens, vis contemplādi, iudicandi, & eius ideę diuini-

diuinitas. Simplicitas,cum qua conditũ eſt,quod eſt ſecundum imaginem Dei. Quale diuinum ſpiraculum, per quod ſubſiſtis, à principio habuiſti,tale recipies, atque hinc nobiliſsima,& formoſiſsima,& ſupra omnes ordines cœleſtium apparebis.[Auditu nouũ,& viſu tremendum erit, quomodo à gloria in ſublimiorem gloriam aſcendes. Hoc tamen *κατ᾽ εἰκόνα ad imaginem Dei*, noſſe oportet archetypo eſſe ſimile, & ad illud imitatione contendere, eò reſpicere: & quod mente tantum & intelligentia continetur, velle illi menti diuinæ euadere ſimile.Non apportat molem,nec latitudinem,nec profunditatem:non interuallum, non dimenſionem, non menſuram: ab hiſce omnibus omnino liberum eſt. *κατ᾽ εἰκόνα*, quod eſt in anima, aliud quiddam eſt, quod ex comparatione ad archetypon omnium antiquiſsimũ & maximum, & quod ſecundùm naturæ ſuæ proprietatem ſimul & ſemel tale eſt,intelligimus. Illud primũ & increatum,hoc creatum eſt. Illud natura eſt expers principij, omnium rerum princeps, & plena cauſſa: hoc autem omnino cœpit: eſt ſiquidem res condita (nec enim iam imago dici poteſt, ſi ſemper eſt) exemplari primo abſque mutatione quàm ſimillimum. Hoc igitur manifeſtè creata natura; & conditum quippiam eſt. Natura autem & ratio conditorum, quid tandem ſit, ſatis claret. Quod ſi verum eſt,quod dicitur, ſicuti planè eſt, quam tu maiorem hanc gloriam, aut quem alium honorẽ,diuino præſtantiorẽ,tibi concupiſcis? Hæc à me diſputata intellexiſti,vt opinor. Vtrum ea citra dubitationẽ credas,& probes,& admittas, an nihili facienda, & falſa,& apertè ridicula, & nugas arbitrere (quod equidẽ non puto) noſſe cupio. Dic quid tandẽ,& quomodo de his ſentias. A N I M A. Non ego iſta nihili facio,abſit,Deus meliora: ſed delector dictis tuis,veriſſimè amplector,ſuſcipio,acquieſco,admiror,ſolutis,quę dubitabam, quantum ſatis eſt.Si fidem denegem,meritò reprehendar. Nec eſt orthodoxus, nec habet partem cum Verbo ac Domino, qui his aduerſatur, nec dignus illius nuptiis,& thalamo: ſed infidelis,blaſphemus, Sadducæis deterior cenſendus.Ego verò, gratia Chriſti,abs te auditis *Ioan.13.* fidem adiungo, & ita facta eſſe hæc, vt tu doces, non repugno. Nullo modo contradico,crede mihi,& ita tibi perſuade.Illud tantummodo te obſecro, vt dictis quoque confirmationem adhibeas. Quam ſi pro quæſito accepero, ſatisfactum mihi putabo in omnibus: & hoc præ aliis immotum, inconcuſſum, & alta radice fixum ac firmum in pectore conſeruabo. Tantum caue, ne aliquo modo voces ipſas commutes: ſed vt ſunt, ita referas: & ad verbum recita.

Quæ ſequuntur proximo capite, apud ipſum Gregorium non continuantur: ſed "
ea Philippus noſter multis identidẽ verſibus prætermiſsis (quod eæ res ad inſtitutum "
ſuum minus pertinerẽt)ita congeſsit,& conſuit, vt orationem continentẽ efficeret.] "

CAPVT XVI.

D. Gregorij Nyſſeni locus de anima tripartita, ex diſputatione de Anima & Reſurrectione, cum Macrina ſorore habita.

INTERROGATIO. Animam aiunt eſſe intellectualem naturam, & inſtrumẽtario corpori vitalem vim, ad ſenſuum efficientiam atq; actionem ingenerare. Nam non ſolum circa eam mentis noſtræ agitationem, qua ſcientias percipimus ac ſpeculamur, efficax, & actuoſa anima noſtra eſt, per eam quæ mente conſtat, & intelligentia ſuę naturæ vim talia efficiens, neq; ſenſoria vaſa, inſtrumentaque ſola ad naturalem efficientiam, operationemq; gubernat: ſed multus quidem cupiditatis, multus item iracundię quoque motus in eius natura cernitur. Cum autem horum vtrumq; generaliter in nobis inſit, in multa pariter, ac varia, actionibus efficientiisq; malorum progredi motũ videmus. Nam multa quidem videre licet, quorum concupiſcendi vis auctor, ac dux eſt: rurſus item multa à cauſſa irę concitatrice naſcũtur, ac nullum horum corpus eſt. Quod autem incorporeum eſt, intellectuale prorſus eſt, ſolaq; mente conſtat. Portò intellectualem quandam, ſolaq; mente conſtantem, & comprehenſibilem rem eſſe animã, definitio declarauit. Vt duorum abſurdorũ alterũ ex conſequentia orationis exiſtat atq; emergat; aut vt iracundia quoq; atq; cupiditas aliæ in nobis animæ ſint, & pro vna multitudo animarũ deprehẽdatur atq; animaduertatur: aut ne mentis quidẽ agitatrix, & intelligẽdi vis in nobis, anima eſſe putetur. Nam intellectuale ſolaq; mente conſtãs, & cõprehenſibile, ęqualiter omnib⁹ accommodatũ, aut omnia hæc animas eſſe demonſtrabit; aut vnũquodq; horũ ex æquo eximet atq; excipiet ex hac animę proprietate.

RESPONSIO. Hanc, inquit, (ſoror Macrina) rationem iam à multis etiam aliis quæſitam, conſequenter ipſe quoque requiſiuiſti, quidnam tandẽ hæc eſſe oporteat exiſtimare, τὸ ἐπιθυμητικὸν, id eſt, vim concupiſcẽdi & τὸ θυμοειδὲς, id eſt, vim iræ concitatricem, ſimul ne inſita in animæ natura, & quaſi coëſſentiata, atq; conſubſtantiata, & ab initio cum ea ſint, atq; à principio ſtatim vnà cum creatione, & cõſtitutione eius extiterint: an etiam aliquid aliud, atq; ipſa ſint, & poſterius nobis acceſſerint. Nam quod hęc quidem in anima cernantur, ex æquo conſtat inter omnes. Quid autem de eis exiſtimare oporteat, nondũ plenè atque perfectè ratio aſſecuta eſt, vt firmam de his habeat opinionem: ſed vulgus etiamnum vagis, falſiſque, ac diuerſis opinionibus de his ambigit. Nos verò externa philoſophia relicta, teſtem diuinam ſcripturam aſciſcamus, quæ ſtatuit, vt nihil in anima putemus eximium & inſigne, quod non etiam diuinæ naturæ proprium ſit. Qui enim ſimili-

ſimilitudinem Dei animam eſſe dixit, quidquid à Deo alienum eſt, extra definitionem animæ eſſe declarauit. Ergo quoniam eiuſmodi nihil cum diuina cernitur natura, ne animæ quidem hæc inſita, & quaſi coëſſentiata eſſe, rectè quis exiſtimauerit. Quid igitur eſt quod dicimus? Quod hoc rationis particeps animal, homo nimirũ, intelligentiæ atque ſcientiæ capax ſit, vel eorum, qui à ratione noſtræ fidei atque religionis alieni ſunt, teſtimonio comprobatum eſt: Quippe non ita naturam noſtram deſcriptura, ac deſignatura definitio fuiſſet, ſi quidem & iracundiam, & concupiſcentiam, & huiuſmodi omnia cum noſtra vnita, & quaſi coeſſentiata, atque conſubſtantiata eſſe videret. Nam nec in vlla quidem alia re, loco proprij commune ponens, ſubiecti quiſquam ediderit definitionem. Quoniam igitur & concupiſcendi, & iraſcendi vis æqualiter quoque tam in rationis experte, quam rationis compote natura cernitur, nulla ratione, nec rectè quis per communem notam id quod proprium eſt deſignauerit. Quod autem ad naturæ deſignationem ſuperuacuum, ac reiiciendum eſt, quo pacto tanquam pars naturæ, poteſt ad euerſionem definitionis vires habere? Omnis enim definitio ſubſtantiæ, proprium ſubiecti ſpectat. Quidquid autem extra peculiaritatem, ac proprietatem fuerit, tanquam à definitione alienum deſpicitur, atque contemnitur. Atqui tam iraſcendi, quàm concupiſcendi vim atque efficientiam cum omni natura, tam rationali, quàm irrationali communem eſſe conſtat. Quidquid autem commune eſt, non idem cum peculiari eſt. Neceſſariò igitur per hæc ſequitur, vt hæc in illis non eſſe exiſtimemus, per quæ præcipuè humana natura deſignatur. Sed quemadmodum ſiquis ſentiendi, nutriendi, & augendi vim in nobis conſpicatus, per hæc non reſoluit animæ demonſtratam definitionem (non enim, quoniam hoc eſt in anima, illud non eſt) eodem modo, ſi quis naturæ noſtræ circa iracundiam, & concupiſcentiam motus animaduertit, non etiam rectè definitionem oppugnet, vt quę minus ſufficienter naturam oſtenderit. Palàm eſt ergo, quod ex iis, quæ extrinſecus in rebus conſiderantur, hæc ſint, affectus & perturbationes naturæ, & non natura. Nam hæc quidem eſt, quod eſt: iracundia autem vulgò feruor ſanguinis, qui circa cor eſt, eſſe pleriſque videtur. Aliis verò, appetitio vlciſcendi eum, à quo laceſſitus, & ante læſus ſis. Sed vt nos arbitramur, iracundia eſt appetitio nocendi ei, qui concitauerit, & ad iram prouocauerit. Horum autem nihil conuenit animæ definitioni. Itemque ſi per ſe concupiſcentiam definiamus, appetitionem eſſe dicemus eius, quod deeſt: vel deſiderium fruendæ voluptatis: vel dolorem ob id, quod non potimur eo, quod

cordi eſt, atque animo gratum & acceptum: aut aliquam affectionem ad id, quod eſt ſuaue & iucundum, quo frui non licet. Hæc enim, & eiuſmodi omnia cupiditatem quidem oſtendunt, ad definitionem autem animæ non pertinent. Quin etiam alia quoque, quæ circa animam cernuntur, quæ ſibi inuicem ex aduerſo poſita videntur, velut timiditas & audacia, dolor & voluptas, metus & contemptus, & quæcunque talia ſunt: quorum vnumquodque cognatum quidem eſſe videtur cum iraſcendi, & concupiſcendi vi, peculiari autem definitione ſuam deſignant naturam. Quæcunque talia circa animam ſunt, anima non ſunt: ſed veluti quædam verrucæ ex cogitatrice parte animæ enaſcentes: quæ partes quidem ipſius eſſe, eò quod agnatæ ſint, non tamen id eſſe exiſtimantur, quod anima ex ſui natura atque eſſentia eſt. Dicimus enim animæ quidem ſpeculatricem & diiudicatricem, rerumque inſpectricem vim eius propriam eſſe ac naturalem: eiuſque gratiæ qua Deo ſimilis eſt, per hæc illam imaginem ſeſe conſeruare. Quoniam ratiocinatione & coniectura colligitur, diuinum quoque numen (quodcunque tandem id ex ſui natura eſt) in his occupatum eſſe: nempe tum in inſpiciendo omnia, tum in diſcernendo bonum à malo. Quæcunque autem in animæ confinio poſita ſunt, ad alterutrum ex contrariis propenſionem & inclinationem iuxta ſui naturam habent: quorum certus quidam vſus vel ad id quod bonum, vel bono contrarium eſt, ducit euentum: veluti ira vel metus, ac ſi quid motuum, qui in anima ſunt, eiuſmodi eſt, ſine quibus humana natura conſiderari nō poteſt, id extrinſecus ei acceſsiſſe exiſtimamus, propterea quod in principali, & originali pulchritudine nullum eiuſmodi ſignum cernatur. Quæ non omnino mali alicuius cauſſa humanæ contributa naturæ ſunt (nam alioqui creatori cauſſa malorum aſsignari poteſt, ſi illinc peccatorum neceſſariæ cauſſæ ſimul in naturam collatæ eſſent) ſed certo quodam vſu voluntatis & arbitrij, vel virtutis, vel vitij inſtrumenta tales animi motus exiſtunt. Quemadmodum ferrum, dum ex ſententia artificis cuditur, quodcunque ferramentum artificis animo voluntas deſtinauerit, ad id etiam formatur: & vel gladius, vel ruſtici alicuius operis inſtrumentum fit, metu quidem obedientiam, ira verò fortitudinem, timiditate cautionem, atque ſecuritatem ingenerante: cupiditatis item impetu diuinam ſimul, & immortalem nobis voluptatem conciliante. Sin autem ratio habenas amittit, & tanquam auriga aliquis implicitus currui retro ab eo trahatur, illoque abripiatur, quocunque eum rationis expers motus iumentorum auferat, tunc in pertur-

batio-

bationem appetitiones conuertuntur, (quale nimirum etiam in brutis videre licet, quoniam ratio naturaliter eis inſitæ motioni non præeſt) ſed quando motus eorum ad bonum inclinat, laudis materia fiunt, vt Danieli cupiditas, ac deſiderium, & Phineæ zelus, & bene lugenti dolor. Sin autem ad deterius propendent, tunc hæc affectus ac perturbationes & ſunt, & nominantur. Speculandi, ac diiudicandi vis propria eſt eius animæ partis, quæ Deo ſimilis eſt, quoniam etiam diuinum numen per hæc comprehendimus. Si igitur anima ab omni vitioſitate pura fuerit, in bono & honeſto prorſus erit. Bonum autem & honeſtum ex ſui natura numen diuinum eſt, cum quo per puritatem anima coniunctionem habebit; quippe cum proprio cohærens atque coaleſcens. Si igitur hoc acciderit, non amplius cupiditatis motu opus erit, qui nobis præeat ac dux ſit ad id, quod bonum & honeſtum eſt. Nam qui in tenebris vitam degitis, lucem deſiderauerit: qui, ſi in lucem peruenerit, eaque frui cœperit, concupiſcere, atque deſiderare deſinet. Facultas enim atque poteſtas potiendi atque fruendi, vanam & inutilem efficit cupiditatem: ſed nobis quidem, propterea quod boni egena eſt, natura ſemper fertur, atque contendit ad id, quod deeſt, ac deſiderium eius, quod deficit, ipſe naturæ noſtræ concupiſcendi affectus eſt: qui vel aberrat, propter ſiniſtrum iudicium ab eo, quod verè bonum & honeſtum eſt; vel etiam conſequitur, & adipiſcitur id, quo potiri bonum eſt. At ea, quæ ſuperat omnem bonam cogitationem, natura, quæque ſuper omnem potentiam eminet, vt quæ nullius indigeat earum rerum, quæ circa bonum & honeſtum intelliguntur, cum ipſa ſit bonorum plenitudo, neque tanquam particeps alicuius boni & honeſti, in bono verſetur, ſed ipſa ſit ipſius boni, & honeſti natura (quodcunque tandem etiam bonum, & honeſtum eſſe mens ponit) neque ſperandi motum in ſeſe admittit (ſpes enim ad id quod non adeſt, duntaxat adhibetur: *quod autem quis habet, cur etiam ſperat?* inquit diuinus Apoſtolus) neque reminiſcendi ac recordandi efficientia ad rerum ſcientiam opus habent. Quod enim videtur, recordatione non indiget. Quoniam igitur diuina natura ſupra omne bonum eſt, ac bonum bono prorſus amicum eſt, idcirco cum ſe ipſam intuetur, & quod habet vult, & quod vult habet, nihil externum in ſe admittens. Extra autem eam nihil, præterquam ſola vitioſitas eſt, quæ (etſi dictu abſurdum, & à vulgari opinione alienum eſt) in eo quod non eſt, ſuũ eſſe habet. Non enim

Daniel. 8. Numer. 25. Luca 7. Rom. 8.

vlla

vlla alia generatio vitioſitatis eſt, quàm eius, quod eſt, priuatio. Quod autem propriè eſt, boni natura eſt. Quod igitur in ente non eſt, in eo quod non eſt, prorſus eſt. Poſtquam igitur anima quoque, ſegregatis omnibus variis naturæ motibus, Deo ſimilis effecta fuerit, atq; ſuperata cupiditate in illo fuerit, ad quod olim cupiditate erigebatur, & incitabatur, non amplius conſiſtendi locum in ſeſe dat, neque ſpei, neque recordationi. Nam quod quidem ſperabatur, habet: occupatione autem fruendorum bonorum, memoriam à mente remouet, ac miſſam facit: atque ita vitam ſuperam, & excelſam, informata diuinæ naturæ proprietatibus imitatur: adeò, vt nihil aliud ei relinquatur, præterquam dilectionis affectus, qui naturaliter ei quod bonum, & honeſtum eſt, adhæret. Id enim dilectio eſt, animo videlicet inſitus habitus ad id quod placet, atque cordi eſt. Cum igitur ſimplex, & vniformis, ac planè ſimilis Deo anima facta, nacta fuerit illud verè ſimplex, & materiæ doliq́ue expers bonum, quod ſolum reuera dilectione dignum, & amabile eſt, cum adhæret eidem, tum vnà commiſcetur atque contemperatur, per dilectionis motum & actionem ad id quod ſemper & comprehenditur, & inuenitur, ſe ſe formans, atque id per ſimilitudinem boni euadens, quod eius, quod participatur, atque percipitur, natura eſt. Cum autem in illo cupiditas non ſit (propterea quod nec vllius quidem boni defectus in eo ſit) conſequens fuerit, etiam animam, cum eò euaſerit, vbi rei nullius egeſtas eſt, ex ſeſe eiicere quoque concupiſcendi motum atque affectum. Talis autem doctrinæ atque ſententiæ diuinus quoque nobis Apoſtolus auctor eſt. Cum enim omnium rerum, quarum nunc in nobis boni quoque cauſſa, ſtudia vigent, abolitionem & quietem quandam, atque ſedationem & finem futurum ante denuntiaſſet, ſo-
1.Cor.13. lius dilectionis & charitatis terminum non inuenit. Nam prophetiæ abolebuntur, inquit, & ſcientia deſtruetur: charitas autem & dilectio nunquam excidit. Quod perinde eſt, ac ſi dixiſſet, ſemper eadem eſt. Quin etiam, cum fidem, ac ſpem vnà cum charitate atque dilectione permanere diceret, rurſus eam etiam illis præfert, atque præponit, neque iniurià. Nam ſpes interim mouetur, dum non licet frui atque potiri iis rebus, quæ ſperantur. Et itidem fides ſuſtentaculum ac firmamentum eſt incertitudinis earum rerum quæ ſperantur. Nam & ita eam definiuit, cum diceret, *eſt autem fides ſperanda-*
Hebr.11. *rum rerum ſubſtantia.* Cum autem venerit id quod ſperatur, aliis omnibus quieſcentibus, charitatis ac dilectionis efficiētia manet; quippe cum non inueniat, quod eam excipiat, & in locum eius ſuccedat. Quamobrem etiam vniuerſarum actionum quæ cum virtute perficiuntur,

ciuntur, atque etiam legis præceptorum principatum tenet. Si igitur ad hunc finem anima aliquando peruenerit, aliarum rerum non erit egena; quippe rerum nimirum vniuerſarum plenitudinem complexa. Nam cum vita, quam in præſentia tranſigimus, variè pariter, ac multifariam à nobis exigatur, multæ quidem res ſunt, quarum egemus & participes ſumus, vt temporis, vt aëris, vt loci, cibiq; ac potus, vt tegumentorum, vt ſolis, lucernarumq;, vt aliarum rerum multarum ad vſum vitæ neceſſariarum. Beatitudo verò quæ exſpectatur, nullius quidem harum rerum egena eſt; omnia autem nobis, locoq; omnium erit diuina natura, ad omnem vſum ac neceſsitatem illius vitæ ſeſe conuenienter & aptè impertiens. Atque id planum ac manifeſtum eſt ex diuinis oraculis, quod Deus & locus exiſtit iis, qui digni ſunt, & domus, & indumentum, & cibus, & potus, & lumen, & diuitiæ, & regnum, ac quidquid vel mente concipi, vel nominari poteſt, quod nobis conferat, & conducat ad bonam vitam.

Caro. Hoc etiam mandatum tuum expleui, domina, & probationem attuli probatiſsimam, & quidem iis verbis, quibus ſcripta extat, vt voluiſti. Et plurimùm fatigata ſum, elaborauique, & vbique conquiſiui, & ſcrutata ſum, quærendoque non paucos libros euolui, quò, quæ dicerem firmis argumentis, & teſtimoniis confirmare poſſem. Vt igitur apud auctorem ipſum poſita inueni, ſic tibi propoſui, præclariſsimè vtique cum his de quibus agitur conſentientia; nec in elocutione quidquam immutatum eſt. Nunc tu ſuper his iudicium, & ſententiam expone, vtrum ea ſcopum orationis attingere putes. Anima. Congruunt, conueniunt, & conſentiunt, & mihi dogmatis firmam ac ſolidam fidem faciunt, & in tabulis cordis, notis indelebilibus inſcripta ſunt, poſtquam probationē inſignem, quemadmodum petebam, accepi: cui nec contentioſus quiſpiam refragabitur. Qui igitur quæſiuit diſcere tripartitam rationem animæ, rem inuentu & explicatu difficilem, vt dixiſti, homo induſtrius, & ſapiens, vt apparet, fuit. Arbitor autem non plura mihi interroganda, & cognoſcenda in negotio perplexo & difficili. Siquid ergo amplius habes, hoc ſine mora affer in medium ad fructum, ad vtilitatem, & lucrum meum. Quod ſi vt ſegnis, & ſocors tergiuerſabere, & occultabis, fruſtrationis & damni mei vltio in caput tuum recidat. Caro. Quæ ille ſuper anima interrogauit, & didicit, plurima, admiranda, & vtilia ſunt. Veruntamē vnum accipe, idque etiam vtile, quod ad verbum, vt eſt, recitabo. Tu, ſi deſiderio cognoſcendi teneris, mihi attende, qui & quales in extremo die reſurrecturi ſimus, quando venerit dominus, & ad iudicandum conſederit.

CAPVT XVII.

De reſurrectione vberior diſſertatio, ex iiſdem Gregorij Nyſſeni Macrineis, vt auctor noſter appellat. Ad ſacros libros euoluendos cohortatio, & ad ſacroſanctam Trinitatem gratiarum actio.

QVod reſurrectio aliquando futura ſit,& quod homo incorrupto iudicio ſiſtetur, cùm propter ſcripturarum demonſtrationes, tum propter ea, quæ iam antè exquiſita atque excuſſa ſunt, plerique audientium aſſentientur. Reliquum autem fuerit conſiderare, an pro vt eſt id, quod nunc eſt, ita etiam quod ſperatur, futurum ſit. Quod ſi ita fuerit, fugiendam eſſe dixerim ſpem reſurrectionis. Nam ſi qualia euadunt humana corpora, dum viuere deſinunt, talia rurſum vitæ reſtituuntur, nimirum perpetua quædã calamitas ab hominibus per reſurrectionem ſperatur. Quod enim miſerabilius ſpectaculum fuerit, quam cum in extrema ſenectute incuruata atque contracta corpora ad turpitudinem ac deformitatem redacta fuerint? carne quidem eorum tempore conſumpta: rugoſa autem & arida cute oſsibus adhærente? Etenim neruis, quod naturali ſcilicet humore amplius non imbuantur, ac pingueſcant, conuulſis, & idcirco toto corpore contracto, res quædam infirma, ac ſpectatu miſerabilis exiſtit, cum caput quidem in genua inclinatum ſit, manus autem vtrinque ad naturalem quidem vſum inualidæ ſint,&c.

Eloquentiſſimè Gregorius (eſt enim orator magnus) aduerſus reſurrectionem agit in eo dialogo, cui Macrina virgo & ſoror, quam vt magiſtram introducit, doctiſſimè occurrit, veritatemq́; copioſiſſimè explanat. Caeterùm quia Nyſſeni codex in promptu eſt, tot paginas ea diſputatione ad verbum, & vt ibi continens viſitur, deſcribenda conſumere, operæpretium non videtur. Si legeris, non pœnitebit. Quæ igitur hiſce Macrineis recitatis apud Philippum ſequuntur, quibusq́; liber hic ſecundus abſoluitur, latina facere pergamus.]

CARO. Audiſti quæſtionem,& viciſsim reſponſum verè diuini ac ſapientis illius Patris, quibus reſurrectio eximiè ſtabilitur. Age dic quid ſentias,& an tibi ſatisfaciant. ANIMA. Dicam verum, & quod ſentio. Multos ſuper hoc argumento differentes audiui, multorum ſcripta legi, orationes plurimas euolui: veruntamen nihil ſimile vnquam inueni. Admiratione digniſsimum ingenium illius, ornatiſsimus ſermo. Tamen doce, qui ſint, & ex quo genere, qui hæc litteris per-

ris perſapienter accommodateque conſcripſerunt. CARO. Qui ſint, non dicam tibi: quære & cognoſces. Nam & ego quæſiui, & vix cum labore inueni. Tu quoque ſi quæſieris, inuenies: ſi petiueris accipies, & cum huius diſputationis auctorem, tum genus illius, & nomen, & vitam ad vnguem cognoſces. Vbi cognoris, cum animi tui fructu confirmabere. Non enim ad ingenuam cognitionem tardam ac pigram, ſed laboris & doctrinæ ſtudioſam eſſe, & præſertim (quod cupio) ſcripturas perdiſcere æquum eſt. Vtile enim præceptum, *ſcrutamini ſcripturas*. Me, vtpote iam defatigatam ne onera, quæ pro *Ioan. 5.* his Deo rependere laudum gratias volo. Solùm Trinitatem venerari ſcio, Patrem, coæternum filium, & diuinum ſpiritum. Tres hypoſtaſes glorifico, tres perſonas, omnino autem vnam eſſentiam, vnam potentiam, & vnam naturam, indiuiduam, inconfuſam, & incomprehenſam, omnium rerum inſpectricem, vniuerſorum procreatricem, bonorum amantem, ipſam bonitatem, omnium bonorum cauſſam, quæ omnia condidit, gubernat, ſuſtinet, quam prædico, adoro, colo, glorifico.

FINIS LIBRI SECVNDI.

DIOPTRAE R. CHRIST. LIBER TERTIVS,

LIBRI CAPITA.

I. *Mentem citra corpus multa perperam committere: corporis cum anima ſola, abſque mente nullam eſſe functionem. Animam iuſtam ex hac cuſtodia eductam, ſimul cum angelis collaudare dominum, rerum huius vitæ immemorem: peccatricem in inferno ſuorum ſcelerum reminiſci.*

II. *Angelos ſine inſtrumento corporeo diuinas laudes celebrare. Eos ter tribus conſtare ordinibus. Vniuſcuiuſque ternarij qualis hymnus.*

III. *Humanam naturam dignitate angelis antecellere, duabus potiſſimùm de cauſſis Chriſti ſponſam & reginam eſſe. Quantoperè ſponſus eandem in cœlo honorauerit.*

IV. *Quandiu, & quam ſtudioſè Dei filius ſponſam ſibi quæſiuerit: quibus ipſam ornamentis cumulauerit, eleganti parabola demonſtratum.*

V. *Naturæ humanæ cum diuina coniunctio, ſimilitudine quadam declaratur, cum exaggeratione tanti beneficij.*

VI. *Creaturam cuiuſque generis, ſæculo, quod exſpectamus, nouam fore. Paradiſum, vetus Adami habitaculum, peracto iudicio nullum fore.*

VII. *Locus D. Pauli ad Romanos:* nam exſpectatio creaturæ filiorum Dei reuelationem exſpectat, *& quæ ſequuntur, ex S. Ioanne Chryſoſtomo propemodum explanatur. Statum corporis beati in hac vita perfectè non cognoſci.*

VIII. *Finem mundi incertum eſſe: ſuper eo plurium vaticinationes & coniecturæ. Greg. Nazianzeni ſententia.*

IX. *De præcurſoribus ſecundi aduentus Chriſti. De prænuntiis, mirandis operibus, & ortu Antichriſti.*

X. *Vaticinium Patriarchæ Iacob de Antichriſto explicatum, & eiuſdem vita ac mores.*

XI. *Adhuc de ſceleribus Antichriſti, & cur Deus eum viuere, ac ſæuire patietur.*

XII. *Ad perpetuam conſiderationem mortis incitatio: S. Trinitatis laus, & admiratio.*

DIOPTRÆ LIBER TERTIVS.

CAPVT I.

Mentem citra corpus multa perperam committere: corporis cum anima ſola, abſque mente nullam eſſe functionem. Animam iuſtam ex hac cuſtodia eductam, ſimul cum angelis collaudare Dominum, rerum huius vitæ immemorem: peccatricem in inferno ſuorum ſcelerum reminiſci.

ANIMA. In ſecunda diſputatione ſuprà affirmâſti, animam ſine tabernaculo ſuo, hoc eſt, corpore, nihil neque malum, neque bonum, neque mediocre, neque magnum, in ſumma, nihil proprium, nihil commune, aut medium agere. Num igitur perinde ſe mens, vt anima, habet, & ipſa quoque citra corpus agere nihil poteſt? CARO. Mens ſine corporis ope multa ſæpenumero agit, eorum partim cum virtute, partim cum vitio coniuncta ſunt. Corpus per ſe, niſi à mente adiuuetur, nihil omnino, quamuis paruiſsimi momenti, facere poteſt. ANIMA. Id verò quonam pacto, & vnde fiat, videre nequeo. CARO. Mihi da operam, & videbis. Culparum, delictorumque noſtrorum, quæ noctes & dies conſciſcimus, quædam verbis, quædam actionibus, quædam cogitationibus (qui ſunt intrinſeci ſermones) continentur. Horum trium generum diuiſionem rurſus accipe. Quæ opere & verbis peccantur, in his mens carni ſociam ſeſe præbet. Quæ cogitatione, eorum contagia ad vnam, & ſolam animam pertinent. ANIMA. De Anima porrò quid ais? num ſi

ex hoc domicilio diſcedat, ſine inſtrumento & membris functionem quampiam obire valet? Num ſeparata, & ſola quippiam agere poteſt? CARO. Anima carneis exſoluta vinculis, & ad Dominum ſuum egreſſa ſine vllo fine cum angelis tripudiat, diuinasque laudes modulatur, vocibus non quæ foras proferuntur, ſed intus tantùm concipiuntur: quoad iudicij dies aduenerit. Animæ, inquam, quæ vitam hanc innocenter degit, iſta beatitas contingit. Quæ ſe vitiorum ſordibus contaminat, & rationi reddendæ eſt obnoxia, eiùs alia eſt conditio, quę & locorum, & perſonarum meminit, in quibus, & cum quibus alicuius nefariè commiſsi conſcientia vrgetur. Omnia reputat, omnium ſpecies ſecum gerit, & eorum imbibere obliuionem neutiquam poteſt: ſed actorum ſuorum indelebilem memoriam rétinet, indeque affligitur, & cruciatur, & pœnam ſuſtinet, quam verbis nemo explicauerit, quæ plurium illuſtriorumque de ſanctis Patribus doctrina eſt.

» Ὅτι καὶ μέχρι ψιλοῦ ῥήματος. καὶ ἐνθυμήματος λόγον εἰσπραττόμεθα. καὶ ἐκ τῶν λό-
» γων ἡμῶν δικαιούμεθά τε, καὶ κρινόμεθα. καθὼς διδάσκει ἡ παραβολὴ τοῦ Φαρισαίου. καὶ τε-
» λώνου περὶ δὲ λογισμῶν καὶ ἐνθυμήσεων ἄκουσον τί φησιν ὁ Θεὸς διὰ τοῦ προφήτου. κἀγὼ τὰ ἔρ-
» γα, καὶ τοὺς λογισμοὺς αὐτῶν ἔρχομαι συναγαγεῖν καὶ ὁ Δαβίδ. εἶπε γὰρ ἐν καρδίᾳ αὐτοῦ, οὐκ ἐκ-
» ζητήσει. καὶ. πᾶς τις διανοεῖται ἐν τῇ καρδίᾳ αὐτοῦ πονηρὰ καὶ. ἔγκειται ἡ διάνοια τοῦ ἀνθρώπου
» ἐπιμελῶς ἐπὶ τὰ πονηρὰ ἐκ νεότητος. *Sciendum, nos vſque ad nuda verba, & cogita-*
» *tiones rationem reddituros. Et ex verbis noſtris iuſtificamur, condemnamurque, vt*
Luca 18. » *Phariſæi, & Publicani parabola docet. De cogitationibus porrò & conſiliis quid*
» *Deus per Prophetam dicit, auſculta.* Ego autem operam, & cogitationes eo-
Iſaia 66. » rum venio vt congregem. *Et Dauid*, dixit enim in corde ſuo non requi-
Pſal. 33. » ret. *Et*, vnuſquiſque cogitat in corde ſuo mala. *Et*, incumbit cogitatio
Geneſ. 8. » hominis diligenter ad malum ab adoleſcentia ſua.]

Si igitur ob cogitationes ſuas torquetur, vt literis ſacris proditum eſt, vtique memoriam habet, & aliquo modo, & alicunde patitur. Si ſecundum à vero diſtat, etiam primum. Contrà, ſi primo ineſt veritas, ineſt item ſecundo. ANIMA. Quid igitur Dauid ſecus ſcribit, *in illo die*,
Pſal. 145. inquit, *peribunt omnes cogitationes eorum*, quo videlicet ſpiritus à carne ſeparabitur. CARO. Non ait cogitationes ψυχικὰς, hoc eſt, animæ proprias eſſe perituras: ſed curas & ſollicitudines huius vitæ, ſeu quas hæc vita parere conſueuit, de externis, de domeſticis, de cognatis, de liberis, de aliis, quæ longè plurima in rebus humanis verſantur, de plantatione, de agricolatione, de ædificatione, de veſtitu. Horum anima, cum ex hoc tabernaculo receſſerit, planè nullius recordationem habitura eſt. Quæ autem cum peccato & improbitate, voluptatum illecebris irretita factitauit, horum prorſus, & tantummodo tunc memor manet. De his cogitationibus ſcito Dauidem loqui. ANIMA. Aſ-

ſentior

ſentior. Iam hoc quoque ſuperiori non diſsimile, & æquè ex Pſalmis depromptum mihi explanes velim. *Homo ſicut fœnum dies eius, tanquam* Pſal. 103. *flos agri ſic efflorebit. Quoniam ſpiritus pertranſibit in illo, & non ſubſiſtet: & non cognoſcet amplius locum ſuum.* Quæ ſubiecta eſt his ſententia? eloquere, & doce me. CARO. Exteriorem hominem, eiuſque gloriam fluxam & caducam cum fœno à Dauide conferri certum eſt. Vt flos fœni, gloria & decus rerum iſtarum, ad breue tempus durantium, inquit. Et vnuſquiſque homo inſtar floris effloreſcit, facileque defloreſcit ac marceſcit, & feruore ſolis iterum exareſcit, & defluit, & decidit, rurſumque in terram redit. Corpus fœnum, animam verò ſpiritum nuncupauit. Si in carne, ſeu corpore fuerit anima, motu agitatur corpus, eaq; motione, quæ eius naturæ conſentanea ſunt, exſequitur. Si illa inde euolet, corpus nullum eſt; perinde vt ſi nunquam vixiſſet, nec in vita iſta floruiſſet: nec dici poteſt, cuiuſnam fuerit, nec iſtud illius, illud huius nominari. Nihil à floribus, nihil à foliis, nihil à fœno differimus. Verno tempore folia virent, autumno decidunt, diſpereunt. Hoc cùm alij, tum Chryſoſtomus. ANIMA. Quid ego de anima abs te audio? Bona & iuſta, corpore exempta, malorum & à ſe cum vitio geſtorum non meminit: ſed inter angelos Dominum laudibus prædicat.

GREGORIVS NYSSENVS. Πάντας τὰ τοῦ βίου συναντήματα τούτου, ὑγίεια, «
πλοῦτος, τρυφὴ, δόξα, πενία, κακοπάθεια, καὶ ὅσα τοιαῦτα παρόμοια, εἰς λήθην ἔρχονται «
τότε αὐταῖς. οὐχ ὅτι λήθη κρατοῦνται αἱ ψυχαὶ, ἀλλ᾽ ὅτι παρούσης ἀπολαύσεως τῆς θείας βα- «
σιλείας τῶν οὐρανῶν, πάσης δυσωνεξὲς αἰσθήσεως ἀμνησία γίνεται, κατὰ τὸ εἰρημένον, ἐν «
ἡμέρᾳ ἀγαθῶν, ἀμνησία κακῶν. *Omnino, huius vitæ euenta, vt ſanitas, diuitiæ, deli-* «
tiæ, gloria, paupertas, tribulatio, & quæcunque horum ſimilia, tunc ab ipſis memo- «
ria non tenebuntur. Non quòd animas obliuio vincat & occupet: ſed quòd præſens «
regni cæleſtis voluptas rerum triſtium recordationem excludat, iuxta illud, in die «
bonorum obliuio malorum.] «

Aſt quæ peccatis inuoluta hinc exceſſerit, illa & malorum ſuorum, & locorum, & perſonarum meminit, & improbè factorum ſuorum recordatur. Quod ſi iuſta, & nequam anima ſubſtantiæ intelligentes ſunt, ambæque iiſdem naturæ diuitiis præditæ, in vtraq; ſimiliter eandem memoriam reperiri oportebat. Nunc, vt tu quidem affirmas, anima improba tantùm ſuorum ſcelerum meminit. Atqui conſequens erat, bonam quoq; malorum memoria tangi. CARO. Dubitationem tuam vide quomodo ſoluam tibi. Pura puris angelis conſociata, ſicuti ſuprà oſtendimus, & bona illa ſplendida contemplans, illam lucem, illius voluptatis elegantiam, & diuinitatem, illa dulciſsima carmina feſtum celebrantium, exultat, delectatur, & gaudio triumphat. Alia ex alia voluptas gignitur, & omnes diuinæ ſunt. Ac moleſtorum qui-

dem

dem vniuerſorum obliuiſcitur: animarum autem in hac vita, quibus Dei gratiam implorat, legitimè memoriam vſurpat. At verò peccatis contaminata, ſimul corpus relinquit, ſimul ad infernum damnata abducitur, & cum horrore rapitur, ibidem vltionem, cruciatum, ſupplicium reperit, calamitatem inexſpectatam, dolorem immenſum, tabeſcitque lachrymis & gemitibus. Tum cogitat, conſiderat, ſecum diſquirit, quînam in tantam ærumnam, & in illas tenebras inciderit, illicoque ab ſe acta occurrunt, & meminit, & conſcia eſt, & ipſa conſcientia torquetur.

» *Ὅτι ἡ ἐφάμαρτος ψυχὴ καὶ αὐτοῦ τοῦ εἴδους τῆς ἁμαρτίας, καὶ αὐτοῦ τοῦ τόπου, καὶ τοῦ συ-*
» *ναμαρτήσαντος αὐτῇ μέμνηται, πρὸς τοῦ μετὰ τὴν ἐντεῦθεν ἀποδημίαν, καὶ διάζευξιν· καὶ εἰ*
» *ἁμαρτάνοντες τὴν καρδίαν τυπτόμεθα ἑαυτῶν, καὶ λαθεῖν ὑπὸ τοῦ συνειδότος οὐ δυνάμεθα,*
» *πόσῳ μᾶλλον τὸν θεὸν πράττοντές τι τῶν φαύλων οὐ δυνησόμεθα λαθεῖν; Anima pec-*
» *catoris & ipſius peccati ſpeciem, & locum ipſum, & perſonam qua cum peccauit, poſt*
» *exceſſum è vita meminit: &, ſi peccantes cor noſtrum vulneramus, & latere con-*
» *ſcientiam noſtram non poſſumus, quanto minus peccantes quippiam Deum latere*
» *poterimus?]*

Exemplum rei illuſtrandæ gratia producam. Si quiſpiam maleficus & homicida captus fuerit, adhuc ſtillans ſanguine, & cruento puluere ſordidus, habensque manus & pedes currentes ad malum, qui *Prouerb. 1.* *Deuter. 21.* in ligno maledicto eſt ſuſpendendus, cognoſcit qua de cauſa tantum ſibi ſupplicium irrogetur, & quomodo ad mortem maximè miſerabilem condemnatus ſit. Hinc & aliarum cædium redarguitur; hinc conſcientiæ telis iterum conſauciatur, quæ illum vniuerſorum ſcelerum ſuorum commonefacit. Sic tu mihi animam quoque ſuppliciis addictam ſe habere intellige.

CAPVT II.

Angelos ſine inſtrumento corporeo diuinas laudes celebrare. Eos ter tribus conſtare ordinibus. Vniuſcuiuſque ternarij qualis hymnus.

ANIMA. De cætero de mentibus diſſere. Scriptura ſanè eas docet vacare corporibus, & intelligentia conſtantes, & miniſtras ac flammam ignis, & diuinas, linguæ, oris, labiorum expertes. Qua igitur ratione Dominum collaudare deſinunt? CARO. Mentes, ſeu cœleſtes illi animi, natura ſimplices ſunt creati, vt à Scriptura ſancta docemur, & hymnis Deum colere non ceſſant: non quaſi quodam organo ſeu inſtrumento corporato illum compellantes; ſed alium quendam ſonum edentes, citra

Hebr. 1. *Pſal. 103.*

pauſam

pauſam canticum τρισάγιον ei modulantur. Subtiliſsimam autem ſortiti naturam, tanquam mentes, cantum, & voces ſuaue ſonantes mirè amant, & hinc quodammodo vocibus internis Domino canunt, vt inde ad eum melodia dulciſsima perueniat. Sed huius melodiæ ſonum nihil cum corpore commune habere exiſtima, qui non auribus; non ore, non lingua indigeat: verum abſque prolato formatoque ſermone, volũtate & ratione inter ſe communicant, & trigeminum illud SANCTVS omnipotenti Trinitati concinunt, dicentes, *Benedicta gloria* Ezech.3.
Domini in omnia ſæcula de loco ſuo ſanctiſſimo. His tribus verbis hymni angelici continentur. ANIMA. Vnde hoc noſcam? quis auctor? CARO. Magnus Dionyſius ex Areopago tam decãtato, doctus à Magno Paulo videlicet, qui in cœlum tertium raptus, vt ipſemet ſcribit, & auditis 2.Cor.12.
illic verbis arcanis, & inſtitutus doctrina noua, & ob id quoque auis cœliuolans nominatus, quæ ibi didicit, aliis reuelauit. Tradidit autem cœleſtis ac principis illius militiæ nouem eſſe ordines, qui communiter angeli appellantur: ſed ordine & ſtatu inter ſe differunt, omneſque in tres ordines ſunt diſtributi.

Ὅτι ἐννέα τάγματα ἔχει καὶ ἡ καθ' ἡμᾶς ἐκκλησία, ὁμοίως τῶν οὐρανίων δυνάμεων. Πατριάρχας, Μητροπολίτας, Ἀρχιεπισκόπους, Ἐπισκόπους, Ἱερεῖς, Διακόνους, Ὑποδιακόνους, Ἀναγνώστας, Μοναχοὺς, καὶ ἱερὸν τῶν λαϊκῶν χορόν. Sciendum noſtram quoque Eccleſiam habere nouem ordines, ad imitationem virtutum cœleſtium: Patriarchas, Metropolitas, Archiepiſcopos, Epiſcopos, Sacerdotes, Diaconos, Hypodiaconos, Lectores, Monachos, & ſacrum laicorum cœtum. Alicubi ſic, & tot legi recenſitos Eccleſiaſticarum dignitatum gradus apud Græcos. Patriarcha. Metropolita, Archiepiſcopus, Epiſcopus, Hieromonachus, Presbyter ſeu Papas, Monachus, Diaconus, Hypodiaconus, Anagnoſtes. Monachi quoque τοὺς ἡγουμένους Præpoſitos, ſeu ἀρχιμανδρίτας habebant.

Primus ternarius Cherubinorum, Seraphinorum, & Thronorum vocatur. Et hi hymnum concinunt venerandum, *benedicta gloria Domini omnipotentis de loco ſancto ſuo.* Medius Dominationes, Virtutes, Poteſtates complectitur, qui τρισάγιον ſolent canere. Vltimus Principatus, Archangelos, Angelos comprehendit, quorum hymnus eſt trigeminum Alleluia, quem diuinè, & ſine fine vocibus non vocalibus concinunt. Hæc duo Prophetæ, diuinus Ezechiel, & magnus Iſaias teſtificantur.

CAPVT III.

Humanam naturam dignitate angelis antecellere, duabus potiſſimùm de cauſsis. Chriſti ſponſam & reginam eſſe. Quantopere ſponſus eandem in cœlo honorauerit.

ANIMA. Obſtupeſco ſuper his, obſtupeſco ſuper illis, quæ congreſſu antecedente diſſeruiſti, in quibus capite XV. de ſecundo Chriſti aduentu diſputans, ſanctorum cateruas gloria ipſos angelos anteceſſuros aſſeruiſti. Quæ oratio tua nondum mihi ſit credibilis. Itaque præſta mihi hoc officium, & ſcrupulum exime. CARO. Nihil inopinatum, nec è cerebro meo dicam, ne tu ſermonem meum pro nihilo ducas, & reiicias. Probationem è ſacris petitam literis adducam, indeque difficultatem omnem diſcutiam. Ex Patribus enim antiquis interrogat quidam alicubi alium, eidem vitæ inſtituto & ſapientiæ conſecratum, his verbis. Dic mihi, honorande pater, promptoque ac libenti animo erudi me, qualia
1.Pet.1. nam ſunt bona illa à Chriſto nobis donata, *in quæ & angeli proſpicere deſiderant*, ſicut princeps Apoſtolorum Petrus ait. Reſpondit ille in hunc modum. Opinor ego, deſiderare angelos, vt in natura ipſorũ, quemadmodum etiam in noſtra carne, ſecundum ſubſtantiam ſuam Deus Verbum, ipſorum conditor, inhabitet. Deſiderant rurſum, vt ipſorum quoque natura à nobis adoretur & glorificetur, in throno Cherubico, & in ſinu patris ſedens, quemadmodum noſtra natura in Chriſto ab ipſis, & ab omni aſpectabili, inaſpectabilique creatura adoratur.
Matth.16. Deſiderant habere claues regni cœlorum, & ſedere ſuper duodecim
Matth.19. thronos cum Chriſto iudicantes, ſicut in die iudicij piſcatores cum eodem iudicaturi ſunt. Deſiderant tanta apud Chriſtum potiri liber-
Ioan.21. tate, quanta potitus eſt, qui ſuper pectus eius recubuit. Dicam tibi quod maius eſt his omnibus. Affirmat Chriſtus, cùm venerit in die
Matth.24. iudicij, virtutes cœlorum commotum iri præ timore & tremore il-
Luca 12. lius. Iuſtos autem *faciet diſcumbere, & tranſiens miniſtrabit illis*. Hæc & ſimilia à Chriſto donata ſunt nobis bona, in quæ & angeli proſpicere, id eſt, intrare deſiderant. Tum alter ille rurſus interrogat, quid ita tandem Chriſtus naturam noſtram plus quàm angelos glorificauit & diligit? Occurrit interrogatus. Paulum audi, qui te modum incarna-
1.Cor.2. tionis Chriſti, & multæ bonitatis eius erga nos docebit. Ait enim, myſterium, quod prædeſtinauit Deus ante ſæcula in gloriam noſtram, eſſe eiuſdem ad nos homines aduentum & benignitatem. Fauet itaque & complectitur Deus humanum genus plus quam vllam creaturam, idque duabus de cauſsis. Primùm quia eſt plaſma, & opus manuum

ſuarum,

ſtrarum,& quiddam præformatum œconomiæ ſuæ,animal, quod ſub aſpectum venit, & non venit, mortale & immortale: perinde vt Chriſtus. Deinde quia cognatus nobis,& eiuſdem ſubſtantiæ,eiuſdem generis ac formæ,homo natus videlicet. Ac proinde naturaliter deditus eſt, & diligit cognatos, & generis ſui ſubſtantiæque ſocios. Hæc Præpoſitus monaſterij ad montem Sina, qui & cognomento Sinaita dicitur,quem ſi teſtem admittis(& dignus eſt admitti)dicito. ANIMA. Teſtem hũc amplector, ſuſcipio & approbo:meretur inprimis fidem, & auctoritate valet. Quod ſi ſecundum appoſueris, tibi ea propter gratiam habebo. Nam duobus potius, aut tribus, quàm vni credendum audio. CARO. Non alterum ſolum, id quod petis, ſed tertium quoque,ſi requiris,&plures addam:nempe Paulum, Dauidem, Chryſoſtomum. Tres hi diuino probati teſtimonio,& tria ora Verbi,clarè docent,naturam humanam eſſe ſponſam,& reginam aſtantem à dextris ſponſi myſtici,ac Domini. Cuiuſque horum dicta & ſententiæ ad verbum, & ab initio recitandæ ſunt. Paulus itaque de hac ſponſa ſic ait. *Deſpondi vos vni viro, virginem caſtam exhibere Chriſto.* Et Ioannes Baptiſta, idemque præcurſor Saluatoris, *qui habet ſponſam*, inquit, *ſponſus eſt.* Sed ſponſus quidem caducus aliquanto poſt nuptias de æſtu amoris multum remittit: noſter autem ſponſus amorem ſemper intendit & auget. Meminit item Dauid his verbis. *Aſtitit regina à dextris tuis in veſtitu deaurato, circundata varietate* (veſte ſcilicet aurea & fimbriata.) Viſne etiam huius calceamenta videre? Paulum Nymphagogum audi, *calceati pedes, in præparationem Euangelij pacis.* Placétne intueri cingulum, vt à veritate circundatum? *Succincti lumbos veſtros in veritate.* Auéſne etiam aſpicere eius pulchritudinem? *non habentem maculam, neque rugam, neque aliud huiuſmodi. Tota pulchra es amica mea, & macula non eſt in te.* Viſne cernere pedes? *Quam ſpecioſi pedes euangelizantium pacem?* Et cùm ita eam ornauerit, non venit tamen ita vt oſtendat, & exhibeat illi gloriam ſuam; ne immenſitate pulchritudinis ſuę ipſam percellat, & à mente dimoueat. Sed venit veſtimento coopertus, ſicut ſponſa cooperta eſt. Non illam ſurſum accerſit: ſed ipſe ad eam deſcendit, in hoc quoque ſponſi leges obſeruans, qua ille ſponſam iubetur conuenire; ſicut & Paulus ait. *Propter hoc relinquet homo patrem & matrem ſuam, & adhærebit vxori ſuæ. Sacramentum hoc magnum eſt: ego autem dico in Chriſto & in Eccleſia.* Cum veniſſet igitur in eius diuerſorium, inueniſſetque rugis obſitam, ſqualidam, nudam, ſanguine inquinatam, lauit, vnxit, veſtimento induit, cui ſimile non eſt reperire, factus ipſemet ei veſtimentum, & ſic eam ſibi copulatam in cœlum ſubuexit, & in ſuperis collocauit, *ſupra principatus, virtutes, poteſtates, & ſupra omne nomen, quod nomina-*

Marth. 18. 2. Cor. 11. Ioan. 3. Pſal. 44. Epheſ. 6. Iaidem. Epheſ. 5. Cant. 4. Iſaia 52. Epheſ. 4. Epheſ. 1.

nominatur non ſolum in hoc ſaeculo, verùm etiam in futuro. Vidiſti honoris magnitudinem: vidiſti dignitatis maieſtatem. Quæ pedibus ferebatur, quæ per terram trahebatur, eam in tantam altitudinem ſuſtulit, vt ei angeli quoque aſsiſtant. Illa captiua, illa abalienata, illa meretrix, illa impura, vidiſti in quantam altitudinem aſcendit. Quoniam enim caput noſtrum ſurſum eſt, ibique reſidet, nos corpus eius, eiuſdem gloriæ participes ſumus, ſi tamen ſtamus. Cernis, vt quæ ſponſa eſt, eadem filia: & quę filia, eadem & ſponſa ſit? quod ſanè in corporibus humanis non datur: vbi aliud hoc, aliud illud. In Deo autem vtrumque reperitur. Ipſe ſiquidem per baptiſmum aqua perfuſam regenerauit: ipſe eam ſibi coniugauit; ipſe illi pater, & ſponſus, & Dominus fieri voluit. Immo verò iſtuc ipſum, quod ei Dominus factus eſt, multæ aduerſus eam curæ & benignitatis indicium eſt. Mancipium dæmonum, ludibrium ſeductoris, ſibi in propriam peculiaremque delige-re? Atqui ille non modò famulam ſuam, ſed & filiam & ſponſam ſuam
Pſal.105. fecit. Verè & aptè exclamemus, *quis loquetur potentias Domini, auditas fa-*
Pſal.115. *ciet omnes laudes eius?* Et rurſum, *quid retribuemus Domino, pro omnibus quæ*
1.Cor.15. *retribuit nobis?* Quid enim cum tanto honore conferri poteſt? cum primitiæ generis noſtri, quod toties Deum offendit, neglectumque & contemptum iacuit, in tam ſublimi loco conſideant, tantamq; claritudinem obtineãt? Et iſta quidem de ſponſa totidem verbis Ioannes Chryſoſtomus.

CAPVT IV.

Quamdiu, & quam ſtudioſè Dei filius ſponſam ſibi quæſiuerit: quibus ipſam ornamentis cumulauerit, eleganti parabola demonſtratum.

SI porrò quæ dicta ſunt rurſum exemplo illuſtrari cupis, afferam, quod ad fidem pariendam ſufficiat, cognoſceſque cum admiratione quod quæris. Audi igitur attentè, & rationem adhibe. Erat quidam rex potens, dynaſta incomparabilis, qui habebat vrbem regiam, cuius incolæ & plurimi, & optimi. Eidem regi erat filius venerabilis, cui pater vxorem deſpondere volens, puellas ciuium illorum ſummorum, ac principum filias ſibi prætereundas cenſuit: animo, inquam, & forma ſpecioſiſsimas, fœlices, honeſtas, bene audientes, inclytas, elegantiſsimorum & laudatiſsimorum peritas operum. Capto autem conſilio filium emittit, vti per omnem creaturam ſibi indaget, & conſociet ſponſam formoſiſsimam, ſuæ gloriæ maieſtatique proportione reſpondentem. Sibi

enim nobilium illorum, de quibus diximus, filias non ita placere aiebat, vt ex iis aliquam filio connubio iungi vellet. Filius peragratis diligenter creaturis, perluſtratoque mundo terreno, & vrbibus, & regionibus vniuerſis, viciniſsimis & remotiſsimis, mari & inſulis, & locis omnibus, toto oriente & occidente, ſeptentrione & meridie, in hac peregrinatione manſit, vt mihi diſcere contigit, multorum annorum periodo: nempe vt ratio ſubducitur (ſecundùm Græcos) quinque millium, & omnino quingentorum. Tandem vt ſingulari pulchritudine conſpicuam (perridiculum vel dictu tantum) meretricem laſciuam pro ſponſa ſibi deligit, piacularem, abominandam, vilem, ſordidam, vt erat, ſqualidam, vt inuenit, morbidam, labore confectam, penitus deſpectam. Eam verò ad lauacrum adducit, purgat, vnguento vngit, intaminatam reddit, ſtigmata delet, veſte pulcherrima induit, cui ſimilem haud facilè inuenias. Alit eam cibis decentibus, victuque exquiſitiſsimo, & poſtremo iu palatium ſuum ſurſum ducit. Quam vt rex ille magnus, & parens vidit, dilexit, & amauit, & aſpectu eius mirificè recreatus, corona impoſita vt reginam honorauit, ſubitoque in eodem throno illam ſibi aſsidere fecit. Et totius regni ſui hæredem inſtituit. Quin etiam ſponſæ huius genus in regiam ſeſe congregaturum, & vnà cum illa decore & gloria affecturum eſt pollicitus. Vbi enim ſponſa filij mei, inquit, ibidem & genus eius vniuerſum eſſe, iuſtum, decorumque iudico. Poſtquam vrbis incolæ ſponſam conſpexerunt, ſenatus & conſilium, magiſtratus, exteriorum interiorumq; ordinum cœtus, obſtupeſcere, ambigere, & timore quodam corripi vniuerſi, cernentes rem maximam, & à ſuo genere alienam: filias nempe ſuas, illi naturæ ſocietate coniunctas ac domeſticas repudiari. Non enim apprehendit genus domeſticorum, nec ex illis, ſed vnde ſibi aſciuit, inde quamuis de peregrino genere ſponſam adducere voluit. Quoties igitur regi eiuſque filio regi laudes & honorem diuinum oblaturi ſunt, etiam ſponſam, vt aſsidẽtem, & throni conſortem, vti diximus, cum religione & tremore volentes nolenteſque adorant: non ſine timore & ſtupore omnium cogitationes ſuperantem prius damnatæ gloriam maieſtatemque intuentes. ANIMA. Audiui paradigma. Nunc idipſum fac mihi interpretere. CARO. Rex ille maximus, eſt dominus omnipotens, & rex gloriæ. Ciuitas eſt vrbs illa cœleſtis, cuius opifex Deus. Indigenæ illius, ordines τῶν νόων animorum, horum filiæ, angelicæ multitudines. Filius dilectus, Verbum & Chriſtus meus. Genera creaturarum, natura communis hominum: quam autem ducit ſponſam, patet eſſe naturam mortalem, quam ex Maria Virgine aſ- *Heb. 2.*

ſumpſit, cum qua tandem ad patrem eſt reuerſus. Cognati ſponſæ & propinqui, ſunt qui à Chriſto nomen duxerunt. Reliqua paradigmatis tibi nota eſſe arbitror, vt & ſcripturarum teſtimonia, quæ, vt potui ad aſtruendam orationi meæ fidem produxi. Horum ſi tu quid nondum aſſequeris, vereor vt mentem ſanam & imperturbatam geras. Sed me miſſam fac quæſo: noli mihi exhibere moleſtiam: ad obſurdeſcentes aures amplius verba facere nequeo. Naturam mortalium iam inde à tranſgreſsione deſpicabilem & fluxam naturæ diuinitatis, naturæ omnia ſuperanti hypoſtaticè ſociatam & colligatam eſſe, hoc eſt, quod dixi, populum ſanctorum ſuper omnes angelos glorificatum eſſe.

CAPVT V.

Naturæ humanæ cum diuina coniunctio, collatione quadam declaratur, cum exaggeratione tanti beneficij.

ALTERVM, & breue paradigma tibi proponam. Aurum & plumbum naturâ diſcrepant, diſtantque inter ſe quàm longiſsimè. Si igitur quiſpiam aurifex varia ratione & artificio vſus, plumbum in aurum probum mutauerit, & ita ſe ſollertem; ingenioſumque artificem oſtenderit, hoc nouum, admirabile, & maximum videbitur; nempe plumbum ſupra naturam in aurum conuerſum eſſe, & aurum adhuc aurum manere, etiam poſt mixturam, & plumbum euaſiſſe id, quod natura ſua non erat. Sic & mihi de natura humana vili & abiecta ratiocinare, eam à Verbo in naturam glorioſiſsimam mutatam eſſe. O pelagus bonitatis. O gratia tanti doni. O magnitudo benignitatis. Prô diuinas miſerationes. Prô immenſum amorem, quo Deus humanam naturam dignatus eſt tanta gloria, claritate, diuinis chariſmatibus, & vſque ad finem, & vſque ad extremum dignatur.

„ Τὸ χειρόγραφον ὃ ἐποίησεν ὁ θεὸς πρὸς τὸν ἀδὰμ, λέγων, ᾗ δ' ἂν ἡμέρᾳ φάγῃ ἀπὸ
„ τοῦ ξύλου, θανάτῳ ἀποθανῇ, τοῦτο κατεῖχεν ὁ διάβολος, καὶ οὐκ ἔδωκε τοῦτο, ἕως οὗ τῷ σταυ-
„ ρῷ προσηλωθεὶς ὁ χριστὸς ἐξήλειψεν, καὶ ἔσχισεν αὐτὸ, καὶ τὴν αὐτὴν ἀγάπην μένει διατη-
„ ρῶν. οὐ γὰρ κατέλυσεν τὴν ὑπὲρ ἡμῶν προνοίαν, ἀλλὰ καὶ ἐντυγχάνει ὑπὲρ ἡμῶν, ὅπερ
„ μέγιστόν ἐστι φίλτρον τὸ μὴ μόνον τὰ εἰς αὐτὸν ἀνήκοντα ποιεῖν, ἀλλὰ καὶ ἕτερον τὸ
„ παρακαλεῖν ὑπὲρ ἡμῶν. *Chirographum, quod Deus aduerſus Adamum con-*
Geneſ. 2. „ *ſcripſit, nempe hoc,* quocunque die comederis de ligno, morte morieris,

rieris, *diabolus retinebat, nec reddebat, donec Chriſtus cruci affixus id ipſum de-
leuit atque conſcidit. Quam eandem charitatem erga nos perpetuò conſeruat.* 1. Ioan. 2.
Non enim noſtri curam ac prouidentiam dimiſit: ſed & rogat pro nobis, quod ſummi amoris eſt, non ſolùm quæ ſui muneris ſunt facere, ſed alium quoque pro nobis rogare.

CHRYSOST. Εἰ τάχα υἱοὶ τοῦ θεοῦ γεγόναμεν, ἀλλ' ἐν ἀδήλῳ τὰ ἡμέτερα ἕστηκεν, ἕως ἐσχάτης ἀναπνοῆς. ἂν δὲ μετὰ χρηστῆς καταλύσωμεν ἐλπίδος, τότε ἀκίνητος ἡ δωρεὰ, καὶ ἀσάλευτος, καὶ ἡ χάρις βεβαία, ὅταν καὶ τὸ σῶμα ἡμῶν ἀπαλλαγῇ θανάτου, καὶ τῶν μυρίων παθῶν. τοῦτο γάρ ἐστι, καὶ λέγεται ἀπολύτρωσις. *Quanquam fortaſſe filij Dei facti ſumus, tamen id vſque ad vltimum ſpiritum incertum eſt. Quod ſi cum bona ſpe vitam clauſerimus, tunc donum iſtuc immobile, inconcuſſum, & gratia ſtabilis eſt; quando nimirum & corpus noſtrum à morte, & innumeris miſeriis liberatum fuerit. Hæc enim eſt, & dicitur redemptio.*]

Nos profanos, peruerſos, & ingratos, audaciſsimos, peſsimos, petulantes, perditiſsimos: nos à quibus pulchritudo imaginis corrupta eſt, à quibus (vt ſimul & ſemel dicam) nihil niſi turpitudo perpetrata eſt, per inuidiam illius inuidi, tyranni, & malefici. Qui prius fuimus inglorij, qui canes rabioſi, qui ferocibus beſtiis immitiores, & donum recepimus, & gratis omnia, & gloria angelis ſuperiores facti ſumus, quod maximum, & optimum, & ſine comparatione præſtantiſsimum. Qui venditi eramus in ſeruitutem, in libertatem vindicati ſumus. Qui eramus inimiciſsimi, declarati ſumus filij & hæredes, & *hæredes quidem Dei* opificis & cõditoris, *cohæredes autem Chriſti*, quem- Rom. 8.
admodum oſtenſum eſt, & conformes, & throni, & gloriæ ſupremæ conſortes. Deus homo factus eſt, vt hominem quem manibus immaculatis formauit, Deum faceret. Hoc eſt illud magnum prorſus, diuinumq́; myſterium, quod omnem cogitationem, ſcientiamq́ue, ſeu humanam, ſeu aliam ſuperiorem ſuperat. Illud verò eſt admirabile, & animaduertendum. Defecimus à conditore, à quo prius deſciuit primus angelorum. Non tamen curæ fuit Deo, vt is ad ſe reuerteretur, nec reuerſus eſt, nec ad priſtinum locum reuenit. Homini autem lapſo ſuccurrit, & ad primum ſtatum, eoque maiorem illum reduxit. Aliud ſi dixero, iterum obſtupeſces. Audio planè ſcripturam ſemper Deum prædicantem, vt hominum, animarum, pauperum amantem; nunquam audiui ab aliquo φιλάγγελον *amantem angelorum* nominari, tametſi angelus eſt ſubſtantia nobilis, & creaturarum excellentiſsima, deitati familiaris & cognata, & mente duntaxat percipitur. Etiam hęc ſcripturę ſunt ad gloriam hominum, nos omnes apertè Dei filios nominantis. *Filios genui, inquit, & exaltaui.* Et iterum, Iſaia 1.
filius meus primogenitus Iſraël. Angelum autem nec Deum, nec filium, aut ſobolem vſquam appellauit.

Tiri

,, Τίνι γὰρ εἶπέ ποτε τῶν ἀγγέλων, υἱός μου σύ; καὶ πάλιν, οὐ γὰρ ἀγγέλων ἐπιλαμβά-
,, νεται, ἀλλὰ σπέρματος ἀβραὰμ ἐπιλαμβάνεται. οὐκ ἀγγέλου φύσιν ἐδέξατο, ἀλλ' ἀν-
,, θρώπου. τιμῇ γὰρ οὐχ υἱοὶ ἀνθρώπων, τῇ φύσει μὲν ἀνθρώπων υἱοί, τῇ χάριτι δὲ οὐκ ἔτι,
,, ἀλλ' υἱοὶ θεοῦ. εἰ καὶ τὴν εἰκόνα τὴν κατ' ἀρετὴν τὴν πρὸς αὐτὸν διατηρήσωμεν ἀκέραιον,
,, ἡμῖν ἐστι τὸ δῶρον. Cui enim dixit aliquando angelorum, filius meus es
Heb. 1. ,, tu? *Et iterum*, non enim angelos apprehendit, ſed ſemen Abrahæ ap-
*Hebr.*2. ,, prehendit. *Nec enim naturam angeli, ſed hominis ſuſcepit. Natura quidem*
,, *filij hominum: honore autem, & gratia filij Dei ſumus: ſed ſi imaginem eius in*
,, *virtute poſitam illi puram incorruptamq́; conſeruauerimus, tum demum donum*
,, *hoc conſequemur.*]

*Hebr.*1. Tantummodo flammam ignis, & adminiſtratorios, & ſpiritus appellat. Huiuſcemodi, & tot teſtimonia, firmamentum, demonſtrationemque ſolidam rei propoſitæ attuli, & dogma iſtuc iam ad fidem confirmatum eſt ſatis. Qui autem has confirmationes aſpernatur, & nondum recipit, non eſt ille fidelis, & deſipit.

CAPVT VI.

Creaturam cuiuſque generis, ſæculo quod exſpectamus, nouam fore. Paradiſum, vetus Adami habitaculum, peracto iudicio nullum fore.

ANIMA. Accuratè rem cognoui ſermonemque tuum, & diuinæ miſericordiæ pelagus obſtupeſco. Video enim in quantam gloriam ſublatus ſit homo, quantumq́; cœleſtis militiæ principes antecellat. Quoniam autem ſecundo colloquio de tripartita anima, ſeu triplici vi & poteſtate animæ diſputationem feliciter abſoluiſti, & vt ſe poſt reſurrectionem anima habitura, quomodo videlicet ſola ratio in ea permanſura ſit, demonſtraſti: & in hoc tertio, quod de ſanctis quæſiui, quomodo maiores angelis futuri ſint explicaſti: hinc iam mihi hoc exequere, quomodo cœlum, terra, & alia, immutanda ſint; & quo pacto omnia ad alium meliorem habitum redacta, noua fient, vti ſcriptum
Apocal. 21. eſt. Indicaſti enim de ſchemate mutationis tunc futuræ. Nunc dilucidius huius rationem ediſſere, ecquid omnes creaturæ immutatæ, rurſum ornatum ſuum citra mutationem aliam poſſeſſuræ ſint, quas
*Pſalm.*148. & 150. Dauid enumerauit, ſigillatim hortans omne opus DEI, omnem naturam ad laudandum dominum: & quas ternarius puerorum in igne
*Daniel.*3. ſaluatorum inducit, cœlum, & duo luminaria ſolem & lunam, lucem, ſtellas, mare, grandinem, glaciem, pruinam, niuem, imbrem niualem, ignem, ventos, colles, imbres, fulgura, rorem, nebulam, frigus,

gus, æſtum, noctem, diem, terram, ligna, colles, cliuos, valles, omne reptile, volatile, iumenta, beſtias, abyſſos, tenebras, dracones: & quidquid humi naſcitur, herbam, arbores, fœnum; maria, cete, flumina, fontes, lacus, & omne quod mouetur in aquis & natat. An igitur ſingula quæ hîc recenſuimus, & ſimul etiam locus Edem vt ſunt modò, ita tum futura ſint, age perſpicuè doce. CARO. Etiam hic doctrinam ſinceram tibi tradam, & ne dicta, vt incredibilia, improbes, teſtes promam ſanctos, virtuteque inſignes, & mox probationem haud diſceptabilem accipies. Adhibe animum his, quæ hîc ad verbum ex iis à me repetita audies, & intelliges quod poſtulas. Aliud ſapientes vani, occultorumque myſteriorum ſcrutatores dubitant, & nobis in quæſtione ponunt. Quærunt noſſe, quale hoc vniuerſum iam diſſolutum, hoc eſt omnibus defectum viuentibus futurum credamus. Quod illud nouum cœlum, quæ noua terra, vt ait huius ſcientiæ coryphæus. Et num in Paradiſo voluptatis plantato in oriente, in quo Adamus protoplaſtus eſt collocatus, ſancti habitaturi ſint. Et num in illa noua terra peccatores ſupplicium expenſuri ſint. Verùm ſublimior iſtorum notitia penes eum eſt, qui ex nihilo fecit omnia, eademque poſtea immutaturus eſt, modis & rationibus, quas lingua nulla effari queat. Tamen reſpondemus illis ad hunc modum. Quidquid factum eſt à principio, propter aliquam cauſſam omnino factũ eſt: cauſſa illa fuit homo. Omnibus itaq; hominibus poſt vniuerſi reſolutionẽ in vnum congregatis ad iudicium, vt quiſq; præmium condignum ferat, iuxta ſanctum oraculum, inquit enim, *& ibunt hi quidem in vitam æternam, illi autem in ignem exteriorem, & æternum*, non intercedente alia cauſſa, niſi ipſo homine, cuius tandem gratia alia rurſum creatura ab opifice, noua, aſpectabilis, & obiecta ſenſibus fiet? Si namque creatura omnis, ab initio ex eo quod non erat, propter ipſum hominem exiſtere iuſſa eſt, ſi DEVS iterum nouum cœlum, & nouam terram effecturus eſt, id eum facere ob aliquam cauſſam oportet: hæc autem eſt homo, vt diximus. Aliis porro (vt aliter iſta conſideremus) raptis in aëre ad occurſum Chriſti, & ſic ſemper cũ domino futuris, vt Paulus ait (*hoc enim, inquit, dicimus vobis, in verbo domini, quia nos, qui viuimus, qui relinquimur, ſimul cum illis rapiemur in nubibus obuiam Chriſto in aëra*) aliis ad pœnas inferni relictis, quæ nouarum iſtarum creaturarum vtilitas? Domino, inquam, ac Deo noſtro extra vniuerſum exiſtente, & ſuper omnia in gloria beatitudinis ſuæ ineffabilis: hominibus autem ita ſe habentibus, vt hi quidem ad lucidas, illi ad caliginoſas & tenebroſas ſedes abeant, quod antea demonſtrauimus, quorſum illa præſtantia & nouitas creaturæ, & à

Apocal. 21. *Geneſ. 2.* *Matth. 25.* *1. Theſſ. 4.*

nonnullis exſpectatum ita ſenſibile cœlum, itemque ſenſibilis, & deſiderabilis terra, quando, qui regnet, & fruatur ipſis, nemo erit? Sed hæc infantium, & vix hominum, & à ſanitate mentis deturbatorum, iudicio corruptorum, & à ratione malè habentium commenta
1. Pet. 3. ſunt. Quid igitur? inquit, qua de cauſſa cœli calore ſoluentur, & elementa ardore liqueſcent; nouos autem cœlos, & terram nouam, ex promiſſo ipſius exſpectamus? vbi ergo iſta nobis promiſit? Exquiramus. Quando pietatis gradus nobis enumerans, aſcenſionibus nouem, decimum gradum appoſuit, inter illos etiam nouum cœlum recenſuit. Ait enim, *beati pauperes ſpiritu, quoniam ipſorum eſt re-*
Matth. 5. *gnum cœlorum.* Deinde, *beati* [illegible]*tes, quoniam ipſi poſſidebunt terram*, &, vt breuis ſim, *gaudete & exultate, quoniam merces veſtra copioſa eſt in cœlis.* In quibus tandem cœlis noſtram mercedem multam fore ſpopondit?
1. Pet. 3. In quibus, vt meminit Petri oraculum, iuſtitia habitat. Quis igitur eſt iuſtitia? Deus. Si ergo ſol iuſtitiæ in nouis illis cœlis habitat (vt ſcriptura docet) Deus autem extra omne eſt, diſſolutáque creatura in ſeipſo manet, ſimiliter & ſemper exiſtens, & nunquam eſſe definés, nec in illis alio quodam modo creatura habitabit, diuinius vtique, quam in lumine inacceſſo, in quo habitans Deus, amicitur lumine
Pſalm. 103. tanquam veſtimento, & ſanctos ſuos diuinos reddit. Deinde iuxta ſcripturam mutata & alterata creatura, incorruptionem ſuſcipiet vt nos, nec interibit amplius, mutata, & à ſeruitute liberata videlicet. *Liberabitur enim & ipſa creatura à ſeruitute corruptionis, in libertatem gloriæ*
Rom. 8. *filiorum Dei.* Quod ſi libertas electorum Dei diuina eſt, & ſplendidiſſima gloria (*erunt enim*, inquit, *ſicut angeli Dei*) vtique libertas creatu-
Matth. 22. ræ ſimilis erit. Non tamen ſors ſanctorum rurſus in ipſa erit; quandoquidem ſe cum Chriſto regnaturos exſpectabunt. Chriſtus enim
Coloſſ. 3. vt Deus, & quem nulla circumſcriptio definit, ab eis non ſeparabitur: ſed vbi ille eſt, ad dexteram Dei patris ſedens, illic item omnes, qui Chriſtum in ſe viuentem, & loquentem habuerunt, per ſpiri-
Ioan. 17. tum erunt, ſicut ipſemet DEVS Verbum ad patrem dixit. *Pater, quos dediſti mihi, volo, vt vbi ego ſum, & ipſi ſint mecum, vt videant gloriam meam, quam dediſti mihi. Gloriam enim, quam dediſti mihi, dedi eis, vt ſint vnum, ſicut nos vnum ſumus. Non pro iis autem rogo tantum: ſed & pro iis, qui per verbum ipſorum in me credituri ſunt.* Quod ſi tibi ô homo chara eſt paradiſi voluptas potius, miſeret me infœlicitatis tuæ.

Habes primum ac ſolidum teſtimonium: ſecundum & tertium quoque, vt cupis, accipe. Magnus quippe, & ſapientiſsimus Chryſoſtomus, ipſa feſtiuitas, ea quæ Paulus ad Romanos ſcripſit, ſapienter

pienter exponens, ita docet, Sunt autem verba ipſa recitanda, vt ſe habent.

CAPVT VII.

Locus D. Pauli ad Romanos: nam exſpectatio creaturæ filiorum Dei reuelationem exſpectat, *& quæ ſequuntur, ex S. Ioanne Chryſoſtomo propemodum explanatur. Statum corporis beati in hac vita perfectè non cognoſci.*

HVNC ſenſum habet, quod ait. Interitus capax creatura facta eſt, Deo ita volente iubenteque. Voluit autem noſtri cauſſa. Quoniam enim hominem interiturum nutritura erat, ipſam quoque huiuſcemodi eſſe oportebat. Neque enim corpora corruptioni ſubiecta, à creatura, quæ eſſet à corruptione aliena, ſuſtentanda erant. Veruntamen non talis manebit, inquit: Sed & ipſa creatura liberabitur à ſeruitute inimici, id eſt, à corruptione. Deinde ſignificans, quando hoc, & per quem futurum ſit, adiunxit, *in libertatem gloriæ filiorum Dei.* Cum enim reſurrexerimus, inquit, & corpora nunquam de cætero moritura induerimus, tum & cœli, & terræ, & cuiuſque creaturæ corpus incorruptibile, & immortale erit. Et hæc quidem Ioannes ille linguaaureus. Audi porrò huius loci & alium interpretem. Exſpectatio enim creaturæ hoc ſibi vult. Et ipſa creatura, inquit, futuram gloriam noſtram vehementer exſpectat. Quare? quia incorruptibilis creata, propter hominum peccata corruptibilis euaſit; quando & nos ex incorruptibilibus corruptibiles facti ſumus. Vult igitur creatura, inquit, hominem in ſuam incorruptionem reſtitui, quod in reſurrectione futurum eſt, vt & ipſa ſuam denuo adipiſcatur. Homine, ſiquidem, propter quem creatura cœpta eſt corrumpi, ad incorruptionem reuerſo, ipſa quoque ad ſuam incorruptionem reuocabitur.

Καὶ πάντες ὡς ἱμάτια παλαιωθήσονται, καὶ ὡσεὶ περιβολαῖον ἑλίξεις αὐτούς, καὶ ἀλλαγήσονται. ἅπαντα μὲν γὰρ τὰ ὁρώμενα καταγηράσει, καὶ ἱματίων μιμήσονται παλαιότητα. σὺ δὲ αὐτὰ ἀλλάξεις καὶ καινουργήσεις, καὶ ἄφθαρτα ποιήσεις ἐν τῇ ἀκατάσει. ὥσπερ γὰρ τὰ ἡμέτερα σώματα λυόμενα εἰς τὸ μηδαμῶς εἶναι χωρεῖ, ἀνακαινίζεται δὲ πάλιν εἰς ἀφθαρσίαν, οὕτω καὶ τὰ οὐράνια σώματα ἀνακαινισθήσονται, ἀναστοιχειούμενα εἰς κρείττονα λῆξιν, ἐλευθερούμενα καὶ αὐτὰ ἀπὸ τῆς δουλείας τῆς φθορᾶς.

Pſal.101. ,, Et omnēs ſicut veſtimentum veteraſcent, & ſicut opertorium muta-
,, bis eos & mutabuntur. *Omnia enim ſub oculos cadentia ſeneſcent. veſtimen-
,, torum vetuſtatem imitantia. Tu autem ipſa immutabis,& renouabis, & incor-
,, ruptibilia facies in reſurrectione. Sicut enim corpora noſtra reſoluta eſſe deſinent,
,, rurſumq́ ad immortalitatem inſtaurabuntur; ſic & cœleſtia corpora renoua-
,, buntur, in meliorem ſortem refecta de integro, ipſa quoque à ſeruitute corruptio-
,, nis liberata.*]

Totum autem proſopopœïa quædam eſt,& bonorum amplitudinem declarat, oſtenditque nos hoc magis ſtudere debere, vt gloriam iſtam, & incorruptionem aſſequamur: ſiquidem & creatura id deſiderat. Caue enim exiſtimes, inanimem, ſenſusque expertem creaturam verè hæc exſpectare & ſentire. ἀποκαραδοκία autem vehementem exſpectationem ſignificat.

,, CHRYSOST. Ἀποκαραδοκίαν τὴν σφόδραν προσδοκίαν λέγει. ὥστε δὲ ἐμφα-
,, τικώτερον ποιῆσαι τὸν λόγον, προσωποποιεῖ τὸν κόσμον τοῦτον. ὃ καὶ οἱ προφῆται ποιοῦσι,
,, ποταμοὺς κροτοῦντας χερσὶν εἰσάγοντες, καὶ βουνοὺς ἁλλομένους, καὶ ὄρη σκιρτῶντα. οὐχ
,, ἵνα ταῦτα ἔμψυχα εἶναι νομίσωμεν, οὐδ' ἵνα λογισμόν τινα δῶμεν αὐτοῖς, ἀλλ' ἵνα τὴν
,, ὑπερβολὴν μάθωμεν τῶν ἀγαθῶν, καὶ τῶν ἀναισθήτων κινουμένων. τοῦτο δὲ αὐτὸ καὶ ἐν
,, τοῖς λυπηροῖς πολλάκις ποιοῦσιν, εἰσάγοντες ἄμπελον θρηνοῦσαν, καὶ οἶνον, καὶ ὄρη, καὶ τὰ
,, φατνώματα τοῦ ναοῦ ὀλολύζοντα, ἵνα κἀντεῦθεν πάλιν τὴν ὑπερβολὴν τῶν κακῶν ἐννοή-
,, σωμεν. Τούτους οὖν καὶ Παῦλος μιμούμενος, προσωποποιεῖ τὴν κτίσιν ἐνταῦθα, καί
,, φησιν στενάζειν αὐτὴν, καὶ ὠδίνειν. οὐκ ἐπειδὴ στεναγμοῦ τινος ἤκουσεν. ἀπὸ γῆς καὶ οὐ-
,, ρανοῦ στενομένου, ἀλλ' ἵνα τῶν μελλόντων ἀγαθῶν ἐνδείξηται τὴν ὑπερβολὴν, καὶ τὴν
,, ἐπιθυμίαν τῆς ἀπαλλαγῆς τῶν κατεχόντων αὐτῶν κακῶν. Ἀποκαραδοκία aui-
,, *diſſima exſpectatio eſt. Quo autem oratio ſignificantior fieret, mundum hunc
,, vniuerſum loquentem inducit; id quod & Prophetæ factitant, facientes tum
,, fluuios manibus plaudentes, tum colles ſaltantes, tum montes ſubſilientes: non
,, vt hæc animata eſſe putemus, neque vt illis cogitationem aliquam attribua-
,, mus: ſed vt hinc bonorum magnitudinem intelligamus, vt quæ vel ad ſenſu
,, etiam carentia pertingat. Hoc ipſum autem & in rebus triſtibus perſæpefa-
,, ciunt, inducentes & vitem lamentantem, & vinum, & montes, & tem-
,, pli laquearia eiulantia; vt & hinc rurſus malorum grauitatem reputemus.
,, Hos itaque Apoſtolus imitatus, hoc loco, perſonam creaturæ affingit, eamq́ue
,, ſuſpirare & parturire ait: non quod ſuſpirium aliquod à terra & cœlo edi-
,, tum ipſe audierit; ſed vt futurorum bonorum immenſitatem deſideriumq́ decla-
,, ret, quod habet, vt malis præſentibus liberetur.*]

Quod autem ſequitur, *reuelationem filiorum Dei exſpectat:* id eſt, finem, quando apparebit, quinā ſint filij Dei, & qui filij diaboli. *Vanitati enim creatura ſubiecta eſt.* Id eſt, corruptioni. Hac enim condēnata eſt propter peccata

peccata noſtra. *Non volens.* Chriſti potentię & hoc argumentum eſt, inuitam ſubiicere. *Sed propter eum qui ſubiecit eam in ſpe, quoniam & ipſa creatura liberabitur à ſeruitute corruptionis.* Ita, inquit, & ipſa liberationem exſpectat. Sub ſpe igitur liberationis ſubiecta eſt. Deinde hoc ipſum interpretatur, quomodo in ſpe: *quia & ipſa creatura liberabitur,* inquit, *in libertatem gloriæ filiorum Dei.* Puta, propter libertatem gloriæ, hoc eſt, propter nos, erit & creatura incorruptibilis. Sicut enim propter nos eſt corrupta: ſic viciſsim propter nos erit incorrupta. Quoniam in libertatem à corruptione vindicabitur, vtpote corruptionem incorruptione mutans. *Scimus enim, quod omnis creatura ingemiſcit, & parturit vſque adhuc.* Si creatura ſimul ingemiſcit, volens corruptionem deponere, quanto magis nos hoc velle debemus?

Et has quidem percunctationes, ſolutionesq́ue propter creaturam ab illuſtri illo ſcripturarum explanatore Chryſoſtomo inductas audiuiſti: nempe, quodnam nouum cœlum, quæ noua terra, & quomodo etiam hæc tandem incorruptionem conſecutura ſint. Nihil igitur ambige, nec controuerſare: ſed cum audieris creaturam fore incorruptibilem, & crede, & puta, & ſape, & dic, penitus nihil horum quæ creaturæ complexu continentur, & nunc corrumpuntur, etiam tunc ſemina interitus habiturum. Nec enim in futura illa vita, gaudiisq́ue venturis vllus erit creaturarum vſus, cum figura huius mundi præteribit, nec quippiam omnino tale, quale nunc eſt relinquetur. 1.Cor.7. Dum enim creatura corruptionem, & ſenectutem exuet, ſimul vetus vitium, & defectum exuet; neque quos enumerauimus, vel Dauide, vel tribus pueris, vel te indigebit, à quibus ad Deum laudandum excitetur, qui ſolus erit omnia in omnibus, & diſtribuet ſufficienter, & 1.Cor.15. eximiè pro cuiuſque vſu & merito omnibus, ſecundùm virtutis menſuram, & vitam probè peractam, pro omnimoda perfectione ſua ac plenitudine. Teſtis eſt Scriptura, & teſtis cui contradici nequit. Quoniam & locus Deus, & eſca, & potus, & lumen, & habitatio, & amictus, & diuitiæ, & imperium ſine ſucceſsione, & omnibus erit omnia, & quidquid tandem eſt, & nominatur Deus, ad vitam illam ſempiternam idoneum. ANIMA. Vt igitur oſtendiſti probationibus neceſſariis, nec iſta quatuor, & prima omnium corporum, elementa videlicet, aqua, terra, aër, æther ſiue ignis, in quibus, & per quæ tota mundi machina ſubſiſtit, aſpectabilium, ſenſibilium, animantium, vegetabilium; & quæ ζωόφυτα vocantur, & plantarum, inanimatorum, inſenſibilium, manebunt. Nam ex his quatuor conflata ſunt omnia. Si igitur cum aliis & hęc tranſibunt, quibus tanquam principiis, vt dictum eſt, vniuerſa continentur, vnde ego corpus ad reſurgendum inueniam?

Quomodo etiam expers corruptionis erit, vt ſuprà docuiſti? quo pacto diuinum, & à Deo reparatum, vt oſtenſum eſt? quomodo ſimplex quiddam natura & ſpectatu, conſideratione ſplendidũ, natura ſplendidiſsimum, & ante omnia à corruptione alienum, immortale, ſenectutis exors, ſi in eo qualitas quædam & quantitas, & magnitudo manifeſta extiterit? Ad hæc reſponde. CARO. Vltra hæc ne quid diſcepta auidius, nec curioſè ex me ſcrutare profunda ſpiritus. Non enim potes iſtis commentationibus ea liquidò perſpicere, quamdiu corpus geſtas, quæ ſermonum iſtorum auditione corporea, & luteæ materię, & vno quodam de ſenſibus corporis non capiuntur. Quamdiu enim velamentum, carnem me ſcilicet, contines, nec claritatem illam inexplicabilem conſecuta fueris, impoſsibile prorſus eſt, vt ſe iſta habeant, cognoſcere. Id quod ex hiſce Pauli verbis liquet. *Videmus nunc* (dum ſumus in hac vita) *per ſpeculum, in ænigmate: tunc autẽ facie ad faciem;* quando nimirum cum natura ſubtiliore in vitam ex mortuis redierimus.

1.Cor.2.

1.Cor.13.

» *Ἄρτι γιγνώσκω ἐκ μέρους, φησὶν ὁ ἱερὸς ἀπόστολος, γιγνώσκων ὅτι τὸ θεῖον κἀνταῦθα τῆς*
» *οἰκείας σοφίας ἔδειξεν ἂν εἰ τὸ δεξόμενον ἦν ἱκανὸν δέξασθαι τὴν νυνὶ μὲν ἀχώρητον γνῶσιν,*
» *χωρηθησομένην δὲ κατὰ τὸ ἐνδεχόμενον, ἐν τῷ μέλλοντι αἰῶνι δηλονότι.* *Nunc cognoſco*
» *ex parte,* inquit S. Apoſtolus, *ſentiens, Deum etiam hic oſtenſurum fuiſſe ſapien-*
» *tiam ſuam, ſi quis eius capax foret cognitionis, quæ nunc quidem non capitur, capie-*
» *tur autem, quantum licebit, in futuro ſæculo videlicet.*]

Nunc mihi moleſta & oneroſa ne ſis: ſed ſi quid griphorum, & difficilium noſſe voles, magiſtros percunctere, & ab iis diſcas licet: me indoctam ne vrge, vt hic optatum finem diſputatio accipiat.

CAPVT VIII.

Finem mundi incertum eſſe: ſuper eo plurium vaticinationes & coniecturæ. Gregorÿ Nazianzeni ſententia.

ANIMA. Per ego te Deum, perque ipſa abs te dicta oro, ne ſilueris. Etiam de extremis mundi temporibus, & quomodo, & quando omnium ventura ſit conſummatio; & vnde, & quando infandus ille Antichriſtus ſit emerſurus. Timor enim vellicat me, voloque, & deſidero de eo cognoſcere: ne fortè impoſtor me indoctam inueniens ſeducat. CARO. Vnde, & quomodo venturus ſit, narrabo tibi. Tempus autem conſummationis, vt incertum prorſus, non habeo dicere: nihil enim cum Apoſtolis magiſter hac de re communicauit, ac ſæpe rogantes celauit. Hoc ſolum illis dixit, neminem nouiſſe diem illum neq; horam: non hominem,

non

non angelum: ſed Patrem ſolum. Quod igitur occultauit Dominus, ego quomodo eloqui poſsim? *Matth. 24.*

THEOPHYLACTVS. Θέλων ὁ κύριος κωλῦσαι τοὺς μαθητὰς ἀπὸ τοῦ μὴ ἐρωτᾷν περὶ τῆς ἡμέρας ἐκείνης, φησὶ, ὅτι οὐδὲ οἱ ἄγγελοι, οὐδὲ ὁ υἱὸς οἶδεν. εἰ γὰρ εἶπεν, ὅτι οἶδα μὲν θέλω δὲ ὑμῖν ἀποκαλύψαι, ἐλύπησεν ἂν αὐτούς. νῦν δὲ (σοφώτερον μεταχειρίζεται), καὶ ἀπείργει αὐτοὺς ὅλως τοῦ ζητεῖν μαθεῖν, καὶ ἐνοχλεῖν αὐτῷ, ἐν τῷ εἰπεῖν, ὅτι οὔτε ἄγγελοι, οὔτε ἐγὼ οἶδα. ἀπὸ δὲ παραδείγματός τινος νοήσεις τὸ λεγόμενον. πολλάκις παιδία μικρὰ βλέπουσι τοὺς πατέρας αὐτῶν κρατοῦντάς τι ἐν χερσὶ, καὶ ζητοῦσι τοῦτο. οἱ δὲ πατέρες οὐ βούλονται δοῦναι, τὰ δὲ κλαυθμυρίζονται, ὡς μὴ λαμβάνοντα. τελευταῖον μέντοι οἱ πατέρες κρύπτουσι ἐκεῖνο, ὃ κρατοῦσι, καὶ ἐπιδεικνύντες τὰς χεῖρας κενὰς τοῖς παιδίοις, ἱστῶσι ταῦτα τοῦ κλαυθμοῦ. οὕτω καὶ ὁ κύριος ὡς παιδίοις τοῖς ἀποστόλοις προσφερόμενος, ἀπέκρυψε τὴν ἡμέραν. εἰ γὰρ εἶπεν, ὅτι οἶδα, οὐ λέγω δὲ, ἠνιάθησαν ἄν, ὡς μὴ παρ' αὐτοῦ μανθάνοντες. ὅτι δὲ γινώσκει ὁ κύριος τὴν ἡμέραν, καὶ τὴν ὥραν, πρόδηλον. αὐτὸς γὰρ τοὺς αἰῶνας ἐποίησεν. ὃς οὖν ἐποίησε, πῶς οὐ γινώσκει. *Cum vellet Dominus cobibere diſcipulos ab indagatione diei illius vltimæ, ait, neque angelos, neque filium hominu illam ſcire. Nam ſi dixiſſet, ſe quidem noſſe, patefacere autem nolle, triſtitia eos affeciſſet. Nunc ſapienter agit, & eos ab iſta ſciendi cupiditate, & à moleſtia ſibi exhibendæ planè reuocat, dum nec angelos, nec ſe ſcire confirmat. Ex parabola porrò rem ſaxo intelligat. Sæpenumerò pueruli patres ſuos quippiam manibus tenere vident, quod concupiſcunt. Illi dare abnuunt: pueruli fruſtrati plorant. Tandem abſcondunt quod tenebant, illiuſque manus vacuas oſtentant, atque ita fletum eorum compeſcunt. Perinde Dominus Apoſtolos tractat, & diem illum occultat. Nam ſi dixiſſet, ſcio equidem, non tamen vobis dico, contriſtati fuiſſent ea de cauſſa, quia id ab eo non didiciſſent. Non ignorare autem Dominum, ex eo manifeſtum eſt, quod ipſe fecit ſæcula. Qui ergo fecit, quomodo ignorat?*]

Multi porrò plurima ex aliis ſuper hoc collecta diſputarunt. Nam nonnulli, ſecum reputantes, quoniam Deus ſex diebus in Verbo totum mundum procreauit, & ſpiritu ſuo ſuperiora & inferiora produxit, ac poſtea die ſeptimo ab operibus ſuis requieuit, completo ſextæ chiliadis annorum numero, vitæ huius finem & conſummationem fore putauerunt. Nam vt Dauid canit, *mille anni ante oculos tuos tanquam dies heſterna, quæ præteriit.* Quare completa annorum ſexta chiliade, etiam totius mundi tempus compleri, & abſolui neceſſe eſt. Sed iſti, non ſatis ad ſcopum collinearunt, vt equidem arbitror. Aliis cogitare in mentem venit; quoniam hoc ſæculum, vt aiunt, eſt humano generi ſeptimum, ſextam chiliadem, & totam ſeptimam præterire oportere: deinde finem, & iudicium futurum, vt ſecundùm Salomonem demus partem ſeptèm, nec non & octo vitæ vtriuſque. Tempus ſiue ſæculum ſeptimum iſtuc, operum eſt: octauum, quod exſpectatur, contrà præmiorum eſt. Horum ſententia omnium aliorum maximè præponderat. *Pſal. 32.* *Geneſ. 2.* *Pſal. 89.* *Eccleſ. 11.*

rat. Alij ſcriptam auctoritatem ex Apocalypſi Ioannis Theologi afferunt. *Apocal. 20.* Agnum quippe Dominum, & purum agnum adoratum iri narrat mille annis, Satanam autem apoſtatam, beſtiam peſsimam vinctum, poſtea ſolutum iri, vt quidam Hebræorum aliorumque ſeducantur. Rurſus poſt crucem & paſsionem Saluatoris, deſcenſumque ad inferos beſtiam vinctum iri, agnumque pulcherrimum denuò in veneratione futurum. Et hinc ratiocinantes mille annos colligunt. Sed nec iſti per omnia probabiliter loquuntur. Etenim millenarium viri docti pro numero ac tempore indefinito accipiunt. Puto namq; à Chriſto in præſens tempus annos euolutos mille centum quinque, ſicut accuratè rationem putando inueni. Quod ſi ab eius acerbiſsima nece, & ſepultura numeres, mille ſeptuaginta duos conficies, & hinc exactius tempus deprehendes. Ex quo enim ſol lumen maximum eſt fabricatum, vſque ad deſcenſum de cœlo Verbi & Saluatoris, abierunt nimirum millenarij annorum quinq;. & inſuper centuriæ quinque, vt ratio ſubducitur. Tum Verbum, ad noſtram ſeſe miſeriam demittens, caro factum eſt. Poſt illud ſexcenti quinque, & quingenti ad præſentem vſque indictionem, ſecundùm quam duodecima lunę, ſolis autem viceſima quinta periodus neceſſariò circumacta eſt.

» *Quod hunc in modum colliges. Ab orbe condito vſque ad Chriſtum natum nu-*
» *merat auctor 5500. poſt Chriſtum natum vſq; ad ſua tempora (hoc eſt Alexij Com-*
» *neni decimum ſextum) 1105. qui ſuperioribus additi efficiunt 6605. annos. Quos*
» *ſi per 19. partiaris, periodi aurei numeri trecenta quadraginta ſeptem exiſtent, &*
» *quadrageſima octauæ annus duodecimus agetur, quem auctor duodecimum Cyclum*
» *lunæ, ſiue anni lunaris appellauit. Cycli verò ſolaris viceſimus quintus numerus pro-*
» *dibit. Si eoſdem annos 6605. per 28. diuidas, cuius integri orbes ſunt ducenti trigin-*
» *ta quinque, viceſimi ſexti, viceſimus quintus eſt reliquus.*]

Itaque à paſsione Domini annos omnes fluxiſſe collige mille ſeptuaginta duos, eosque plenos. Optimus autem Alexius decimum ſextum in imperio nunc agit. Hæc igitur ſuper conſummatione ſæculi dicta ſint, nec ea exquiſitè, verùm ex quibuſdam ſignis, ſuper quibus neutiquam plura diſſerenda ſunt: ſed tacendum, cum non poſsit planè verum dici, ex iis quæ quidam horum indagatores dixerunt. Conſummationem porrò totius mundi, vt antè diximus, quam adhuc inueſtigãdo reperire nullus potuit, quo pacto ego poſſem exactè noſſe? Quod ſi quis neceſſaria argumentatione hîc concludit aliquid, Gregorius ſapientiſsimus, Theologus magnus concludit, dum ait. Iubet Dominus, & nemo contradicit, ſuperiorem mundum inſtaurari & impleri: implebitur autem ſaluatis omnibus, quicunq; ſecundùm virtutem, & Deum vitam traducunt, quorum ſors regnum cœlorum,

lorum, nunquam ab eis auferendum. Vacuitatem illius ordinis complent à quo primus apoſtata defecit, & cateruas ſimul deficientium, & ſub ipſo limites ſtationemque deſerentium ſecum traxit.

Τὸ μὴ πίπτειν κατ' οὐσίαν ἄγγελοι οὐ κέκτηνται, ἀλλὰ κατὰ προαίρεσιν. οὐ γὰρ ἀκίνητοι φύσει πρὸς τὸ καλόν εἰσιν, ἐπεὶ οὔτε ὁ Σατανᾶς ἔπεσεν ἄν, ὡς ἐκ φύσεως μὴ δυνάμενος τοῦτο παθεῖν. ἀλλὰ δυσκίνητοι πρὸς τὸ ἐναντίον πεφύκασιν, ὡς ὁ θεολόγος λέγει Γρηγόριος. Nam quod ceciderunt angeli, non naturæ ipſorum, ſed arbitrij fuit: nec enim natura ad malum ſunt immobiles; alioqui nec Satanas cecidiſſet, vt in quem ex natura ipſius huiuſmodi caſus non conueniret. Verùm ad malum natura difficiles ſunt, vt ait Gregorius Theologus.

Quando igitur plenitudinem hic locus acceperit, præſentis quoque ſæculi ac vitæ plenitudinem exſpecta. Vnde autem Antichriſtus, & quomodo venturus ſit, deinceps pro facultate tibi conabor exponere. Tu mihi animum attende.

CAPVT IX.

De præcurſoribus ſecundi aduentus Chriſti. De prænuntiis, mirandis operibus, & ortu Antichriſti.

PRIMO aduentui Verbi ac Domini lucerna, præco præcurſor, lumen præcurrens, Ioannes fuit. Secundum aduentum eiuſdem Elias Thesbites præcurret, cui cognomentum Zelotes à Zelo, quo ſupra Phinees excelluit: id quod Propheta Malachias prænuntiat, & cum ipſo, ac poſt ipſum os theologicum, in Apocalypſi ſua, Eliam hunc ſecundum aduentum Domini præcurſurum tradit, & cum eo vnum de primæuis Patribus, admirabilem Enoch ſcilicet, duos hoſce coopertos ſaccō omnibus palam teſtificaturos, Antichriſtum ad ſeductionē & perniciem mortalium venturum. Hi præuenient aduentum Verbi diebus mille ducentis ſexaginta. Idem perſpicuè Daniel prędicit, aliis verbis, loquens de hebdomadibus annorum, & iis abbreuiandis. Hinc gloria latriæ ſacrificij ſublata, Elias ille mirabilis, & Enoch Patriarcha paſsim ad omnes homines officio præcurſorum fungentur. Annis tribus & dimidio ſeductorem affore prophetabunt: & poſt hæc Antichriſtus exitiabilis aderit, & rerum potens ſcelera euomet, Chriſtique ſeruos tormentis ſubiiciet. Falſos Prophetas habebit præcurſores, qui tyrannum illum, impoſtorem, & orbis corruptorem prædicabunt, ac promulgabūt. Sic autem adueniens variis oſtentis & prodigiis ſeſe commendabit, vt multi electorum, ſi fieri poſsit, in errorem inducantur.

Malach. 4. *Apocal. 11.* *Daniel. 9.* *Apocal. 12.*

Marci 13. Verum inconcuſſos ac ſtabiles incidens ſeductor fruſtrà laborabit. Radicem vnde prodeat, amaram, radicem peſtiferam (vt organum tanto perditore dignum & conueniens) inueniet. Virgo, vt putabitur, ſed impura meretrix erit, vnde naſcetur, flagitioſus ex flagitioſa: videbiturq; imitari Dominum, ita ſimulabit ſanctimoniam & fraudulenter, ac ſecundùm imaginationem non reipſa perpetrabit miracula & portenta. Eum Hebræorum natio ſuſcipiet & complectetur.

CAPVT X.

Vaticinium Patriarchæ Iacob de Antichriſto explicatum: eiuſdem mores, vltimorumq́; temporum illorum calamitates ac miſeriæ.

ANIMA. Ex qua porrò tribu, ſeu ex quo genere, & ex qua patria fucatus, & execrandus ille planus eſt proditurus? Narra etiam mihi, ſi quis Propheta aut Patrum aliquid de eo prædixerit. CARO. Priſcum quoddam vaticinium tibi dicam, vt vis. Patriarcha Iacob morti conceſſurus, cum 12. filiis bene precaretur, de genere Antichriſti apertè in ſpiritu prophetauit. Oraculum id potiſsimum ad Dan filium pertinet, & eſt omni ex parte improbi illius moribus aptiſsimum. Nam Dan ex Bala Rachaëlis ancilla natus eſt. *Dan*, inquit, *indicabit populum ſuum.* Eſt ſiquidem illa vna tribus ex duodecim. Sed quemadmodum Chriſtus cum ex familia Dauid effloruiſſet, hominem vt fabricator & Dominus ſaluauit: ſic ex Dan ſerpens mortiferus, Antichriſtus exitialis ac perniciosus, velut ceraſtes orietur. Hoc enim eſt, quod ſcriptum legimus. *Fiat Dan coluber in via, ceraſtes in ſemita, mordens vngulas equi, vt cadat aſcenſor eius retro. Salutare tuum exſpectabo Domine.* Draconi natura doloſo & callido, quique multis vndique vtitur fraudibus, & vitæ huius iter peragentibus mortem afferenti eum comparat. Planè vt ſerpens horribilis, qui in via in inſidiis latens, clandeſtinis morſibus eam ambulantes interficit. Sed equum, opinor, inde cadens corpus appellauit. Cecidiſſe autem, & iacere ſupinum, ipſe habitus & forma mortui, vt arbitror, oſtendit. Rationem iam, & ſeductionem, prô, ſeductoris intellige: vngulæ enim explicatio, corruptorem inſinuat. Alios quidem inſidioſè lædet, alios in omnium aſperrima, & labores laborioſiſsimos inducet. Caſum igitur demonſtrat, ex eo quod equum dixit, quo grauiſsimè morſo, celeriterque corrupto, interitus, & mortis conſumptio eos ſequitur, à quibus cœleſte præmium, & corona ſperatur. Fructus enim

Geneſ. 49.

enim ſpei apud prudentes, eſt ipſa ſalus, quam deſiderant. Itaque naſcetur ex muliere libidinoſa, opinione quidem incarnatus; ſed non etiam re ipſa, mẽdaciſsimus, furaciſsimus, doloſus, vafer, ſpecie duntaxat iuſtus, quietus, veræ gloriæ amicus, falſæ inimicus, pauperum, fratrum amans, miſericors, pius, benignitatem ſimulans, grauitatem oſtentans, Hebræos, & genus Hebræorum omnibus præferens, mores minimè auaros, à facultatibus habendis alienos exhibens. Iucundum & lepidum ſe faciet, moroſitatem fugiet. Pacem videbitur colere & amare, perturbator omnium maximus. Apparebit ouis, cum ſit planè lupus, & in ſumma, nihil præter figmentum, ludificatio & techna; donec videlicet omnes ad ſe attrahat & ſubigat. Hebræorum autem improborum genus peſsimum, affectibus ratione carentibus cedens, & cum clamore accurrens, Amon, & Moab, & Edom, & huiuſmodi idololatrarum filij procidentes, eum vt regem & amicum adorabunt, quorum (vt ſibi præ omnibus acceptiſsimorum) rex erit, fictéque, & ad opinionem tantùm prouidentiam loci oſtentabit, quaſi templum ipſis reædificaturus. Seductor igitur, præſtigiatorque, & impoſtor arrepto imperio, dæmonas vtique ſe prædicatum, & commendatum per orbem terrarum mittet. Surrexit, dicent, magnus rex Hieroſolymis, humanus, amans pauperum, omnes ad eum accedite. Eo iam omnem poteſtatem nacto, abominatio deſolationis à Daniele prædicta conſequetur:—

" Βδέλυγμα ἐρημώσεως ἐκλήθη καὶ ὁ ἀνδριὰς, ὃν ἔστησεν Ἀδριανὸς ὁ βασιλεὺς ἐν τῷ
" ναῷ τῷ ὄντι τότε ἐν Ἱεροσολύμοις. *Abominatio deſolationis vocata eſt & ſtatua,*
" *quam Adrianus Imperator in templo Hieroſolymitano, quod tunc erat, conſti-*
" *tuit.*

—de qua & Paulus, in templo Dei ſeſſuram. Et cum perſonam om- 2.Theſſ.2.
nem cœperit deponere, latentemque intus hypocriſin paulatim aperire, primùm quidem Enoch, & Eliam, vt immanis carnifex trucidabit: & fraudulentiam exuens, furorem autem & iram aſſumens, crudelis, inexorabilis, arrogans, peſtilens, impudens, furioſus, audax, nec pilum boni viri habens, omnis nequitiæ diuerſorium, terriculamentis, ſpectris, impoſturis, vt magus quiſpiam ſe oſtentans, vt tyrannus, vt inuaſor, vt viſorum inanium, commentorum, & mutationum mirabilium artifex. Quin & figurarum, & colorum conuerſionibus omnino inſtar Protei alius ex alio. In ſublime volans vt angelus, (immò vt dæmon) & terrores ac prodigia ad deceptionem effingens, vt inconſideratis mentibus montes transferre videatur. Curatores, mandatarios, & curiales faciet, agoranomos (hoc eſt fori re-

rum venalium præpoſitos)conſtituet,caupones, paniuendos, vt cum quis rebus ad vitam neceſſariis,& cibo potuque eguerit, ſigillum ſeu characterem ſeductoris in fronte,& in manu dextera accipiat; vt omnino crucis forma ad ſalutem ſignari nequeat. Cùm enim non ignoret quantam vim habeat diuina hæc armatura, quam ſit inexpugnabilis, & inuicta in omnibus, & quam eius duntaxat expreſſa figura dæmones debilitet, hac ipſa Chriſtiani populi etiam frontes penitus ſpoliate machinabitur. Tunc mare perculſum refugiet; terra exareſcet; nullus deſuper cadet humor, non ros, non pluuia: herba viridis & arborum folia morientur; omnes, alius in aliam regionem aufugient. Europæi in orientem ſe conferent; inde in occidentem & ad ſeptentrionem ex Libya current. Totus orbis in anguſtias redigetur: gentes timore corripientur. Fames,peſtis,terræmotus,quaſſationes, tremores in vrbibus,in oppidis,in continente,& in mari,& confuſio, & tribulatio, & afflictio in mundo ſentientur. Eſurient ſimul omnes, & diues & pauper. Sitient,nudi erunt,egeſtate cruciabuntur, & omne aliud nocumentum, acerbitatemque patientur. Nocentes etiam beſtiæ hominibus ad multitudinem, amplificationem & incrementum calamitatis immittentur. Extra & intus,vndique tremor,& gemitus, & ploratus, & lamentatio per humanum genus. Pater & mater lugebunt ſuper filiis:filij ſuper parentibus eiulabunt. Matres ſuper infantibus adhuc lactentibus: cognati ſuper cognatis: ſuper amicis amici. Mutuò ſuper ſe corruentes, miſerabiliter expirabunt. Magna tribulatio erit, & talis tribulatio, qualis prorſus nunquam fuit, ex quo mundus è nihilo ab vniuerſorum Deo conditus & conſtitutus eſt. Pulcherrima & maxima luminaria atq; faces illæ cœleſtes lumen nullum fundent, nec micabunt aſtra reliqua. Frater fratrem, & filij parentes, & hi viciſsim filios ad necem tradent; natura & ſanguis planè confundetur, & tenebræ, & mortes quotidianæ, & cædes miſcebuntur. Nemo tunc opem feret: non erit qui ſepeliat:ſtirpes & bruta animantia ſimul corrumpentur. Viui, beatos prædicabunt olim mortuos, & cum morientium putoribus computreſcent: qui in biuiis videlicet temerè iacentes, aërem graueolentia ſummopere inficient. Die incipiente clamabunt cum gemitu: quando veniet veſpera? forſitan nos hoc dolore expediet. Rurſus cùm nox aderit, diem optabunt, vt inde in aliam quampiam regionem fugiant. Nulla omnino inuenietur remiſsio: nullo loco tutamen, aut præſidium. Pecuniæ amor, diuitiarumque deſiderium euaneſcet; aurum, margaritæ, & lapis pretioſus abiicientur: purpura, byſſus, argentum ſpernentur ab omni-

omnibus; coccus auguſtus, hyacinthus, & alia ſumptuoſa negligentur. Vt paucis dicam, quidquid in terrenis rebus pretioſum, vt inutile, vt profanum, vt ignominioſum deſpicietur. Nemo nummis lætabitur, nec vitæ cupidus reperietur: ſed vt puluis, palàm omnia reputabuntur. Qui igitur aduerſante ratione Belial capita ſubmiſerint, atheique illius characterem acceperint, concurſantes contra eum murmurabunt. Hem, quid fecimus? inquient: fame enecamur; viuere nequimus amplius: prorſus deficimus. Aufer, ſi potes, dracones hominum. Ille perditor haud potis, nec habens quid faciat boni (ſiquidem boni nihil didicit facere) cum audacia crudelem ſui defenſionem afferet. Nulla cadit pluuia: humus non irrigatur imbribus: ſqualida tellus alimenta non ſuppeditat. Quid igitur poſſum facere? quid mihi fruſtra moleſti eſtis? Vnde præbebo eſcas? vnde veſtræ inopiæ ſuccurrã? Tunc continens, & mare ſine lingua lamentabuntur, & aliæ creaturæ, vt dictum eſt. Omnia tremor, etiam montes, & colles occupabit. Sol, & luna, & ſtellarum agmina mœſto vultu aſpicient ſeductionem tantam, qua genus humanum à ſuo creatore ad ſeductorem ſe applicuit, & ſignum eius ſuſcepit: quod vtinam nunquam ſuſcepiſſent, & tuliſſent. Viæ Sion tunc lugebunt, ait Propheta, quia ſeductor abſtulit feſta Domini. A Chriſto cognominatus populus in mœrore magno verſabitur; non enim erit oblatio, non ſacerdos, non ſacrificium. Deficiet & thymiama, & locus holocauſtorũ, & omnes hymni pſalmiq;, & omne genus diuini cultus, dominante nobis dæmone per annos duos cum dimidio. Niſi enim prouidentia opificis, Saluatoris, ac Domini *breuiati fuiſſent dies illi, non fieret salua omnis caro. Sed propter electos breuiabuntur dies illi.* vt ipſemet affirmauit, fictor meus, & Dominus, & miſericors Dominus, qui ſupra vires tentari ſinit neminẽ. Expletis temporibus illis, vbi Satanas, & ſcandala quieuerint, repente immenſa lux longè lateque coruſcabit. Tum maximus ille, & pulcherrimus, & immortalis ſponſus ad totum orbem, vt nouit, iudicandum veniet, in multitudine, & virtute, & gloria, quam nullius mens informare queat. Sonante tuba, ſepulchra aperientur, & mortui reuiuiſcent vniuerſi, & quotquot poſt homines natos interierunt, excitabuntur. Viuentes immutabuntur, ſcribit Paulus. Qui in occurſum Chriſti rapientur, in nubibus, in aëra magno numero, iuſti erunt. Peccatores autem, vt ego, & quotquot improbiſſimi, in terra relinquentur, fruſtra lamentantes.

1. Thren. *Matth. 24.* *1. Cor. 10.* *Luca 21.* *Matth. 24.* *1. Cor. 15.*

CHRYSOST. *Καὶ γὰρ βασιλέως παρόντος, καὶ εἰσελαύνοντος, οἱ μὲν ἐν τιμῇ εἰς ἀπάντησιν ἐξίασι, οἱ δὲ κατάδικοι, ἔνδον μένουσι, καὶ οἱ προσκεκρουκότες τῶν οἰκετῶν. ἐπὶ*

peruerſitatem agnouiſſent. Itaque ad Hebræos redarguendos veniet, vt ne figmentum quidem prætexentes dicere queant. Quoniam audiuimus Chriſtum ſemet filium Dei nominantem, & Dei viuentis progeniem ab aliis, nullo modo nos ei ſubiicere voluimus. Talia loquentibus Antichriſtus ex iis quæ ipſe dixerit, effinxeritque os obturabit: nihil enim ad veritatem, ſed mera mendacia ſemper loquetur & faciet, ſicut pater mendacij. Et cùm ſit Dei aduerſarius, Deum tamen ſeſe non timidè (ô importunam audaciam) appellauerit, etiam hinc ingratiſsimis ſilentium imponet. Si enim non audiuiſſent Chriſtum Verbum, Deum & hominem, tanto magis illi credere non deberent. Chriſtus enim in humilitate docebat, dicens, ſe miſſum à Patre: nihil ſine illo, & conſilio paterno habere à ſemetipſo quid faceret. Antichriſtus autem contraria & dicet, & faciet. Quis alius Deus? dicet, ego ſolus ſum Deus; præter me non eſt alius. Et quis ſimilis mei? ego cœlum & terram, & omnia procreaui. Huiuſmodi ille audaciæ pleniſſima effundet, nugabiturque. Quorum Dominus Iudæos admonens, aiebat, me qui veni in nomine Patris mei, & voluntate paterna, non ſuſcepiſtis: *alius in nomine ſuo veniet, hunc ſuſcipietis.* Ioan. 5. ANIMA. Quomodo autem Satanas corpus geſtabit? quæſo; & quomodo carne continebitur? & quomodo animam mentemque, vt apparet, & alia habere videbitur? & quomodo ſecundùm ſubſtantiam ipſe quoque mortalis erit? CARO. Ita noli cogitare, nec ſentire, nec proloqui. Ex genere quidem Dan, & Galilæus erit. Virguncula falsò credita, & impudiciſsima meretricula ex cubili inconceſſo nefandum illum hominem pariet: in quo non obſcurè diabolus inhabitabit: & omnia ad voluntatem diaboli faciet, & tanquam dæmoni initiatus & loquetur, & aget: tractus, raptus in ſpiritu maligno, ſic procedet, neſciens quid faciat.

Ὁ ὑπὸ τοῦ πνεύματος τοῦ ἀκαθάρτου σχεθεὶς, μαντεύεται ὥσπερ ἀπαγόμενος, καὶ ἕλκεται ὑπὸ τοῦ δαίμονος, οὐδὲν εἰδὼς ὧν λέγει. τοῦτο γὰρ μάντεως ἴδιον, τὸ, ἐξεστηκέναι, τὸ, ἀνάγκην ὑπομένειν, τὸ ὠθεῖσθαι, τὸ ἕλκεσθαι, καὶ σύρεσθαι ὥσπερ μαινόμενος, οὐκ εἰδὼς ἃ φθέγγεται. *Qui ab immundo ſpiritu eſt obſeſſus, vt mente alienatus vaticinatur, & à dæmone trahitur, neſciens quid dicat. Hoc enim vaticinantium eſt proprium, in mentis poteſtate non eſſe, vim pati, impelli, trahi, raptari, furioſorum inſtar, & neſcire quid loquantur.*

CHRYSOST. Οὐχ ὡς προφῆται λαλήσουσιν, ἀλλ᾽ ὡς οἱ μάντεις ἦσαν. ἐκεῖ μὲν γὰρ ὁ δαίμων, ὅταν εἰς τὴν ψυχὴν ἐμπέσῃ, πηροῖ τὴν διάνοιαν, καὶ σκοτοῖ τὸν λογισμὸν, καὶ οὕτως ἅπαντα φθέγγεται, οὐδὲν τῶν λογισμῶν ἐπισταμένων, καὶ τῆς διανοίας αὐτῶν,

ἀλλὰ

» ἀλλὰ ὥσπερ αὐλοῦ τινὸς ἀψύχου φθεγγομένου, καθὰ οἱ χρησμῳδοὶ, καὶ οἱ μάντεις, οἳ λέγου-
» σι μὲν πολλὰ, ἴσασι δὲ οὐδὲν ὧν λέγουσιν. οὕτω κἀκεῖνος ἐξεστηκὼς ὑπὸ τοῦ Σατανᾶ λαλήσει
» καὶ πράξει ἃ ὁ δαίμων θέλει καὶ βούλεται. *Non vt Prophetæ loquentur; ſed quales fa-*
» *tidici erant. Ibi enim cum dæmon animam occuparit, mentem debilitat, & ratio-*
» *nem obſcurat, & ita loquitur ipſe omnia, eorum ratione & mente totum ignoran-*
» *tibus: ſed vt tibia inanima ſonantibus. Sicut qui canunt oracula, & vates, qui cum*
» *multa dicant, nihil eorum ſciunt, quæ dicunt: ita & ille à Satana mente emotus,*
» *loquetur, & aget quæ dæmoni collibuerint.*]

En expoſui, quas ob cauſſas ſceleratiſsimus Antichriſtus venire permittatur. Partim vt amputet excuſationes Hebræorum: partim vt fideles, fideliumque certamina appareant, quæ aduerſus & contra ipſum tunc ſuſcipientur: & alij aliis ſemper exemplo ſint, & ſic præmia, quibus ob zelum iſtum omnes digni ſunt, adipiſcantur. Nec enim ad vniuerſorum exitium, aut citra rationem probabilem conuenientemque, ſed ad maximam vtilitatem, vt ſuprà docuimus, venturus eſt. Nam & carnes ſerpentum à medicis præſtantiſsimis ad medicinam, & vires hominum inſtaurandas aſſumuntur, vt alia inutilia, & quæ putantur noxia: tametſi Antichriſtus neutiquam eſt medicina, ſed pernicies potius.

CAPVT XII.

Ad perpetuam conſiderationem mortis incitatio. S. Trinitatis laus & admiratio.

NE igitur inueſtiga res huius, nec interroga: nihil quippe iſta ſcientia lucri acquires. Mortem autem & finem in horas exſpecta: neceſſe eſt enim naturam diſſolui. Meditare hanc ſemper; *memorare conſtanter nouiſsima tua, & nunquam peccabis*, vt ait Scriptura. Admiror etiam Græcos, qui ſapienter ſcripſerunt: philoſophiam eſſe meditationem mortis. Sicut enim panis præ omnibus eſcis eſt neceſſarius, & eſt firmamentum ac ſtabilimentum cordis: ſic & meminiſſe mortis, omnium eſt optimum. Eſurientem enim panis non recordari, eſt impoſsibile: & volenti ſaluari, non eſſe memorem ſui finis. Mors tibi melior fuerit ad ſalutem: viuere autem occaſio peccandi, & morte peius. Animam non mors, nec mortis ipſa perpeſsio extinguet: ſed mores mali, & vita perdita. Etſi enim à principio immortalis, vt intelligentiæ particeps, creata es, tamen fuga virtutis mortem tibi affert. Tuam igitur emigrationem exſpecta, & ante oculos pone; nec ſolùm quotidie, ſed quamdiu

Eccleſ. 7.

ſpiras

ſpiras, cogita. Ante omnia ſupplica, & precare Dominum, vt in hora mortis fidelem tibi angelum mittat, qui te cuſtodiat, qui te in prælio adiuuet, qui te liberet, qui tui curam gerat, vt cuſtodiam & carcerem principis illius tenebrarum, & poteſtates tenebrarum, & formas viſu horrendas, & impetum dæmonum effugias, ſurſumque ad lumen gloriæ Domini peruenias, & plenitudinem appetibilium, vt vis, attingas: quod eſt in vno, & communi principatu vniforme, & ſplendet in omnibus ætatibus ſæculorum: ad gaudium ineffabile ſupernæ habitationis: ad illuſtrem panegyrin ſupernorum miniſteriorum. Etiam pater omnipotens ſuperûm & inferûm. O ſplendor Patris, virtus, & verbum, per quod ex nihilo produxit omnino omnia. O ſpiritus Paraclete, per quem continet omnia, & conſtruit, & perficit, & complet, & portat. O trinitas & vnitas, naturâ & perſonis. O lumen triplicis ſubſtantiæ, Pater, Verbum, Spiritus. Inſpira mihi gratiam ſapientiæ tuę, & omnibus æternam dona lætitiam, quo ex omnibus rebus nihil eſt melius, nihil præſtantius. Sancta Trinitas, tibi gloria, vnum omnis imperij principium, & origo. Fides mea, adoratio mea, lumen, & ſpiratio mea, gloriatio, fulcimentum, & ſaluatio mea, in generationes generationum, in ſæcula ſæculorum.

FINIS LIBRI TERTII.

DIOPTRÆ LIBER QVARTVS.

LIBRI CAPITA.

I. *Quamobrem Deus cœleſtes, & intelligentes ſubſtantias prius, & ſemel vniuerſas procreauerit: inferiores autem ſimiliter intelligendi vi præditas (animas hominum puta) adhuc ſingulas producat. Animæ cum beatis mentibus, cumq́ ipſo Deo affinitas & immortalitas.*

II. *Animas vacare prorſus corporeis accidentibus, & ſecundùm ſubſtantiam nullo diſcrimine variari. In reſurrectione non beatorũ corporum, nec animarũ, ſed gloriæ, præmiorumq́ differentiam fore.*

III. *Mirifica, & multiplex inter homines tum ab anima & moribus, tum à corpore & ſenſibus diſcrepantia. Corpus ſingulorum ex quatuor elementis æqualiter conſtare.*

IV. *Duplex mundus, ſuperior & inferior. Hominem vtriuſq́ participem eſſe. Cuiusq́ elementi binæ qualitates. Ex quatuor humoribus quinam cui elemento propter ſimiles qualitates reſpondeant: quo pacto cum iiſdem elementis, & quatuor humoribus, totidem anni tempora conſentiant. Qua ratione cauſſa ſuperius explicatæ varietatis, qualitatum & humorum temperationi in corpore humano debeatur. Rei illuſtrandæ paradigmata.*

V. *In voce humana ſumma varietas ac diſsimilitudo comparatione quadam lyræ, ſeu inſtrumenti muſici ante oculos ponitur.*

VI. *Tametſi homo propter temperamentum ad vitia feratur, poſſe tamen ſeſe corrigere, ſi velit, Deo opitulante. Supra naturæ curſum & ordinem diuina quadam opera. Dei beneficia deſiderantibus quid præſtandum ſit.*

VII. *Recenſentur varia corporis humani incommoda, & miſeriæ. Origo ex conſtitutione inquiritur, propter quam de quatuor humoribus, de principio generationis, de quatuor ætatibus, & temporibus anni copioſè prius diſputatur.*

Expli-

Explicaturus cauſſam vitioſorum corporũ, aliò abripitur, & cur Deus hominem non ſimplicem, vt angelos, creauerit, docet. Deinde Manichaeorum deliramenta inſectatur. VIII.

De prouidentia Dei in opificio mundi, & cur hominem immutabilem immortalemq́ non fecerit. IX.

Tandem partuum monſtroſorũ, & aliqua fœditate inſignium cauſſam incontinentiæ parentum adſcribit. In his ipſis partubus vtilitatem ad mores hominum corrigendos ineſſe demonſtrat. X.

Quomodo diabolus ſuperſeminet in animis noſtris Zizania, & quibus armis ei reſiſtatur. Quare zizania hic euelli Deus non ſinat. XI.

De quatuor virtutib. cardinalibus, earumq́ vitiis oppoſitis. Multa itẽ de animi perturbationibus, & quæ à quibus virtutibus edomentur. XII.

Quiſnam carnalis, quis animalis, quis ſpiritualis appellandus ſit. Solũ id bonũ, ꝙ ex libera voluntate procedit, laudẽ & præmium mereri. XIII.

Quemadmodum Deus hominem cum creaturis omnibus communicantem finxerit. Quomodo item Trinitatis imaginem contineat. XIV.

Cur anima, cũ ſit incorporea, rebus tamen corporeis ac perituris adhæreſcat. Vnde bellũ intra ipſam. Quis pacificator. Quatuor virtutũ cardinaliũ officia. Gratia Spiritus S. quando hominib. auxilietur. XV.

Prima origo belli inter corpus & animam. Diaboli oppugnationes nobis accidere ſalutares. Anima quorum extra corpus recordetur. Quomodo abſq́ corpore Deum laudet. Quo pacto afficiantur ſpiritus exuti corporibus, & ſenſus ſine ſenſibus habeant. De incremento fœlicitatis animarum in ſecundo Chriſti aduentu. XVI.

Chriſtum cum latrone in paradiſum illum terreſtrem non introiiſſe, nec vllam animarum ſanctarum poſt reſurrectionem eò introire. XVII.

Rerum quarto libro pertractatarum anacephalaeoſis. XVIII.

Non ſua, ſed aliena voluntate, & auctoritate ad ſcribendum ſe acceſſiſſe. Omnes actiones noſtras à Deo pendere. Libri vtriuſque teſtamenti. Diuerſa ſcripta ſanctorum Patrum. Quomodo ſcriptoribus diuino auxilio ſit opus. Vnde profecerit. Nonnullorum ex medicis ſumptorum ſumma. XIX.

Flebilis lamentatio & querimonia aduerſus animam. Multa de mundi vanitatibus, de vltima hora, de extremo iudicio. De cœleſti paradiſo & inferis conſiderationes tropicæ. XX.

DIOPTRAE R. CHRIST. LIBER QVARTVS,

CAPVT I.

Quamobrem Deus cæleſtes, & intelligentes ſubſtantias prius & ſemel vniuerſas procreauerit: inferiores autem ſimiliter intelligendi vi præditas (animas hominum puta) adhuc ſingulas producat. Animæ cum beatis mentibus, cumq́ ipſo Deo affinitas, & immortalitas.

ANIMA. Quid ita tandem virtutes adminiſtratorias, & mentium illas legiones ſuas omnipotens Dominus & conditor antè condidit, quæ vt conditæ ſunt, ita permanent; animas autem ipſas æquè rationis beneficio cumulatas ſemper producit, procreat, & fabricatur? CARO. Summus opifex idcirco angelicas poteſtates principiò produxit, vt ne humanum genus plus iuſto eas admirans, & carere initio exiſtimans, ex eo, quod innumerabiles nullo eſſent ortu generatæ, multos eſſe Deos opinaretur, & hinc loco vnius Dei, penes quem ſolum eſt omnium rerum principatus, confuſum multorum dominatum, & omnino quendam populum Deorum introduceret: quandoquidem & creaturas nimiopere ſuſpicientes, & in iis hærentes, nec vltra progredientes, mundum nunquam exiſtere cœpiſſe, vt principij expertem, crediderunt, erroremque peſtiferum errauerunt. Quare & animas iſtas in quibus ineſt ratio, ſemper procreat; ſimul ſapientiam & potentiam ſuam infinitam demonſtrans; ſimul docens, ſimul & ſemel omnia, quæque ad animas, quæque ad angelos attinent, à ſe facta eſſe, habereque vnum principium, & ſubeſſe vni Domino, quidquid vel ſenſibus vtitur, vel intelligentia ſola conſtat, vel ratione præditum eſt, vel ab his aliud eſt. Creatos verò angelos hinc item patet, ſi quis humanam naturam, quod ad animam pertinet, angelorum naturæ per cuncta ſimilem effectam conſideret. Noſtram enim procreationem ex alio ſemper atque alio ſurſum verſus intuens,

intuens, mentemque tuam ad primam mentem referens, vnum animarum, angelorumque dominum cognoſces, qui verbo angelos prius condidit, poſtea hominem fecit, & vſque nunc facit. Nihil ſuperuacuum, nec otioſum, aut inane diuina virtus & ſola operans omnia vllo modo agit: nec eſt quando dominus agere ceſſet ac deſinat, aut ab operibus aliquantum requieſcat. Animam porrò neutiquam de eſſentia ſua condidit, ſed eam (vt diuinis litteris eſt proditum) imagine ſua honorauit; tametſi eam, vt ſubſtantiam ſempiternam, & intelligentem, & à materia ſeiugatam cum Deo ſolemus comparare.

PSELLVS. Ὃ μὲν ἄναρχον τοῦτο δήπου καὶ ἀΐδιον. οὐκ εἴ τι δὲ ἀΐδιον, τοῦτο καὶ ἄναρχον. ψυχὴ γὰρ, καὶ νοῦς, καὶ ἄγγελος ἀΐδια μὲν, ὅτι καὶ ἀείζωα, οὐκ ἄναρχα δέ. πάντα γὰρ ἀπὸ πρώτου παρήχθησαν αἰτίου. *Cuius nulla origo eſt, id nimirum etiam aeternum eſt: nec tamen ſi quid aeternum eſt, id etiam ab aliquo principio ortum non eſt. Anima enim, mens, & angelus aeterna quidem ſunt: ſed principio & cauſſa non carent. Omnia ſiquidem à prima illa cauſſa vt exiſterent acceperunt.*]

Nunquam enim interit, ſeipſam ſemper mouens. In quod autem cadit interitus, id immortali naturâ non ſimile, ſed ex diametro contrarium eſt. Talis anima iam olim & ab initio producta eſt, ſubſtantia quaedam intelligentiam, & liberam voluntatem, & vitam in ſe habens, quam & corpori, quo vtitur vt inſtrumento, cui copulata & implicata eſt, dare atq; impertiri poteſt. Cuius naturã, vim, ac facultatẽ ſi è rebus externis & plurimis & diuerſis perſpicias, meritò ipſam admireris. Nam ſeu artem, ſeu ſcientiam, ſeu actionẽ, ſeu operationem, ſeu contemplationem ſpectes, ex omnibus eius immortalitatem colliges, & qualis quantaque ſit intelliges; quemadmodum in ſecunda diſputatione ſuprà docuimus. Qui enim ab initio animabus vt eſſent praebuit, ille idem aeternitate ipſas muneratus eſt: quod quidem munus cum eis in naturam verſum ſit, eo priuari nunquam poſſunt. Quot autem numero ſint animae, quamque magna eorum multitudo, hominum nemini cognitum eſt: cognitum autem & perſpectum Creatori, cui ſoli nota ſunt omnia. Qualis praeterea quamque nobilis ſit cum angelorum, tum animarum natura, etiam hoc ille idem nouit: quis enim noſſet alius?

CAPVT II.

Animas vacare prorſus corporeis accidentibus, & ſecundum ſubſtantiam nullo diſcrimine variari. In reſurrectione non beatorum corporum, nec animarum, ſed gloriæ, præmiorumque differentiam fore.

ANIMA. Aliud quæro, idque difficile, quod tamen pernoſſe volo, concupiſco & deſidero. E ſcripturis docta ſum perſpicuè, eſſe animas, vt dixiſti, à materia ſegregatas, & ratione præditas. Quæ etiam eſſentia ipſa cum angelis conueniunt, ſuntque tripartitæ, vt diſputatione ſecunda oſtenſum eſt. Habent enim iram, cupiditatem, & inprimis rationem, quæ item permanet: inſuper facultatem interiorem quintuplicem, mentem, ratiocinationem, phantaſiam, diſcretionem, quæ facultates quoque rationales appellantur. Etiam memoriam, quod maximum eſt. Aequaliter nempe hæc omnibus animabus contigerunt; non vt alia plus, alia minus obtineat: nec vt aliter illa, aliter iſta ſe in his habeat, & alia cæteris in iiſdem ſuperiore conditione ſit, alia maiorem puritatem, & præſtantius quiddam, ac potius ad res diuinas contemplandas & agendas ſortita ſit. Itaque de his, & illis ſciſcitor, num omnes inter ſe ſimili ſint facie atque viſu, an in hoc varietatibus diſcrepent. Si tamen aſpectum, & formam eis tribuere fas eſt. CARO. Hæc de corporibus noſtris, deque omnibus quæ ſenſum tangunt, dicuntur, in quibus naturaliter quædam facies, conformatio, & ſpecies, aſpectus, aduncitas, & ſimitas quædam, album, fuſcum, nigrum, paruum, magnum, tenue, craſſum reperitur. Et eſt corpus aliud puſionis, infantis, modò geniti, & aliud ſeneſcens. Sunt demum qualia & quanta corpora, vt reliqua accidentia prætermittam. Veruntamen poſt reſurrectionem è ſepulchris etiam iſta, perinde vt corpora ipſa immutabuntur, ad vnam eandemque ſpeciem redacta, & ad eandem ætatem, vt ſcriptum eſt: gloria tantùm non eadem ſingulis, ſed pro rebus in hac vita patratis tribuetur; & aliis alia brauia ſeu præmia cum menſura conferentur. In corporibus nulla prorſus differentia cernetur. In animabus autem ſimilis in præſens natura & eſt, & fuit, iam inde ab

exortu humani generis, vt è ſacra ſcriptura liquet, corporibuſque implicitæ ſunt, & vnum animal videntur. Nulla igitur eſt inter eas ſecundùm naturam diſsimilitudo: nec alia alius ſpecies: ſed communi omnibus ratione, eſſentia, & forma, & natura omnibus eadem: ſi tamen ita de ſpiritibus loqui fas eſt. Subſtantia enim non corporata quamnam craſsitudinem, & latitudinem, & diſtantiam, aut profunditatem aliquam, aut figuram, aut pondus varietatis, inſtar molis habeat? longitudo etiam, & magnitudo iis inhærent, quæ ſub ſenſum veniunt. Hæc omnia longè ab animabus abſunt. Illud, & quidem ſolùm planè ſciendum, vnamquamque congruenter operibus & moribus ſuis præmium, mercedemque relaturam: quemadmodum ſermone ſuperiore dilucidè explicatum eſt. Nam quæ bona fuerit, gloriam immenſam conſequetur: quæ mala & atra, tenebras ſortietur. Quælibet iuxta ſcopum propoſitumque ſuum, ſicut operata eſt, ita vel gaudium, & honorem, vel dolorem, & ignominiam inueniet. Anima quippe libera eſt, & quod libet hoc facit. Corporibus autem perinde vt animabus accidit. Verumenimuerò naturam animæ nemo vnquam vidit præter dominum, qui eam condidit, vt ipſe nouit.

CAPVT III.

Mirifica & multiplex inter homines tum ab anima & moribus, tum à corpore & ſenſibus diſcrepantia. Corpus ſingulorum ex quatuor elementis æqualiter conſtare.

ANIMA. Si igitur, vt docuiſti, animæ ſecundùm naturam, nihil inter ſe differunt, quæque à principio habent, & facultates recenſitas pariter æqualiterque habent, etiam in omnibus aliis ſibi reſpondere homines oportebat, quà prudentia, quà cognitione, quà ſapientia, quà ſcientia, quà pulchritudine, quà ſtatura. Anima ſiquidem viuificat, & reſtaurat, & ſuſtentat, & alit, & firmat, & continet corpus, illique obtutum nunc hilarem & iucundum, nunc triſtem moroſumque affert, & omnia hæc pro arbitratu mutat. Quod maximum atque pulcher-

pulcherrimum eſt, loquendi facultatem dat,& ambulandi & agendi, quamcunque actionem nominaueris,& vnde, & quomodo,& quando,& vbi,omnia iſta in poteſtate mentis ſunt, mens autem animæ idem eſt,quod oculus corpori Abſque his corpus iners,& mortuum quoque eſt. Ego porrò diſcrimen nimis magnum obſeruaui. Nam hic quidem homo eſt prudens & honeſtus,ille ingenium in promptu habet, alius eſt ſapientiſsimus, alius delirus, alius furioſus, alius attonitus, alius perſpicax & ſollers, alius torpidus & ingenio tardiſſimus. Rurſum in ſenſibus vidi diſsimilitudinem haud mediocrem. Nam hi acutùm cernunt, alij obtuſam habent aciem. Et quis ſatis tot diſcrimina eloquetur? Mitto guſtatum, tactionem,in quibus quanta reperiatur varietas, quis explicabit? In illis, oro, mihi differentiam multiplicem intuere. Nam vnus quidem, quanquam naturæ conſors, mutus eſt,alius vocaliſsimus. Alius genitus eſt cum voce rauca,& maleſona, alius balbus, alius impeditiore lingua, alius tardiloquus, alius exili voce. Rurſum, alius promptè ac facilè loquitur, alius eſt inſtar tintinnabuli garrulus. Alius minimè probatur, alius laudatur ab omnibus. De ſtaturis autem quid dicemus? Hic breui, ille longa, alius media ſeu iuſta. Alius pronus, alius erectus, alius gibboſus. Alius facie candida, alius nigra, alius media. Alius comatus, alius criſpus, alius depilis. Alius imberbis totus, alius promiſſa & denſa barba. Quidam pediculoſiſsimi ſunt, quidam habent pauciſsimos.

,, CHRYSOST. Κἂν γεγηρακώς τις ᾖ, κἂν νέος, κἂν δύσφωνος, κἂν ῥυθμοῦ τι-
,, νος ἄπειρος, οὐδὲν ἔγκλημα τῷ ἀνθρώπῳ. τὸ γὰρ ζητούμενον ἐνταῦθα ψυχὴ νήφουσα,
,, διεγηγερμένη διάνοια, καρδία κατανενυγμένη, λογισμὸς ἐρρωμένος, συνειδὸς κεκαθαρ-
,, μένον. ἐὰν ἔχοι τις τοιαῦτα, δύναται τῷ θεῷ ἀρέσαι. μόνον ἤτω καὶ προαίρεσις γενναία,
,, καὶ οὐδὲν ἔσται κώλυμα ἀπὸ τῶν σωματικῶν τούτων ἐλαττωμάτων. *Seu quis ſenex, ſeu*
,, *iuuenis fuerit, ſeu voce abſona, ſeu alterius cuiuſpiam concinnitatis expers, nullum*
,, *eſt crimen. Quod enim hîc requiritur, eſt anima ſobria, mens vigil, cor contritum,*
,, *animus conſtans, conſcientia pura. Hæc ſi quis habuerit, Deo placere poterit. Tan-*
,, *tum mens generoſa eſto, & ab hiſce corporeis defectibus nullum erit impedimen-*
,, *tum.*]

Alios cerno iracundos, bilioſos, & cholericos; alios manſuetos ac lenes animo & moribus. Alios imbelles, degeneres, timidos. Contrà, alios generoſos, fortes, & magnanimos. Sed finem faciamus enumerandi tot diſcrimina & diſcrepantias. Quis enim eas recenſuerit omnes, cùm ſint innumerabiles? Ne vltra quam decet ſermo extendatur. Tu me verum doce in his omnibus. Nam cum oſtenderis animas hominum eſſe æquales, tamen earum efficientiam diuer-

ſam

ſam confiteris. Nam æqualitas in corporibus aperta eſt, vtpotè quæ ex ipſis quatuor primis corporibus, & elementis, ex quibus penitus omnia concreta & coagmentata ſunt, ex calida, frigida, ſicca, humida ſubſtantia, quibus reſpondent ignis, aqua, aër, terra. Et hinc bilis atra, bilis flaua, ſanguis, phlegma illis cognata, & æqualib. æqualia.

CAPVT IV.

Duplex mundus, ſuperior & inferior. Hominem vtriuſque participem eſſe. Cuiuſque elementi binæ qualitates. Ex quatuor humoribus quinam cui elemento propter ſimiles qualitates reſpondeant: quo pacto cum iiſdem elementis & quatuor humoribus totidem anni tempora conſentiant. Qua ratione cauſſa ſuperius explicatæ varietatis, qualitatum & humorum temperationi in corpore humano debeatur. Rei illuſtrandæ paradigmata.

CARO. Etiam in his deinceps te erudiam. Duos mundos ab initio, & vtrumque ſimplici ſubſtantia conditor produxit: ſuperiorem, quem cogitatione percipimus; inferiorem, qui in ſenſus incurrit. Quæcunque autem in hoc gemino mundo ſunt, ſuperiora & inferiora, inquam, hæc quidem ex ipſis corporibus, illa incorporea condidit. Incorporea ſupernas legiones intellige, naturam materia vacantem, ſub oculos non cadentem & ſimplicem. Aſt, inferiora fecit corpora, materia videlicet conſtantia. Nec ſupra ſunt corpora, nec infra materiæ expertia. Homo autem, ô mira res, ex his ambobus concretus eſt, ex ſupernorum, inquam, intellectuali, & principe natura, & ex luto ac puluere, vnde inferiora extiterunt. Animal quoddam, corpore quidem inferum, anima verò ſuperum. In hoc igitur mundo quem ſentimus, etiam elementa perfecta, quatuor, & prima corpora è nihilo producta ſunt, ignis, aër, aqua, terra. Ignis calidus eſt & ſiccus, aër calidus & humidus, terra frigida & ſicca, aqua frigida & humida. Atram bilem terra generat & alit; eſt ſiquidem ſicca & frigida, quemadmodum eius mater terra. Phlegma debetur aquæ: nam frigidum eſt, & humidum, vt illa. Ab aëre procedit ſanguis, ſimiliter vt ille calidus, & humidus. Ignis generat flauam bilem, ambo enim ſicca & calida ſunt. Ex hiſce quatuor hominum corpora commiſta ac temperata ſunt, ex vtraque ſcilicet bile, flaua & atra, ex ſanguine, & phlegmate. Ex elementis fructus, nutrimen-

trimentorumque vis: corpora autem animalium ex humoribus quatuor. Auctoritas enim quatuor elementis, vt quibuſdam aurigis, aut ducibus magnis data eſt, quæ Deus omnium artifex præeſſe corporibus, eaque regere voluit. Quadripartitas temporum commutationes annus affert, nempe ver, æſtatem, auctumnum, hyemem. Verna tempeſtas humida eſt & calida. Aeſtiua calida & ſicca. Auctumnalis ſicca & frigida. Hyberna frigida & humida. Horum qualitatum temperamentum ediſſeram. Veruntamen diſſeram, & admodum perſpicuè in ſequentibus. Nunc quæſtionem abs te propoſitam expediamus, Deoque adiuuante fœliciter rem abſoluamus. Quatuor anni viciſsitudinibus conſtitutio quoque corporum eſt conſentanea neceſſariò. Vere augetur ſanguis, quia humidus, & calidus. Flaua bilis æſtate, quoniam ſicca eſt & calida. Atra auctumno, nam ſicca eſt & frigida: Hyeme autem phlegma, quod frigidum eſt & humidum. Cum quatuor itaque anni temporibus, vt dixi, etiam elementorum natura conſpirat. Si ergo vnum horum quæ nominaui modum exceſſerit, quando poſt commiſtionem humanorum corporum fit conceptio, huiuſmodi etiam craſis in anima ſequitur. Nam ſi vterque qualitatum binarius, calor & frigus, humor & ſiccitas probè conflatus & coëſſentiatus fuerit, quod generatur optimum temperamentum habebit. Quod ſi calidius elementum ſuperauerit, certum eſt, quod gignitur, pulchrum & fortiſsimum fore. Si frigidum, frigidius, & pigrum. Si ſiccum, acerbius, & ſubmoroſum. Si humidum, ventri deditum, & mobile. Clariſsimè igitur demonſtrauimus, creatorem ac dominum per res ab ſe effectas potentiam ſuam proportione quadam oſtendiſſe: in cœlo & aſtris, ſola & luna, in his quæ ſpiritu & vita fruuntur, in aquis, & omninò in cæteris vniuerſis. In omnibus enim partem aliquam conditor videtur. Tale eſt etiam anima, hoc, inquam, quod eſt ſecundùm imaginem Dei, inaſpectabile, & viſum adhuc nemini, quod per corpus, in quo habitat, & inſtrumenta corporis ſuas actiones exerens, inde cognoſcitur. Animum quippe, cui tributus eſt principatus, cerebrum incolentem quaſi decenter ſaginans, cum triplici eius facultate, memoria, phantaſia, & cogitatione, corpus ad voluntatem aptè moderatur, quemadmodum vniuerſam creaturam mens illa omnia operans, adminiſtrat. Rationi pro ſede cor tribuitur: iecinori agnata eſt cupiditas: riſui ſplenem ſeruire conſtat; ſpiritum pulmones vti folles excipiunt & reddunt; vrina genitalis renibus

bus innaſcitur: feruor iræ, & ardor è ſanguine circa cor bulliente exiſtit: noſcendi vis oculis eſt inſita; lingua loquendi facultatem poſsidet. Vt paucis complectar, per membra parteſque corporis vti per inſtrumenta ſuas actiones omnes exhibet. Etenim ſecundùm quam myſtionem naturam adeptum eſt corpus (eadem enim hæc iterabo) ad eandem animæ vis & opus ſeſe accommodant. Perſpicuitatis cauſſa exemplum affero. DEVS è ſuperis locis pluuia demiſſa, totam terram aqua naturâ ſimplici irrigat, aqua autem variè in omnibus arboribus, & herbis humo prodeuntibus tranſmutatur, quorum vnumquodque hanc cœleſtem aquam cùm ſuſceperit, guſtatu & per ſe planè ſimplicem, immutat, & coctam transformat, & figuram quandam, & magnitudinem, & colorem accommodat, atque admiſcet, vnde mille qualitates. In roſa quidem odor ſuauis, in ruta teter, in allio, cepis & reliquis acerrimus. In lilio color candidiſsimus, in viola purpureo ſimilis, in roſa ſubrubeus, & coccineus & albus. In aliis hyacinthinus, cæruleus, varius. Oliua profert oleum, in vite pendet vinum, in omnibus omnia ex ſola aqua naſcuntur, non ſe mutante, nec per ſemet aliam formam induente, neque in aliam ſubſtantiam migrante cum de cœlo in terras præcipitat: ſed iuxta qualitates, & mutationes eorum, à quibus recipitur ipſa quoque alterata & immutata, pro cuiuſque natura commoda & vtilis euadit; & quamuis arborem ſeu fructiferam, ſeu ſterilem nutrit: & omnem herbam agri, ſegetem & gramen, ſeu vtile, ſeu inutile educat, & producit. Nec enim quiſquam dixerit, quoniam aqua vnum quiddam eſt, etiam qualitates, & fructus omnium in vno guſtu & forma conuenire oportere, minimeque in tantam multitudinem, atque varietatem diſcerni, vt alius eſſet ſapore iucundo, alius amaro, alius aſtrictorio, alius dulci: ſed quemadmodum aqua vna eſt, ſic & iſta ſub vnum redigi. Si quis ſic ratiocinetur, eum ego nugari, menteque ac ſenſu deſtitutum puto. Talem nimirum exiſtimare animarum naturam parem. Inſeruntur corporibus, & coaleſcentes ea & alunt, & ſuſtentant, & fouent omnimodis. Qualitas autem temperamenti, qualiſcunque tandem ipſis ex elementis, & humoribus contigit, immutabilis eſt, ſiue quis calidam, ſiue frigidam, ſiue ſiccam, ſiue humidam naturam obtinuit: & ſiue quæpiam fœmina bene, ſiue malè oleat: ſiue candida, ſiue fuſca ſit: ſiue deformiſsima ſiue formoſiſsima.

Non enim animarum, ſed elementorum iuxta diuinam planè prouidentiam eſt iſta coagmentatio. Si igitur corpus bonam ex elementis temperationem habuerit, & quæ illi proportione reſpondet, ex ſanguine, phlegmate, ex vtraque bile commiſtio æqua fuerit qualitateque & quantitate conſenſerint, & concordarint, tum pugna & ſeditio elementis nulla intercedit, nec ob aliquam exſuperantiam aut nimietatem in ſe mutuò inſurgunt; ſed pacem, & ordinem, & fœdera conſeruant, corroboranturque & florent, & corpus ſenſus ſuos bene firmos ac ſanos poſsidet: inſuper & cerebrum, vnde vita perſpicuè pendet; benè habet:—

›› Isidorvs. Ἀπὸ πλεονεξίας αἱ δυσκρασίαι γίνονται. ὅταν γὰρ τῆς οἰ-
›› κείας ὅρους ἀφέντα τὰ στοιχεῖα ὑπερόρια γίνηται, καὶ εἰς ἀμετρίαν ἐκπέσῃ, τότε οἱ νόσοι
›› καὶ χαλεποὶ συμβαίνουσι θάνατοι. *Ab immodico intemperies fit. Quando enim e-*
›› *lementa terminos ſuos egrediuntur, tunc morbi, & diræ mortes eueniunt.*]

— nec quidquam morbi, aut obſtaculi, aut nocumenti ſentitur: ſed maxima in tranquillitate corpus verſatur, ſimulque & vnà cum ipſis viſcerum primaria, cor, iecur, ſtomachus, lien. Et tunc anima facilè corpus iſtuc tolerat, functionesque ſuas citra impedimentum, optimè aliis iſta ſequentibus repræſentat. Nam reſpiratio valet, & præcordia ſunt incolumia, moresque ad bonam habitudinem, & elegantiam eniteſcunt: quanquam ex anima, qua parte cum brutis nobis communis eſt, procedant. Quod ſi corpus quocunque modo ægrum fuerit, non poterit illud anima reſtituere. Rei declarandæ paradigma in medium adducam. Sol eſt pulcher, & lucet velut ſponſus, velut gigas ſpecioſus. Eius
Pſalm.18. functio duplex eſt, lucere & calefacere. Sunt etiam in terris diuerſa, campi, valles, ſcopuli, colles, ſyluæ, pagi, quæ omnia radiis ſuis ferit ac perfundit. Sed vbi ſerenus ac purus eſt aër, in his nullo impedimento lumen radiorum iacit. Vbi verò nebulæ, & aëreæ caligines ſe diffuderunt, denſiorque nubes ſe interponit, non lucet purùm ſol, neque calefacit, ſed tenuiſsimè, & opaco lumine. Non tamen tunc culpandus eſt ſol, quoniam non ipſe, ſed nubes, & aërea craſsities quæ prohibent, in cauſſa ſunt. Corpus exiſtima eſſe mundum: vicos, & vrbes eſſe ſenſus, & membra, & partes corporis, & viſcera: nebulam ſymptomata corporum intellige: lucidiſsimum ſolem facultates animæ: in his namque paradigma ſolis accipiendum eſt. Si qua enim ſerena ſanitas è corporibus elucet, & membrum aliquod externum, aut pars interior ab aliquo ſymptomate neutiquam læditur, inde corpus belliſsimè

liſsimè ſeſe habet. In quibus ſecus fit, ibi etiã animæ facultates feriantur. Atque hinc eſt, quòd homines tantùm inuicem diſcrepant. Alius intelligentia iners eſt, alius perſpicax & ſollers. Alius bene moratus, alius improbus, alius ſuperbus. Alius fidelis, alius maleuolus. Horum cauſſam eſſe Deum caue putes, quod quibuſdã ſcilicet optimè velit, & optima illis donet, omniq; bonitate & gratia eos cumulet: quibuſdã verò velit peſsimè, eoſq; contrario modo tractet. Quomodo enim & iſta iudicij prouidentiæq; diuinæ ſunt? à qua ſi potiſsimùm ſuſpenſa eſſent, non æqua, ſed iniqua manifeſtè foret. Sed hæc blaſphemia etiam verbis tenus abſit. Sicut enim ſoli dedit quæcunque dedit, celeritatem, magnitudinem, pulchritudinem, ſplendorem; & terræ ſimiliter fœcunditatem: arboribus ferre fructus: frumento, & aliis, vnicuique functionem propriam, & naturam; ſic iſtis quatuor elementis auctoritatem & imperium corporis vniuersè, eiusque incrementum, immutationem, finem ac diſſolutionem commiſit, iudicio & ratione quam ipſe probè nouit. Nihil enim rerum omnium Domino non ante intellectum & prouiſum eſt; qui creaturarum parens & gubernator eſt, & omnibus ex omni parte adeſt; & omnia permeat quæcunque fecit: & facere, & conſeruare, & adminiſtrare, & portare non ceſſat. Si igitur bonus, & ſapiens eſt, vt eſt, quà bonus, omnia producit, vt bonũ ſeſe diffundat, notumq; & manifeſtum fiat. Quà ſapiens, prouidẽtiam & curam operum ſuorum oſtendit. Nam ſi nihil prouideret, quomodo ſapiens eſſet? Nec bonus, nec ſapiens, ſi non prouideret, rebusque conſuleret. Igitur apud omnes, & præ omnibus certum eſt, opificem rerum omnibus quę fabricatus eſt proſpicere, & prouidere. Cognitio autem futurorum in nobis non eſt, qui vix ſola quæ ante pedes ſunt, videre poſſumus, & vix memoriam & iudicium præteritorum habemus. Conditor autem, vt Deus, & illa præcognoſcit, & iuſtus iudex, & arbiter rectus eſt, *etſi iudicia diuina abyſſus multa.* Quomodo igitur ſe, *Pſal. 35.* quod ad temperamentum attinet, corpus humanum habeat, & quomodo effector ſummus elementis regnum impertiuerit, & quînam ſecundùm qualitatem, & temperamentum tale, quali corpora conſtituta & coagmentata ſunt, vt diximus, etiam animæ facultas & actio pateſcat, quomodo propter hæc ſymptomata eueniant, & è contrario corpora bene valeant, & in melius proficiant, ſatis noſtra diſputatione oſtenſum eſt. Nihilominus paradigmate vtar, quo dicta plus lucis accipiant. Terram aiunt cuniculoſam & cauatam, & habere quaſdam venas, per quas ab imo, & occultè riuos aquarum emittat, ex quibus & fontes terram irrigent. Per hos meatus aqua marina colatur, & curſu peregrino dulceſcit, & in qualitatem naturamque metallorum, &

fontanam,ac putealem aquam mutatur. Quod ſi terra,ex qua puteus ſcaturiendo erumpit,amara,aut dulcis fuerit, aqua marina illā ipſam qualitatem,ſi ita contigerit,ſeu acerbitatem,aut amaritiem videlicet, ſeu dulcedinem in ſe capeſsit. Sin autem meatus ſit anguſtus, dum ipſo fluxu luctatur, vehementius, caleſcit, & vt eſt conſentaneum, ferueſcit.Et in his iam dictis rurſum perſpecta eſt illa nouitas,quomodo cum vna quidem ſit aquarum natura, in aliis tamen aliud fiat, naturamque mutet, in qualitatem, in metallum, & habitum ſingulorum. Perinde corpora ſe habent.Animarum verò natura non eſt alia atque alia, ſed æqualis omnium. Aſt in corporibus minimè inuenitur identitas ſecundum habitum: ſed alia alij craſis,vt oſtenſum eſt; ſiquidem nec in omnibus æqualiter elemēta miſta & temperata ſunt:ſed vnumquodque vt ſortitum eſt ſuam craſin, ita ad ſe animam quoque inflectit. Itaque ſiue quis grauiter iraſci ſolet,& eſt ſuperbus, ſiue manſuetus,ſiue tranquillus, ſiue moderatus, ſiue ſcortator, ſiue laſciuus, ſiue caſtus & probus, ſiue magnanimus natura, ſiue contra ſordidus, aut potator,aut ebrioſus,aut ſobrius, & aquæ potor, aut vigilans, aut celeripes, aut tardigradus, aut docilis, aut indocilis, aut rudis, non eſt culpanda anima, quemadmodum oratio noſtra ſigillatim per omnia diſſeruit; ſed potius corpus, & temperamentum, quod illi contigit; propter quod non ſolent ſibi ſimilari corpora, inquam, nec eſſe affinia in quacunque re,ad ſcientiam aut ſapientiam,ad habitum aut naturam,ad aſpectum,aut figuram,ad venuſtatem formæ. Cùm enim ex elementis varia temperatio exiſtat, neceſſe eſt & corpora in his variè ſe habere,& animam ad ſe violenter trahere.Satis,vt arbitror, res probata eſt, & pluribus nihil eſt opus. Illud dictu valde eſt neceſſarium. Si vnus quidam character in omnibus hominibus eſſet, multa in genere humano ſequeretur confuſio, & caligo & nox vitam occupatam teneret. Quibus enim indiciis, aut qualibus è ſignis peregrinus ab amico & familiari internoſceretur? inimiciſsimum, ab optimo quæ notæ diſcernerent? Non filij parentes,nec contra parentes filios,deficientibus huiuſmodi ſymbolis agnoſcerent. Cæterùm ſapiens architectus,& largitor ſapientiæ, plaſmati ad notitiam mutuam conſuluit, dum diuerſa indicia hominibus & ex forma ſiue lineamentis, & non minus ex voce quaſi infudit. Præterea diuinam prouidentiam in tanta facierum diuerſitate admirari digniſsimum eſt. Hinc namque animus occaſionem indagandæ veritatis, erroriſque vitandi inueniet. Quod ſi hæc tibi non ſatis perſuadentur, fidelem, & à Deo afflatum teſtem dabo, nomine Anaſtaſium, cognomento Sinaïten, docentem & ſcribentem clarè ſuper his,quæ interrogatus fuerat.Sed audi verba.

INTERROGATIO. Vnde ab ipſo ortu & teneris annis quidam inueniuntur natura mites, alij iracundi, alij iniurioſi, alij voluptati obſcœnæ dediti, alij oſores mulierum, & continentes? Rurſum quidam natura facilè ſua communicant, alij ſunt inhumani, nihil aliis de ſuo impertientes. Et quidam cernuntur ingenioſiſsimi, & ad excogitandum feliciſsimi, alij tardi & ſtupidi. RESPONSIO. Non eſt Deus, qui hunc quidem pudicum, alium Veneris ſatellitem, iſtum iracundum, hunc lenem facit: ſed genera quædam ſunt, & temperamenta regionum, locorum, elementorum, aërisque & temporum mutationes, ac viciſsitudines. Deinde & naturales cauſſæ, elementorum in corpore temperationem comitantes. Per quas cauſſas, & mutationes, & tempora, & temperamenta, ſi, qua hora infans concipitur, calidum elementum exſuperauerit, quod generatur, calidę conſtitutionis, ad vim & iniuriam propenſum erit, & libenter ſua communicabit. Sin frigidum elementum redundauerit, quod naſcitur, ex frigidiore conſtitutione ad caſtitatem cernetur propenſius. Idem de aliis duobus elementis dicendum. Secundum ſiccum namq; ſolitarij, moroſi, ſobrij, & acres: ſecundùm humidum pigri & caducis, atque gulæ dediti, & immundi fiunt. Nam ſi dixerimus diuino iuſſu ac voluntate generari hunc quidem improbum, illum probum, non rectè dicemus, vel potius Deum maledicto inceſſemus. Nec iſtuc ſolùm, ſed etiam homo caſtus non inuenietur dignus mercede; Deus enim caſtum fecit. Nec libidinoſus, & iracundus merebuntur pœnam, à Deo ſcilicet tales facti. Itaque hæc ex natura emanant, prudentia, temperantia, & reliqua, quæ à ſanctis Patribus non virtutes, ſed naturales eminentiæ & excellentiæ nominantur, quę Græcorum aſtrologi ſtultè ſapientes ſecundùm motionem, curſumque ſiderum hominibus contingere fabulati ſunt. Fidei faciendæ ſatis eſto Sinaita: an adhuc præſtantiorem deſideras? ANIMA. Sufficit, & recipio, & eo ſum contenta, & eum veneror. Non opus mihi eſt longiore oratione, nec pluribus teſtimoniis, cum hæc dicat teſteturque multis æquiparandus, pluribus anteferendus Athanaſius. Nec illi quiſquam criminator hunc honorem inuidebit.

CAPVT

CAPVT V.

In voce humana ſumma varietas ac diſsimilitudo, comparatione quadam lyræ, ſeu inſtrumenti muſici ante oculos ponitur.

DE cætero, age de natura vocis, & quomodo nec ipſa æqualiter hominibus, ſed aliis alia data ſit, multimoda & varia, & ad varium vſum, ad loquendum, ad cantandum, ad intendendum, & remittendum. CARO. In hoc quoque morem geram tibi. Si organon ſeu inſtrumentum muſicum bene aptum, & ligno pulcherrimo, quod putreſcere nequit, nec marcidum quid, nec aliud vitium habente, ab aliquo excellentiſsimo artifice fabre fieri contigerit, & glutinatum, & compactum, & vndique perfectum abſolutumque fuerit, & æquales chordas, nec aſperas, vt Eumolpi, & has congruenti proportione, ſecundum intenſionem & remiſsionem temperatas, & in neruis æqualibus momentum, & tractum, & alia habuerit, tunc melos muſicum, beneque numeroſum, & melos planè harmonicum artificij muſici reddit. Si autem chordæ æquales illi non contigerint; ſed alia tenuis, alia gracilis, alia craſsior ſit, & alia ordinem non habeat, ſimiliterque nec ratione intendatur aut remittatur, & lignum etiam ſit ſemiputridum, muſicus quamuis arte plurimum excellat, egregium melos, & omnimodis concinnum formare non poteſt. Nam ſi deſit cithara, & lignum, & illius apta compoſitio, & ars conueniens, artificem peritiam ſuam oſtendere impoſſibile eſt penitus. Non enim bonum & ſuauem ſonum lyra remittet. Et quamuis digitorum artificioſa mobilitate valeat, qua chordas omnes vel momento percurrat, non tamē numeroſiſsimum melos edet, lyra non bene, vt dicebamus, concinnata. Eadem prorſus de voce cogites velim. Os iſtuc tuum organum, ſeu inſtrumentum arbitrare, & dici patiare. Nerui & chordæ tibi ſint quæ vocem quaſi rotundam, & tornatilem efficiunt, dentes, labia, fauces, collum, lingua, vnde ſonus melicus exiſtit. Ad hæc pectus, pulmo, muſculi. Iſta namque inſtrumentorum inſtar ſermoni ſubſeruiunt. Inſuper aſpera arteria maxima: in quibus omnibus differentiam videbis ſummam. Quidam eſt lingua verſatili ac ſubtenui: alius tarda & carnoſa. Alius dentes maiores, alius minores gerit. Alius eſt dentatus, alius edentulus. Huic ſunt interiores, illi foras prominent. Alius lato collo, alius anguſto. Iam gurgulionis, faucium labiorum conſtitutionem variam ac diſsimilem quis conſequatur? Nec verò in ipſo ore æqualitatem cernas. Ex omnium igitur horum diuerſitate, veluti fidium pulſum & ſonum,

vocem

vocem quoque inæqualem reddi, aliamq; ab alia permultum diſtare contingit. Nec verò iſta ab anima, tanquam à cauſſa: ſed à tabernaculo iſto, eiusq; membris & partibus pendent. Os, lyram dico, chordas iterum appello guttur, fauces, collum, linguam, dentes, labra; hæc enim cum ad alia, tum ad vocem, cantum, & ſermonem efficiendum requiruntur. Anima verò, & in ea animus ipſe, eſt artifex. Ego porrò etiam nares vocem adiuuare video, ſine quibus nemo ρ, & μ literas pronuntiare poteſt. Quanquam omnia lyræ & chordis, vti vocem, & vocis ſonum perficientibus attribuimus, cum tamen non totum penes illa ſit. Etenim alia lyra ex ligno ſalicis conficitur, alia è ficulneo, alia querno, ſi voles, & alia inſtrumenta muſica fortè ex aliis, tum ex aſtringentibus, & duris, tum ex marcidis & laxis. Et quomodo quis tandem ex tot, & natura diuerſis lignis concordem modulationem eliciet? Nam etſi omnes chordas inter ſe æquales faciam, tamē earum contentio & temperatio melos & ſonum variant. Idem de ore iſto ad eandem rationem cogitā. Aliud alterius poſitionis, & figuræ, & menſuræ eſt, & hinc anima, vt deberet, ſimilem per id ſonum exprimere, & aptare nequit. Nec ideo accuſandæ ſunt animæ, ſed ora potius, & omnia organa, per quæ vocis ſonitus venit. Quod ſi etiam hæc ſubdiuidamus, & quale quali in his ad ſonum vocis, & ſonum melicum impedimento ſit oſtendamus, & cur hic quidem blæſus, ille balbus ſit doceamus, ad alias demum, & naturales, & artificioſas demonſtrationes ex libris Galenicis petitas, deuoluemur, & in longitudinem immenſam excreſcet oratio, ſi omnia exactè, & minutim velimus pertractare. Plura igitur præteriens, hoc ſolum dicam, ſapiens occaſionem nactus, ſapientior euadet; & ſola interrogatio ſapientis ſtultum erudit. *Prouerb. 9.*

CAPVT VI.

Tametſi homo propter temperamentum ad vitia feratur, poſſe tamen ſeſe corrigere, ſi velit, Deo opitulante. Supra naturæ curſum & ordinem diuina quædam opera. Dei beneficia deſiderantibus quid præſtandum ſit.

ANIMA. Intellexi probè, quæ diſſeruiſti. Quam enim miſtionem corpora habuerint ex elementis, iuxta illam animam quoque gubernari atque regi. Itaque non aliam affectionem & motionem corporibus à conditore inditam concedemus, quam quę ex eorum temperamento promanat, naturamque per ſe ſua ad iſtam elementorum coagmentationem dirigere,

gere,& accommodare, à qua omnia deducuntur,& prudentia & oratio,& ſeu quis natura valde iracundus, ſeu ſtolidus,ſeu inaffabilis,ſeu inuidus,ſeu libidinoſus,ſeu ſceleſtiſsimus,ſeu impudens inſtar canis, in venerem pronus, fatuus, attonitus, delirus, immitis, durus, ſubamarus animi ſit.Rurſum iſtorum contraria naturæ, & temperamento elementorum adſcribemus. Improbos autem & conſceleratos an ab improba & ſtolida mente tales eſſe aſſeremus:nec in his quę diximus, prouidentiæ iudicium, nec elementorum miſtionem accuſabimus? Num igitur hi qui ad deteriora feruntur, peiora melioribus mutare poſſunt? CAR O. Etiam poſſunt,& mutant.Verùm ſi mens ſecundùm rationem iudicet, ſecum agitando, feruenterque cupiendo meliora & omnia demum,in quibus natura verſatur optimè. Si mens,& illa alia hæc iudicauerint,vt dixi, adiuuante deſuper diuino auxilio, deteriora in meliora, & facillimè conuertentur. Ex his quæ præſtantiora, & diuina, & ſuperna, & quæ à dæmonibus ſint, vt illa quidem recipiantur,hæc contra reiiciantur,& quæ conſcientiæ, quæ ſimplicis cogitationis, perfectorum eſt,mihi crede,vt oportet,diſcernere ac diiudicare, & prudentia valentium in omnibus, vt iudicent rectiſsimè, penitusq́;omnia perſpiciant. Quæ autem admirationem ſuperant, iam dicenda ſunt: in quibus natura, & elementorum miſtio eſt inefficax, conditor autem naturæ rationibus agit, quibus nouit,vtpote ſolus & Dominus & omnipotens,& omnium cauſſa,& omniũ adminiſtrator. Supergreditur enim naturæ ordinem & terminos eius, æquus & benignus quibus illi placuerit;& ſolus præualet,& omnia omnino poteſt, & omnia conuertit,& affectus turbulentos coërcet,& omnẽ habitum vitioſum diſſoluit,facitque mirabilia,naturas permutat, omnia apud omnes ſolo verbo conficit in generationibus generationum vſque ad conſummationem ſæculi. Ad hæc igitur mirabilia aperienda, & ediſſeréda accedo, quibus natura ipſa cum ordine ac modo ſuo victa ſuccubuit. Mulier tamdiu concipit, quamdiu menſes ſanguinum conſuetos patitur. Qui vbi deſierint, fœtu amplius non grauidatur. Veruntamen, Deo iubente, plurimæ etiam præter naturam gerunt vterum & pariunt, anus, & ſteriles, vt Sara Iſaac, & Anna Deiparam, æui matura Elizabeth,cui à gratia nomen,Ioannem præcurſorem.Huiuſmodi alias non paucas omni ſæculo quiſpiam inuenerit. Generationem Verbi ex intacta puella libens ſilebo,cum ſit inexplicabilis. Sileboetiam prodigia,miraculorumq́ue copiam,quæ ſupra naturæ vires in mutis,cæcis,& aliis calamitoſis Dominus ipſe miraculorum,viis & modis ſibi notis perpetrare conſueuit. Samſonem quoq; generoſum ac fortem reddidit. Ioſeph ea formæ præſtantia, qua olim Adamum illuſtra-

illuſtrauit. Salomoni ſapientiæ faſtigium & amplitudinem donauit.
Græcos ad rerum pulcherrimarum cognitionem erudiuit, vt libros,
ceu inſtrumenta conſcriberent, artis ac ſapientiæ plenos, Grammati-
cæ, Rhetoricæ, Medicinæ, & aliarum facultatum, & auguſtæ philoſo-
phiæ, omniumque principis. Sed quid ego moror tibi inſigniora &
meliora referre? In tertium cœlum, ô rem admirandam, Paulum ra- *2.Cor.12.*
puit. Philippum improuiſo Gaza abreptum, in Azotum dicto citius *Actor.8.*
abduxit. Abacuc ſublimem per aëra Babylonem portauit, & meſſo- *Daniel.14.*
ribus poſtea eodem die reſtituit. Enochum, & Zelotum Thesbiten, de *Geneſ.5.*
terra in cœlum ſubuectos, & viuentes prætermitto. In quibus nec na- *4 Reg.2.*
tura, nec elementorum miſtio, nec aliud ſimile quippiam valuit: quis
enim id dicere audeat? Sed Verbum, quod omnia facit, & immutat.

BASILIVS. *Οὐ δύναται ἄνθρωπος ἀφ' ἑαυτοῦ λαμβάνειν οὐδὲν, ἐὰν μὴ ᾖ δεδομέ-* "
νον ἄνωθεν αὐτῷ. τί γὰρ ἔχεις, ὃ οὐκ ἔλαβες; θεοῦ τὸ δῶρον, οὐκ ἐξ ἔργων ἡμῶν, ἵνα μήτις καυ- "
χήσηται. Non poteſt homo à ſemetipſo accipere quidquam, niſi ei datum fuerit deſu- "
per. Quid enim habes, quod non accepiſti? & Dei donum eſt, non ex " *1.Cor.4.*
operibus noſtris, ne quis glorietur.] " *Epheſ.2.*

Vt inde diſcamus, & cognoſcamus imperium & magnitudinem
poteſtatis eius in omnibus; ne quis dicat fictori ſuo, quare me ſic fin-
gis? Figulus lutea vtens ſubſtantia, per figlinam de ea fingit quod lu- *Eſaia 29.*
bet, aliud quidem vas in honorem, aliud in contumeliam. Verunta- *Rom.9.*
men ad demonſtrandam ſapientiam, & artem omnia.

CHRYSOST. *Μὴ εἰς δημιουργίας λόγον νόμιζε ταῦτα εἰρῆσθαι, μηδὲ εἰς γνώμης* "
ἀνάγκην, ἀλλ' εἰς οἰκονομιῶν ἐξουσίαν, καὶ διαφοράν. Ne propter fabricationis rationem; "
néue propter neceſsitatem voluntatis: ſed propter libertatem, & differentiam œco- "
nomiæ iſtæc dicta arbitrere.] "

Eloquar quod eſt mirabilius, vt amplius obſtupeſcas. Veneran-
dum animal, & præſtantiſsimum homo eſt, vt docuimus; à Chriſto
enim nomen ducimus, & ad regnum cœlorum vocati ſumus. Quin
etiam donum aliud maius accepimus. Nam ſi quis peccata animo, &
corpore admiſſa abſterſerit, & pro eo ac decet ſordes ſuas eluerit, in
laboribus, in religioſis exercitationibus, in lachrymis, in gemitibus,
iterum diuinarum illuſtrationum diuerſorium euadit. Spiritus do-
cet omnia. Si illiteratos acceperit, ſapientes efficit. Si Paſtores, Pro-
phetas, pſaltes ac reges reddit. Ad perfectionem actionis & contem-
plationis euehit. Quod ſi rurſum homines, vt dixit ipſe, inhabitarit,
gratiamque ac lumen ſuum iis impertiuerit, cœleſti & diuina ecſtaſi
alterantur, vt ſcribit Climacus, ſpiritualium diuinarumque rerum
ſapientiſsimus. Nam ſi cuipiam diuina ſpiritus gratia quantumcun-
que gratiæ, vt ipſa volet, aſpirauerit in eo ſtupenda, & opinionem
ſuperantia fiunt, in quibus Verbum, & redemptio, & liberatio pa-

tent. Spirat etenim quibus, & quando, & vbi vult; id quod ſecunda diſputatione, vt puto, percepiſti. Hinc paſsiones omnes quæ in corde locum alienum temerè occuparunt, exterminantur.

„ BASILIVS. *Οὐ δεῖ σιωπᾷν τὰς τοῦ θεοῦ εὐεργεσίας, ἀλλ' εὐχαριστεῖν ἐπ' αὐταῖς πάντοτε. ὅτι τὴν ἐπιθυμίαν μαραίνει, καὶ τὸν θυμὸν ἡμεροῖ, τὸν νοῦν δὲ πτεροῖ, καὶ πρὸς θεὸν ἐκδημεῖ. καὶ οὐκ ἔτι κατὰ φύσιν, ἀλλ' ὑπὲρ φύσιν ἐνεργεῖ ὁ τοιοῦτος. ᾧ γὰρ ἐνοικήσει ὁ τοῦ θεοῦ λόγος διὰ καθάρσεως, τελειοῖ μὲν ἐν αὐτῷ τὴν καθαρότητα, τὸν δὲ θάνατον, ἤγουν τὰ πάθη, εἰς τέλος ἀπονεκροῖ. Non ſunt tacenda Dei beneficia, ſed ob ea gratiæ agendæ ſemper: quòd cupiditatem debilitat, iram in manſuetudinem vertit, mentem tanquam alis ſubuehit, vnde & ad Deum ab his rebus abit: nec iam talis ſecundùm, ſed ſupra naturam operatur. Quem enim Dei Verbum per purgationem inhabitat, in eo puritatem conſummat, mortemq́ue, id eſt, affectiones vitioſas tandem occidit.*]

Mens autem purgatione eleuata, ad Deum currit. Non tamen puritatem iſtam, & beneficia Deus omnibus perinde largitur, quibus largitur. Cuique enim pro portione gratiam præbet, pro menſura purgationis, & fructu, ſeu probitate operum, ſecundum plus & minus, ſecundùm partem ad totum, ſecundùm captum, & munditiam vaſis & domus.

„ ISIDORVS. *Εἰ γὰρ καὶ χάρις ἐστὶ, ἀλλ' οὐχ ἁπλῶς ἔγκειται, ἀλλὰ τὰ μέτρα παρὰ τῶν δεχομένων λαμβάνουσα, τοσοῦτον ἐπιρρεῖ, ὅσον ἂν εὑρίσκῃ σκεῦος πίστεως αὐτῇ προσενεχθέν. εἰ γὰρ μὴ τὰ παρ' ἡμῶν πρῶτον ἐπεζήτει, πᾶσα ἂν ἐπέπτη· ἐπειδὴ δὲ τὴν προαίρεσιν ἐξετάζει, οὕτως καὶ πλεονάζει, ὡς καὶ ἐπὶ τοῦ ἀριστέως Παύλου, σκεῦος ἐκλογῆς μὲν ἔφησεν ὅτι γενήσεται. καὶ τοῖς μὲν ἐπιφοιτᾷ, καὶ παραμένει, τῶν δὲ ἀποφοιτᾷ, εἰς δὲ τοὺς οὐδὲ τὴν ἀρχὴν καθίεται. διὸ χρὴ καὶ τὰ παρ' ἡμῶν εἰσφέρειν. οὐ γὰρ ἂν ἄλλως ταύτης ἐπιτευξόμεθα. Quanquam enim gratia eſt, nec tamen ſimpliciter ineſt, ſed menſuram ab adipiſcentibus eam accipit. Tantum influit, quantum ſibi vas fidei exhibitum inuenerit. Nam ſi non prius officium noſtrum requireretur, tota ſuperuolaret. Quia verò voluntatem explorat, adeo quoque abundat, vt etiam de ſtrenuo milite Paulo dicat, eum vas electionis fore. Et in alios quidem venit, ac manet; ab aliis diſcedit: in quoſdam prorſus non demittitur. Quare etiam quod in nobis eſt, conferre debemus, alioqui eam non adipiſcemur.*] *Actor. 9.*

Quo res intelligatur clarius, ſimilitudinem ſubiiciam. Quemadmodum enim vter aqua, aut vas muſto ad ſummum marginem repletum, non poteſt quippiam extrinſecum, præterquam ſpiritum ſiue aërem recipere: vbi autem aliquid de iſta plenitudine defuderis, ſeu multum, ſeu modicum, quatenus depletur, eatenus aër ad locum vacuum æquabiliter replendum ſe infert, prorſus iiſdem dimenſionibus, vt inane in rebus ne detur. Sic iſta, de quibus eſt ſermo, animo concipe. Vtrem homines interpretare; aquam perturbationum fluxum, in cordibus humanis, inquam, fluentes affectus. Quantum igitur

tur

tur de iſto fluxu per lacrymas, per luctus, per ſtudioſas actiones exhauſerimus, tantum viciſsim gratiæ influxum recipiemus. Quod ſi nos intus denuò non purgauerimus, non poterit in nos gratia deriuari, quod ex argumentis allatis fit perſpicuum. Quod enim vnguentum putrido receptaculo credatur? Paulus os domini, rurſum ſcripſit, aliis aliud chariſma, & donum à Deo contigiſſe. In vnumquemque pro fide & moribus, cum menſura & ratione chariſma effunditur. In hunc gratia ſermonum, in alium prophetiæ, in alium poteſtas ſignorum, in alium gratia curationum. Vnus quidem ſpiritus eſt, non autem pares gratiæ, nec paria dona:— 1.Cor. 12.

Basilivs. Τὸ μὲν πνεῦμα ἕν, τὰ χαρίσματα δὲ οὐκ ἴσα, ὅτι μηδὲ τὰ δοχεῖα τοῦ πνεύματος, ἀλλὰ κατὰ τὴν ἀναλογίαν τῆς πίστεως ἑκάστῳ δίδοται παρὰ θεοῦ τὰ χαρίσματα πρὸς τὸ συμφέρον, κἂν ὁ μὲν πλέον, ὁ δὲ ἔλαττον ἔχῃ. ἕκαστος γὰρ κατὰ ἀναλογίαν τῆς ἐν αὐτῷ πίστεως φανερουμένης ἔχει τοῦ πνεύματος τὴν ἐνέργειαν. ὥστε ταμίας ὑπάρχει τῆς χάριτος ἕκαστος ἑαυτοῦ, ἐφ' ἑαυτῷ κειμένης τῆς δεκτικῆς τῶν ἀγαθῶν διαθέσεως, καὶ οὔποτ' ἄν τις τῶν εὐφρονούντων φθονήσειεν εὐδοκιμοῦντι τῷ πέλας. *Spiritus quidem vnus eſt, chariſmata autem ideo paria non ſunt, quia nec receptacula ſpiritus æqualia ſunt: ſed ſecundùm proportionem fidei in vnumquemque à Deo dona, ad eius vtilitatem conferuntur, ſiue in hunc plura, ſiue in illum pauciora. Quilibet ſiquidem iuxta proportionem fidei in ipſo apparentis operationem, & efficientiam ſpiritus ſortitur. Quocirca vnuſquiſque gratiæ ſuæ diſpenſator eſt, quando in ipſo affectio, quæ ad bona ſuſcipienda requiritur, eſt poſita: nec vnquam prudens aliquis proximo ob id inſigni & ſpectato inuidebit.*]

—ſed minora & maiora. Nam ſi fortè receptacula affuerint inæqualia, quomodo diuina munera paria & æqualia eſſe poterunt? Ad menſuram igitur fidei, & præſertim ad vtilitatem, etiam ſpiritus efficientia manifeſtatur, & bona ſuppeditat, & mala remouet, quantumque vult, ſuper iis requieſcit, ſupra naturæ leges, & omnes elementorum craſes. Qui enim per opera ex virtute profecta purgati nondum ſunt, his ad meliora pro deteriorum defluxu inſerenda elementaria temperatio non ſuffecerit. Atque hæc, vt exiſtimo, tibi quantum ſatis eſt declarauimus. Nobis autem ab initio diuina ratione præditis, etiam illud agnatum, & natura datum eſt, dominos eſſe eorum quæ in actione verſantur, vt libera voluntate præditis, intelligentiaque & facultate actionis pulcherrimè ornatis. Quod ſi improbi ſimus, etiam hoc noſtræ voluntatis eſt. Nam & voluntate & conſilio, non à natura, quod abſit, vitium procedit; caue ſecus cogites. Non eſt ſcelerum quaſi lena, & cauſſa natura: ſed ea affectio, & habitus voluntatis pariunt. Habitus autem doceri poteſt, naturæ neutiquam inſitus. 1.Cor. 12.

» Isidorus. Εἰ γὰρ ἔστι μαθεῖν τὰ κακὰ, ἔνι λοιπὸν καὶ ἀπομαθεῖν ὅτε θελήσω-
» μεν. οὐ γὰρ κατὰ φύσιν εἰσὶν, ἀλλὰ κατὰ προαίρεσιν. ἡ γὰρ φύσις ἡ ἀνθρωπεία οὔτε
» ἀνεπίδεκτος ἐστι κακοῦ, οὔτε φυσικῶς κέκτηται τὰ κακὰ, ἀλλὰ γνώμῃ ταῦτα προσιεμένη,
» τὴν τῶν καλῶν ὑπομένει ἀπόπτωσιν. *Si namque poſſumus mala & vitia diſcere, v-*
» *tique etiam dediſcere poſſumus, cùm voluerimus; quandoquidem haud naturalia,*
» *ſed voluntaria ſunt. Natura quippe humana nec vitia & peccata non ſuſcipit, nec*
» *ea ex ſe continet: verum liberè illa admittens, bonis, quibus frui poterat, ſeſe*
» *priuat.*]

» Gregorius Theologus. Τῶν ἀρετῶν αἱ μέν εἰσι φυσικαὶ, αἱ δὲ ἠ-
» θικαὶ, αἱ δὲ διδακτικαί. καὶ φυσικαὶ μέν εἰσιν οἷον αἱ ἀπὸ κράσεως ἐνυπάρχουσαι, οἷον στρα-
» τιώτης θερμὸς ὑπάρχων, τῇ κράσει ἀνδρίζεται μὲν ἐπὶ πράξεως· ἀκόλαστος δὲ τυχὸν
» καὶ λάγνος ἐστίν. ἢ τοὐναντίον, τῇ κράσει ψυχρὸς ὑπάρχων, σώφρων ἐστὶ, δειλὸς δὲ κα-
» τὰ τὰς μάχας καὶ ἄτολμος. ἠθικαὶ δέ εἰσι ἀρεταὶ, ὅταν τις δεσπότης ἀνδράποδον ἐθίσῃ
» σωφρόνως ζῆν καὶ δικαίως, μὴ τοὺς λόγους αὐτὸ διδάξας σωφροσύνης, ἢ δικαιοσύνης,
» ἀλλ' ἁπλῶς οὕτω ζῆν αὐτὸ διδάξας. αὗται δὲ φυσικαί τε καὶ ἠθικαὶ ἀρεταὶ οὐκ εἰώ-
» θασιν ἀλλήλαις συνδιατρίβειν, διεζευγμέναι γὰρ ἀλλήλων εἰσίν. αἱ μὲν διδακτι-
» καὶ, ἐπειδὴ μετὰ λόγου ταύτας ἐξασκοῦμεν, ἀλλήλαις ἀεὶ συνδιατρίβουσιν. εἰσὶ δὲ καὶ
» περιστατικαὶ ἀρεταὶ, ὅταν μὴ ἑκουσίᾳ γνώμῃ τῷ ἀγαθῷ τις βούλεται προσελθεῖν, ὡς
» ὁ Παῦλος, καὶ ὁ λῃστὴς, καὶ ὁ Μανασσῆς. τῶν γὰρ ἀρετῶν αἱ μὲν φυσικαὶ, αἱ δὲ ἠθικαὶ,
» αἱ δὲ περιστατικαὶ, αἱ δὲ διδακτικαί. *Virtutum aliæ naturales ſunt, aliæ mora-*
» *les, aliæ quæ doceri poſſunt. Naturales, vt illæ, quæ ex temperatione, ſiue craſi*
» *nobis inſunt. Verbi gratia, miles cum ſit conſtitutione calidus, per eam in pugna*
» *viriliter ſe gerit; forſitan autem libidinoſus idem & laſciuus eſt. Contrà, conſti-*
» *tutione frigidus, temperans & caſtus eſt, in acie autem imbellis & inaudax reperi-*
» *tur. Morales virtutes ſunt, cum dominus quiſpiam mancipium ad vitam tem-*
» *perantiæ & iuſtitiæ deditam aſſuefecerit, non ita, vt ei doctrinam quandam tem-*
» *perantiæ, aut iuſtitiæ tradat; ſed ſi ita ſimpliciter viuere illud docuerit. Ipſæ au-*
» *tem naturales ac morales virtutes non ſolent eſſe ſimul, ſunt enim diſtincta in-*
» *ter ſe. Quæ doceri poſſunt, quoniam cum ratione eas exercemus, ſemper*
» *iunctæ reperiuntur. Sunt præterea virtutes* περιστατικαὶ, *quando quis non ſpon-*
» *te & vltro, ſed malo coactus ad bonum ſe applicat, ſicut Paulus, & latro, & Ma-*
» *naſſes. Virtutum igitur quædam ſunt naturales, quædam morales, quædam ſub*
» *doctrinam cadunt, quædam ad caſus pertinent.*]

Id manifeſtum eſt ex iis quæ diximus, & dicemus. Habitus enim non eſt æqualis, idemque in omnibus; ſed alius in aliis: etenim ſub diſciplinam cadit. Quæ autem naturâ omnibus ſunt communia, ea æqualiter hominibus adſunt. Cum ſimus igitur voluntate liberi, & rationis compotes, ad quæ ferimur & inclinamur, illa ſunt habitus noſter, ſiue opera lucis, ſiue tenebrarum

ſint;

ſint: ſeu cum veritate nobis commercium eſt, ſeu cum mendacio, ſeu cum fallacia, ſeu prudentes, ſeu ſtulti, & moribus proterui ſimus. Quare ſi quis præſtantius deteriori prætulerit, Deus adoptione, & filius domini fiet: ſin peſsimum elegerit, filius diaboli. Teſtis locuples horum Maria Aegyptia, quæ cum Satanæ domicilium prius eſſet, poſtremò Dei habitaculum facta eſt. Audiui etiam Pelagiam, vitam Mariæ magna cum ſua gloria imitatam eſſe. En omni ex parte, gratiæ vim, quomodo operetur, & luceat docuimus. Quæ pœnitentiam adhibentibus prauas affectiones exſcindit, & contrà diuinarum rerum pulcherrimas aliis inſerit. Audis porrò verba Verbi dicentis, *mala arbor non poteſt bonos fructus facere.* Bonos autem faciet, ſi fuerit in bonam inſerta. Rurſum Paulus ad Corinthios ſcribit, *animalis homo non percipit ea quæ ſunt ſpiritus Dei.* Sin autem mores mutauerit, & percipiet, & amabit. Non enim dixit, *non percipiet*, ſed potius, *non percipit*: hoc enim præſentis eſt temporis, illud futuri. Quemadmodum ſiquis ferrum ignitum intuens, affirmauerit, hoc non eſt frigidum, fiet autem, ſicut natura eſt, frigidum. Hæc mihi, & de quibus dixi conſidera: gratia enim ſæpe in malis quoque apparet, & facultatem prophetandi etiam his inſerit, diſpenſans videlicet, prout conducere nouit. Nam & Saul inter Prophetas, & Balaam, & Caiphas, vel inuiti teſtimonium ferunt, & Nabuchodonoſor, tametſi erant homines profani nulliuſque pretij.

Matth. 7. *Rom. 11.* *1. Cor. 2.*

Εἰ καὶ σαὺλ ἐν προφήταις, εἰσέτι καὶ νῦν λεγόμενον, καὶ ἀκουόμενον. ὅτι θυμωθεὶς τὴν βασιλικὴν στολὴν ἀπεδύσατο, καὶ τὰς χεῖρας κροτῶν ὀρχεῖτο, προφητεύων καὶ τὴν βασιλείαν δαβίδ. Num & Saul inter Prophetas? vſque hodie prouerbio circumfertur, quando iratus regiam ſtolam abiecit, & manibus plaudens ſaltauit, ac Dauidi quoque regnum eſt vaticinatus.

Ἡ προφητεία τοῦ βαλαάμ. ἀνατελεῖ ἄστρον ἐξ ἰακὼβ, καὶ ἀναστήσεται ἄνθρωπος ἐξ ἰσραήλ. Prophetia Balaam. Orictur ſtella ex Iacob, & exſurget homo de Iſraël. *Num. 24.*

Τοῦ καϊάφα. συμφέρει ἵνα ἄνθρωπον ἀπολέσθαι ὑπὲρ τοῦ λαοῦ, καὶ μὴ ὅλον τὸ γένος. Caipha. Expedit, vt vnus homo moriatur pro populo, & non tota gens pereat. *Ioan. 11.*

Τοῦ ναβυχοδονόσορ. εἶδε γὰρ οὗτος λίθον ἄνευ χειρῶν τμηθέντα, καὶ πατάξαντα ἣν ἔστησεν χρυσῆν εἰκόνα, καὶ συντρίψαντα. ἦν δὲ ὁ ὁραθεὶς λίθος αὐτὸς ὁ χριστὸς, κατὰ τὴν λύσιν τοῦ δανιὴλ, καὶ διάκρισιν. Nabuchodonoſor vidit lapidem abſciſſum de monte ſine manibus, qui percuſsit ſtatuam quam erexerat, & comminuit eam. *Erat autem lapis hic quem vidit, Chriſtus ipſe, quemadmodum Daniel cenſet, & interpretatur.*] *Dan. 2.*

Sed

Sed habet cauſſam conſentaneam ſpiritus, quomodo operetur, & virtutem tribuat aliquando etiam iſtis, vt perſequantur dæmonas, & ſpiritus nequam è corporibus expellant.

CAPVT VII.

Recenſentur varia corporis humani incommoda & miſeriæ. Origo ex conſtitutione inquiritur, propter quam de quatuor humoribus, de principio generationis, de quatuor ætatibus, & temporibus anni copiosè prius diſputatur.

ANIMA. Probo reſponſum: ſatis meo quidem animo abs te dictum ſuper his, quæ hoc loco ipſa ad diſputationem propoſuiſti. Quorſum autem, & vnde ſymptomata, & affectus amentibus? Aut enim hæc ſpiritibus eorum adſcribemus; aut à prouidentia pendent; aut potius ab elementis. Scripturam certè dicentem audio, abſque Deo nihil vel
Eſter. 13. factum, vel futurum eſſe. Ad hoc mihi reſpondeas velim, ſicuti ad cætera reſpondiſti. CARO. Percipe igitur quomodo ſe res iſta habeat, & diſce veritatem, quam Deus nobis ſuppeditauit, & quomodo alius ſit ſtolidus, alius minimè: alius ſubaridus, alius fluidus, aut membris diſſolutus. Et quomodo alius ebrioſus, alius naturà ſobrius. Hic quidem mentis compos, hic impos naſcitur. Alius inde à maioribus cæcus eſt, alius perſpicax, alius incuruus, alius gibboſus, alius claudus. Huius generis permulta, & varia hominibus eueniunt. Annum igitur ſcito quadripartitam commutationem habere; ver, & æſtatem concurrentes; ſimiliterque autumnum, & hyemem. Ver humidum & calidum eſt: humidum quidem ab hyeme, cui proximè ſuccedit: hyemis quippe extremum, ſeu finis eſt: calidum ab æſtate, cui propinquat. Horum copulationem perpende, & effectorem admirare. Ab aëre illico exiſtit ſanguis. A terra, quæ naturà ſicca eſt, atra bilis, ſeu melancholia. Ab igne flaua bilis, ſiue cholera, quæ cum æſtate augetur. Phlegma humidæ aquarum ſubſtantiæ partus eſt. His etiam quatuor hominis ætates aſsimilantur, principium, progreſſus, vigor & languor; puerorum videlicet, iuuenum, virorum, ſeneſcentium, & decrepitorum: qui gradus etiam quatuor anni temporibus reſpondent. Sed ſi placet, iſta clarius pertractemus. Phlegma ex aqua oritur, cum quo elemento illi ſocietas eſt. Atra bilis ex ſicca terra prouenit. Flaua ex igne, cum ipſa quoque ad ignis naturam

ram accedat. Per phlegma hybernam tempeſtatem intellige, quæ humida & frigida, & inſtar cuiuſdam ſenij eſt. Sanguis ipſum ver refert: Eſt enim humidus, & calidus, quemadmodum puerorum bona temperies. Flaua æſtati comparatur. Aeſtatem quippe calidam & ſiccam experimur: ſicuti virorum ætas eſt robuſta. Atra bilis autumnum imitatur: eſt enim ille ſiccus & frigidus, quomodo ætas iuuenilis.

Κοινωνεῖ οὖν τὸ μὲν αἷμα τῇ χολῇ τῇ ξάνθῃ κατὰ τὴν θερμότητα. ἡ ξάνθη τῇ μελαίνῃ χολῇ κατὰ τὴν ξηρότητα. ἡ μέλαινα δὲ χολὴ τῷ φλέγματι κατὰ τὴν ψυχρότητα. τὸ δὲ φλέγμα τῷ αἵματι κατὰ τὴν ὑγρότητα. ἔχουσι δὲ πάλιν ἕκαστον τὴν ἰδίαν ποιότητα, τὸ αἷμα τὴν θερμότητα, ἡ ξάνθη χολὴ, καὶ ἡ μέλαινα τὴν ξηρότητα, τὸ δὲ φλέγμα τὴν ψυχρότητα. *Communicet igitur ſanguis cum flaua bile in calore. Flaua bilis cum atra in ſiccitate. Atra bilis cum phlegmate in frigore. Phlegma cum ſanguine in humore. Rurſus, vnuſquiſque humor propriam ſuam qualitatem habet, ſanguis calorem, bilis vtraque ſiccitatem, phlegma frigus.*]

Spacia autem cuiuſque ætatis, vniuerſasque cuiuslibet proprietates & diſcrimina, ſuperuacaneum puto percenſere. Dicendum tamen adhuc de ipſis, ſi videtur. Ac inprimis quidem & ante omnia omnium artifex Verbum diuinum, theſaurus ſcientiæ, & abyſſus ſapientiæ cogitanda eſt. Inde ad cauſſas miſeriarum, de quibus ſuprà, veniendum. Generatur infans: principium eius generationis mihi conſidera. Non vt è lucta gymnaſtica, ſudore vndique manans: ſed in vtero & in ventre, non humectus, ſed humor. Lebes ab initio aquam frigidam capiens, continet eam, quamdiu frigida fuerit. Cùm autem ferbuerit, & ob ignem adiacentem bullierit, tum mihi duorum contrariorum quaſi certamen, & victoriam inſignem, & ex certamine imperium vide, quomodo deterius meliori ſenſim cedens, quanquam volens, ſine tuba reddat ſonitum: ſtrepitum bullitionis videlicet, qui huic victoriæ pro tuba eſt. Semen aqua eſto, lebetem puta materni vteri ſinus, copulationem caloremque corporum, ignem interpretare. Lebetis igitur exemplo infantium gradum oſtendimus. Inde ad virilem tranſeamus, & in hac nouam mutationem videamus; mutationem, de qua tanto ante magnus Dauid, *Pſalm. 76.*
quæ eſt planè dexteræ excelſi. *Memor fui*, inquit, *operum domini.* *Ibid.*
Quid igitur huic proprium? quod eius temperamentum? primùm eſt calor quidam, deinde ſiccitas Accipit enim initium ex puerorum ætate, cui cognatio cum vere eſt, quæ terminus eſt hyemis, cuius finis eſt humidus, vt principium frigidum. Verùm ego iſta

quoque paradigmate quodam declarabo. Quatuor tempeſtates eſſe dicimus, & totidem elementa, ætates quatuor, totidem videlicet communione quadam illis reſpondentia. Sed quaternio eſt alius in parte partis. Vnumquodque enim tempus, æſtas, auctumnus, ver, hyems omnino pars eſt anni. Cum igitur tempora iſta partes ſint anni, vt diximus, an non tibi pars partis videtur tempus diei atque noctis horarum 24? Dupliciter enim tempus dicitur, & in parte, & in toto. Noctem autem, etiam æſtatis, hyemem puta. Tota enim humida, & frigida eſt natura ſua, propter exſpirationem nocturnam, & rorem matutinum, cuius i-
Pſalm. 18. maginem gerit ſenectus. Vbi igitur ſol exoriens caput protulerit, mediumque orbem inferiorem luſtrare cœperit vt ſponſus è thalamo, incomparabili ſpecie, & vt infans ex vtero materno proſpexerit, & ridentibus oculis terram deſpexerit, per omnia radios lucifluos diffundens, repentè expiratio humida rore manente, ceſſat. Rori porrò admixtus eſt & calor. An non hæc apertè iuuenum ætas? Poſtquam in medium cœlum, tanquam in prytaneum venit, in alto iam collocatus, hominem laborioſum, & durum repræſentat, & vt proceri corporis gigas aliquis laborare non ceſſat, nec admirabiliter inuehi deſinit: ſed indefeſſo continentique curſu voluitur. Ros quidem per calorem ablatus eſt. Et hinc æſtas, ac virilis ætas inſinuatur. Rurſus, quando deuexus ad occidentem tendit, calorem relinquens, & ſiccitatem retinens, & partem frigoris habens, eamque à nocte, quæ, vt dictum eſt, naturaliter frigida, & humida eſt, annon vt ſenex quiſpiam aridus, laboreque languidus atque fractus, deorſum videtur præceps currere? Nonne videtur iſtuc auctumno eſſe ſimile, indeque notari ſenum ætatem exſuccam eſſe & frigidam?

CAPVT

CAPVT VIII.

Explicaturus cauſſam vitiorum corporis, aliò abripitur, & cur Deus hominem non ſimplicem, vt angelos creauerit docet. Deinde deliramenta Manichæorum inſectatur.

QVONIAM autem quaſi quinquertionem abſolui, id eſt, tempora omnia, & temperamenta adduxi, etiam reliqua, vt tibi promiſi, apponam. Scopus verò & propoſitum, eſt dicere, vnde ab ipſo ſtatim vtero infantibus huiuſmodi caſus; & rurſum vnde, temporis progreſſu, poſtquam in lucem ſunt editi. Dicere autem propitio numine, prout vires, & verba Verbum ipſum ſuppeditauerit. Et quomodo tandem huius generis incommoda alia ab ipſo matris aluo vſque, alia poſt ortum eueniunt? Et quænam perennant, quæ curationem, ac citò quidem admittunt? & quo pacto quædam cum tempore augentur, quædam quaſi retrocedunt, & omnino retrograda euaneſcunt? Et quid eſt, quod quidam puniuntur, quidam coronantur? Et quomodo quibuſdam conducit ſeruitutem timere, quibuſdam in libertate viuere? Alij capiuntur, alij in honore & gloria ſunt, cum aliis aliter ſe res habet. Infinita cernuntur diſcrimina in rebus humanis, varieque commiſcentur. In Deo eſt poteſtas, & ſumma quidem atque omnipotens. Potuit ille animam condere ſimplicem, & ſubſiſtentem, ſicut angelos fecit incorporeos. Idem quippe animarum, angelorumque fabricator eſt; & condere omni turbida motione liberam, perinde vt cœleſtes illos animos. Huiuſmodi namque motiones corporatorum, non corpore vacantium ſunt: niſi quis intenſionem ad aliquid talem motum vocet, vt in angelis recens productis contigit: quorum alij ordinem ſuum, dignitatemque retinuerunt, cum qua procreati erant: alij ſuperbia inflati, ea deciderunt. Etenim cum ſic eſſent producti, vt ad bonum moueri facillimè poſſent, ipſi ad peſsimum incitati ſunt, & contra Deum ſe efferentes, maius quiddam quàm pro natura ſua conceperunt. Non ergo creati ſunt mali, ſed mali poſtmodum apparuerunt. Cum igitur animas tanquam mentes ſeparatas procreare poſſet, natura ſimplices, ratione ornatas, nullis perturbationibus obnoxias, non ſic eas, ſed alio, & miro quodam modo procreauit, hominemque

miſtum quiddam, & coagmentatum effecit, corpore nimirum ex inferiorum ac terreſtrium, anima ex ſuperiorum ac cœleſtium ordine, mentis & conſilij compotem, & hoc, *ſecundùm imaginem*, vt potentiam ac ſapientiam ſuam tanto euidentius oſtenderet, qua aliam adhuc, & nouam creaturam creare poteſt. Nam ſi & hunc, hominem puta, ſimplicem procreaſſet, angelorum tantum procreator viſus fuiſſet.

Auguſtinus contra hereſ. ad Quod vult Deum.

Idem contra epiſtolam Manichæi, cap. 33. 34.

Matth. 7.

Etenim quidam praué opinantium, alium bonorum, alium malorum eſſe auctorem conditoremque arbitrantur. Nec putant, vt homines ſtolidi, peccatum non eſſe ſubſtantiam, nec extrinſecam nec intrinſecam: ſed melioris priuationem, ſicut tenebræ ex fuga lucis exiſtunt, & nox poſt occaſum Heſperi emergit, & viciſsim Lucifero reſplendente, ipſa repellitur, & fugit. Vt igitur bonorum omnium origo & cognitor, radicitus extirpauit germen nequitiæ, quam apertè appellauit dominus domum, quam venti ſimul flantes auris diuinis, & torrentes circumflui ex fonte à Deo ſcatente improuisò irruentes, ad terram detraxerunt. Sed quos finxerit improbiſsimus ſeductor, edite. Amentes, deliri, & moribus vitioſiſsimi. Cur tantas nugas auſi eſtis nugari? Ad finem geminum, & contrarium omnem creaturam reſpicere aſſeritis. O inconſideratum errorem, aduerſantem verbis domini, qui neminem poſſe duobus dominis ſeruire teſtatus eſt.

Matth. 6.

Si enim aliquando duobus concordibus dominis ſeruire nemo poteſt, diis ſententia & voluntate pugnantibus quis ſeruierit? *Aut enim vnum odio habebit, alium verò diliget; aut hunc quidem ſuſtinebit, illum contemnet.* Hæc affirmatio eſt domini, impuram & fraudulentam Manichæorum opinionem funditus euellentis. Vnus eſt verus Deus, vnus inſpector, vnus rerum parens, in tribus hypoſtaſibus, haud diuerſis voluntatibus. Tribus enim vna voluntas, vna potentia, vnum imperium. Tres hypoſtaſes, deitatem vnam veneramur. Non tres deos, ſed tres hypoſtaſes prædicamus, Deum vnum, qui cœlum in orbem verſât, & terram verbo fundauit, iumentisque & animalibus vniuerſis ſpiritum inſpirauit, & alia ex aëre, alia ex aqua, alia è terra, omnia ad generationem & interitum finxit, & hucuſque tantum. Atque hinc dominus animalium item apparet. In quæ enim quis dominatur, in iis pro auctoritate agit.

CAPVT

CAPVT IX.

De prouidentia Dei in opificio mundi, & cur hominem immutabilem immortalemq́; non fecerit.

SED admirabilitatem rationum, quibus mundus eſt factus, perpende. Primùm conſtituit cœlum & terram, & quæ eorum ambitu continentur. Elementa ſimul omnino, nulla ex materia condidit. Angelos cogitatione, vt exiſterent, fecit. Quantæ iſtuc potentię? Thronum præparauit: etenim throni Dominus eſt. Non penitus honore æquali, ſed tantummodo adorandum, vt honoratum, vt glorioſum, propter inſidentem, & in eo requieſcentem, quem omnia timent ac tremunt. Creaturæ primæ ſunt iſtæ, quas aliæ conſequuntur. στοιχεῖα verò elementa dicuntur, ratione ordinis, ſecundum quem vniuerſitas ordinatim eſt compoſita, nutu conditoris. Quid enim citra prouidentiam illius factum quæſo? Etenim vt quiſpiam mercator oneraria compacta, & cæteris armis eius vnà adornatis, gubernaculis, rudentibus, velis, antennis, funibus, quibus malus in prora firmatur, remis, anchoris, & pice circumlita, & minio depicta, ſi poſtea illam deduxerit, & pelago ſecando dimiſerit, ipſe verò relicto nauigio domi ſedeat, nónne plurimis fluctibus, & ſub vnda latentibus ſaxis, ſcopulis, charybdibus, & ſcyllis, & prominentibus petris, & ventis, & procellis immanibus obiecta, & impacta frangatur, & in profundum hauriatur? Si ergo abſque gubernatore naues contineri, & ſeruari nequeunt, hoc mundi vniuerſi nauigium ſeruari poſſe exiſtimas, ſi gubernatore careat? Quatuor elementa mihi vt onerariam intuere, per quæ alia quidem portantur, & nauigant, alia portabuntur, & nauigabunt. Sicut itaque pelagus, aut etiam fretum aliquod citra nauim traiicere nullus poteſt, ita nec ſine elementis quiſquam hanc vitam tranſmittit. Sic cenſuit, ſic ſtatuit Verbum vniuerſorum artifex. Quare vt nauis rectore deſtituta non abeſt à diſcrimine: ſic, mihi crede, deſerta à prouidentia creatura proxima eſt periculo. Hoc loco ſubit me dubitatio perplexior. Hominem volens producere conditor, ſicut produxit, vnũ animal ex duobus, quomodo non potius natura ſimplicem produxit, vt duraret ſemper, nec aliquando interiret? Ex quo enim effectum eſt ignis elementum, neutiquam vel lumen eius eſt obſcuratum, vel ardor extinctus. Sic item terræ, aliæq́ue creaturæ in ſtatu ſuo perſeuerant. Homo autem ita creatus eſt, vt ſit natura caducus, breuis æui, ſui diſsimilis, & leuiſsimo momento mutabilis. Rurſum aliud audiui quærentes, quamobrem Deus hominem non creauerit à ſenectute immunem, vt

vitam quam longiſsimam, ac fine extremo propagaret? Quanquam autem rationis eſt compos, in eoque differt ac præſtat omnibus, non tamen inde annos ſuos longius extenderit. In brutis animantibus celeritate antecedit pardalis, malignus eſt camelus, vrſus auidus, lupus rapax & ferus, equus iracundus, pauo ſuperbus, columba laſciua. Aliis alia natura, habitus, & affectio ineſt. A mortuis autem ad iudicium, ad vltionem, & pœnas peccatorum ſuſtinendas animalia in vitam non redeunt. Sed homines peccatis obnoxij ſunt, pœnasque & ſupplicia ante & poſt obitum ſubire habent, ſi ſcelera ſua per pœnitentiam non deleuerint. Naturæ autem conduceret, ſi reſurrectio nulla eſſet. Nunc ad iudicium reſurgimus quotquot ſumus improbi. Verùm iſtanc dubitationem diſſoluit vir quidam ſecundùm vtrumque, & præ omnibus probandus, qui apertiſsimè velut è ſublimi, & medio ſuggeſtu docet, clamat, prædicat, vitam hanc ſtadium, aut quinquertium ducendam. Stadiodromos videri homines virtutis ſtudioſos. Quid enim nobilius morum ſanctimonia? Qua præditi, Dei, & diuinæ gloriæ hæredes erunt. Voluptates autem eſſe flagella duellatoris Satanæ. Hic autem (Deus) velut è pugna redeuntem filium longè ſtrenuiſsimum excipiens lætatur & gaudet, cum *his* verbis. O fili chariſsime, veniſti curſu tuo conſummato. Membris tuis patrem legitimè glorificaſti: accipe pro ſcopo & conſilio tuo laborum præmia, qualia diligentibus me præparaui. Tu autem volebas certamen conſtitui ſempiternum? Quis, obſecro, certationem ſuſtinere potuiſſet, tametſi eſſet adamantinus, & inuulnerabilis, ſi inſuper hiſce vinculis corporis leuari non poſſet? Et quis vinctus adeò infelix, vt tenebras, & carcerem nolit effugere? Sin minus, at certè pro viribus hanc ſibi miſeriam ita imminuere vult, vt propter exiguitatem ab ea nullo negotio liberetur. Cupis autem perturbationibus inquinari ac pollui pulchritudinem à Deo datam, & illam magnam imaginem, ſi reſurrectionem pro remuneratione laborum non vis. Et quomodo homines quotidie in flagitia non prolabentur, ſi nullam ſupereſſe reſurrectionem iudiciumque crediderint? Quomodo porrò non eſt abſurdum, rationis munere decoratum, diuinoque ſpiraculo prælatum omnibus, vitam in ſpe repoſitam nolle viuere? Ego verò etiam ipſam mortem haud mortem, ſed feliciſsimum tranſitum ad vitam ſenio carentem, & quæ ad tempus pertulimus, eorum remunerationem, & ſolutionem quandam è carcere opinor. Mors Domini verbis meis aſtipulatur. Diuinum quippe corpus ante necem haud erat alienum ab interitu, rediuiuum, planè immortale, & à corruptione liberum euaſit, typum & formam præferens regenerationis, quæ

omnibus

omnibus Domino adueniente continget. Carnalis enim generatio ſymptomatum plena eſt, quorum plura ſunt genera, quam arbores in ſyluis. Quę de anni temporibus, de elementis, de ætatibus, de humoribus, ſimplicibus & coagmentatis ſiue concretis diſſeruimus, eiuſmodi ſunt. Deinceps de ſymptomatis agendum eſt.

CAPVT X,

Tandem partuum monſtroſorum, & aliqua fœditate inſignium cauſſam incontinentiæ parentum adſcribit. In his ipſis partubus vtilitatem ad mores hominum corrigendos ineſſe demonſtrat.

QVAEDAM enim ab ipſo conceptu, quædam poſt partum naturæ humanæ indita atque inſerta viſuntur. Etſi enim hæc vt portenta quędam per hominũ vitam proteruiant, nihilominus à rationibus diuinæ prouidentiæ pendent, quæ ex comparatione deterioris, quod melius eſt, magis declarat. Vt illud quidem metu periculi declinemus, ad bonum autem præmiorum deſiderio acceleremus. Mox enim à complexu corporum, ſi craſis, & alia congruentia fuerint, & humor cum calore bene temperatus, ſecundum vtrumque, qui naſcentur filij, habebunt optimè. Sin calor humorem exſuperauerit, prudentia in ſobole elucebit. E contrario, ſi humor vicerit calorem, mens prudentia non multum, & corpus viribus parum valebit, membrorumque tremor ſequetur. Cum enim natura ad typum & formam haud ſatis ſeſe accommodauerit, conceptus ipſe & craſi, & formatione immutatur, geſtaturque in vtero, opprobrium, prodigium, morbus, diſſolutum, fœdum, & prorſus malæ habitudinis, vel in membris omnibus, vel certè in aliquibus: ſtrabum puta, acuto capite, epilepticum, mutilum. Et talia ſanè vel ob exceſſum, vel ob defectum ſolent fieri. Qui moderatè amoribus vtuntur, opportunè coniunctionem illam diſpenſant. Qui impotenter in Venerem ruunt, & intempeſtiuè voluptatibus illis commiſcendorum corporum fruuntur, iis abuſio detrimentoſa eſt, & labuntur in ignominiam, & ſe deridendos propinant omnibus. Hinc & hominibus iſtiuſmodi calamitates inde vſque ex vtero matris eueniunt, & præcipuè vecordibus. Ebrietas quoq; propter nimiam intemperiem detrimentoſa eſt, geniturámque non fœcundam, ſed inutilem ac ſterilem reddit. Hinc reprehendenda quorundam libido, qui ſecreta illa coniugalia imprudentius miſcent. Cæterùm totum crimen penes patres reſidet, qui mulieres ex menſibus immundas contrectare non parcunt, vnde poſtmodum fœtus abominandi effunduntur.

,, Φασὶ γάρ τινες, ἐκ τῆς τοιαύτης συνουσίας καὶ λώβην, καὶ λέπραν γίνεσθαι, ἐκ τοῦ περιτ-
,, τώματος ἐκείνων. κἂν μὲν ὑγιεινὰ τὰ σώματα ᾖ, τοιαῦτα καὶ τὰ τικτόμενα· εἰ δὲ διεφθαρ-
,, μένα, μιμεῖται τῶν γονέων τὴν φύσιν. φησὶ γοῦν ὁ νόμος πρὸς γυναῖκα οὖσαν ἐν καθαρισμῷ
,, ἀκαθαρσίας αὐτῆς, οὐκ εἰσελεύσῃ. συνέβαινε γὰρ τὸ τοῦ ἀνδρὸς σῶμα τῷ ἀκαθάρτῳ τῆς θη-
,, λείας αἵματι μιγνύμενον σῶμα ἀναπλάττειν οὐ καθαρὸν, οὐδὲ εὔκρατον, ἀλλὰ ποικίλοις
,, πάθεσιν εὐάλωτον. ταῦτα βουλόμενος ὁ νομοθέτης προαναστέλλειν τὰ κακὰ, τοὺς ἐκ τοιού-
,, των συνουσιῶν τεχθέντας ἀπεκήρυξε, καὶ τῶν ἱερῶν περιβόλων, καὶ συνόδων ἀφώρισεν. ἵνα
,, μηκέτι τολμῶσι τοιαῦτα δρᾷν οἱ τούτων γονεῖς. εἰ καὶ τίμιος ὁ γάμος, καὶ ἔννομος ἡ εὐνὴ,
,, ἀλλ' οὐκ ἀεὶ αὐτῇ ἐπιτηδειότεον, ἀλλὰ καιρούς τινας σχολαστέον, καὶ παραχωρητέον τῇ φύσει,
,, ἕως ἂν καθηραμένη ἐπιτήδεια πρὸς παιδοποιΐαν γένηται. Aiunt enim quidam ex hu-
,, iuſcemodi commercio & probroſum quiddam, & lepram generari, propter redun-
,, dantiam ſcilicet. Ac ſi quidem ſana fuerint corpora, etiam ſana erunt quæ generan-
Leuit.15. ,, tur. Si corrupta & vitioſa parentum corpora filij imitabuntur. Præcipit igitur lex,
,, vt ne quis ad mulierem dum eſt in purgatione immunditiæ ſuæ ingrediatur. Con-
,, tingit namque corpus viri impuro ſanguine mulieris commixtum, corpus generare
,, minimè purum, nec bene temperatum; ſed variis affectibus obnoxium. Hæc mala le-
,, giſlator ante volens cohibere, natos ex tali concubitu eiecit, & ſacris ſeptis, conuen-
,, tibusq; excluſit, vt horum parentes non audeant de cætero tale quid committere. Et
Hebr.13. ,, quanquam nuptiæ honorabiles ſunt, & cubile legitimum, non tamen ſemper id a-
,, ſcendendum: ſed aliquo tempore vacandum, & naturæ concedendum, donec purga-
,, tum, liberis ſuſcipiendis fiat idoneum.]

In aliis autem incontinentibus, dum ſe cognoſcunt, meritò etiam infantes fiunt ſicciores, ſeminæ ſcilicet feruore voluptuario areſacto. Hæc intemperantiæ patrum clara ſunt indicia. Simia generat ſimiam, vt æthiops æthiopem, caluus caluos, morboſi morboſos. Culpam potiſsimùm patres ſuſtinent. Et horum tamen vtilitas aliqua in vita cernitur. Erudiuntur enim homines, ne præcipites abeant in obſcœnam voluptatem, néue proles in dedecus familiæ propagent, aliorum delictis ipſi cautiores: fiuntq; tales magiſtri rei optimæ cæteris, & à priore ſtultitia ad vitam temperantem melioremq; ſe conuertunt, ac laudabili ſunt exemplo. Dominus enim, qui nutu & verbo ſuſtinet omnia, multò ante proſpiciens, quid ex re cuiuſque ſit, hæc paſſus eſt accidere inter homines, vt non omnes impurè, ac fœdè generentur, ſed aliis quidem ſymptoma fructui ſit, aliis alicubi ad fugienda vitia, quibus irretirentur conducat. Non tamen parentes vacant crimine, etiamſi liberi à caſibus quos percenſuimus, miſerante Deo præſeruentur. Alia incommoda ab vtero vſque accipiuntur.

,, ISIDORVS. Τοῦ χάριν ὁ νομοθέτης τοὺς λεπρῶντας, καὶ ἕτερα νοσήματα νοσοῦντας
,, ἔξω εἶναι τῶν ἱερῶν περιβόλων διάττει; τὰς ἀκρασίας τῶν γονέων ἀναστέλλων, καὶ ταῖς
,, ἡδοναῖς χαλινοὺς ἐπιθεὶς, καὶ μέτρα ὁρίζων τῆς συνουσίας. ἐπειδὴ πολλοὶ ὅτι οὐ δέον, συνέρ-

χονται

χονται ταῖς θηλείαις, καὶ ἐκ τῆς ἀκαίρου συνουσίας ἀκάθαρτα γεννῶσι σώματα. ἵνα οὖν μὴ τοῦτο γένηται, τὸ θεῖον ἐφρόντισεν. τούτους γὰρ οὖν εἰργομένους ἐν ἱεροῖς συνόδοις θεώμενοι οἱ τεκόντες, καὶ διανοούμενοι, ὅτι τῆς αὐτῶν ἀκρασίας ἐστὶ τὸ αἴτιον, ἀκοίμητον ἔχουσι τὴν ὀδύνην. Qua de cauſſa legislator leproſos, aliuſq́ morbis affectos ſacris ſeptis probibuit? vt parentum incontinentiam reprimeret, & voluptatibus frænum iniiceret, coniunctionemq́ue illam corporum terminis quibuſdam circumſcriberet: quandoquidem multi, quando haud fas, fœminis miſcentur, & ex intempeſtiuo congreſſu impura corpora progignunt. Hoc igitur ne fiat, diuinum numen prouidet. Nam cum parentes vident, tales ſacris conuētibus arceri, & cauſſam huius rei incontinentiam ſuam eſſe cogitant, perenni dolore cruciantur.]

Et lex præclara Lacedæmoniis fuit, quæ muliebre genus certaminibus exerceri ludicris iubebat, quo robuſtos liberos generarent. Alia verò poſt ortum accidunt vtiliter. Quidam aſpectu vſurus erat malè, oculis orbatus eſt. Alius addictus eſt ſeruituti, quod illi prodeſt. Alius eſt natus pauper, quem diuitias habere non conuenit, iis enim ad perniciem ſuam abuteretur. Alteri lingua eſt impedita, qui garrulitati ſeruiiſſet. Cuidam exaruit manus, quam peruersè extenſurus erat. Et his caſus iſti boni ſunt.

Ἐρώτησις. τί δή ποτε πολλοὶ πρὶν ἐλθεῖν εἰς τὴν ἡλικίαν τὴν διαγνωστικὴν τῶν καλῶν, καὶ τῶν μὴ τοιούτων, ὡς μεγάλα ἠδικηκότες κολάζονται; ἀπόκρισις. τούτου μὲν οὐ μία τίς ἐστιν αἰτία, ἀλλὰ πολλαὶ καὶ διάφοροι. καὶ γὰρ καὶ παρὰ τὴν τῶν γεννησάντων ἀκρασίαν, καὶ παρὰ τὴν θρεψάντων ῥᾳθυμίαν, καὶ παρὰ τὴν τῶν ἀέρων ἀνωμαλίαν, καὶ παρὰ πολλὰ ἕτερα τοιαῦτα συμπτώματα γένοιτ᾽ ἄν. πρὸς τούτοις πολλοὺς αὐτῶν οἶδεν ὁ θεὸς ἐσομένους πονηρούς. καὶ διὰ τοῦτο ὥσπερ τισὶ πέδαις κατέχει ταῖς τιμωρίαις αὐτούς. INTERROGATIO. *Quid ita tandem multi, priuſquam ætatem eam attingant, qua internoſcere bonum à malo queant, quaſi magnis impliciti ſceleribus, pœnas luunt?* RESPONSIO. *Huius rei non vna ſed complures & diuerſæ ſunt cauſſæ. Nempe & propter parentum immodicam libidinem, & propter educatorum deſidiam, & propter cœli inæqualitatem, & propter alia multa, huiuſcemodi calamitates poſſunt euenire. Præterea, multos illorum nouit Deus fore improbos. Eam ob rem ſuppliciis iſtiuſmodi veluti compedibus eos coërcet.*

Verùm animaduerte quāta ſit Domini benignitas. Miſertus enim humaniter ſui plaſmatis, etiam iſta ad vtilitatem eius direxit, conuertitq́ue. Quin & mors munus quoddam illius benignitatis eſt. Rationes autem abortuum, & quomodo quædam in conceptione, alia poſt conceptionem, alia poſt formationem intus pereant, hæc, inquam, diuino iudicio, & ſapientiſsimis diſpicienda relinquamus.

CAPVT XI.

Quomodo diabolus superſeminet in animis noſtris Zizania, & quibus armis ei reſiſtatur. Quare zizania hinc euelli Deus non ſinat.

Matth. 13.

ANIMA. Satanas porrò, quînam inſtar furis in corda penetrat, & hominibus dormientibus (vt ſancta Scriptura loquitur) impura, & peſsima ad fallaciam & deceptionem omnium zizania ſeminat?

ANASTASIVS. Οὐκ οἶδε τοίνυν ὁ διάβολος πότερον ἔσω ἐστὶν ὁ Χριστὸς, ἢ μὴ ἐν τῇ καρδίᾳ, ἀλλ' ὅταν ἴδῃ σε ὀργιζόμενον, ἢ ὀμνύοντα, ἢ αἰσχρολογοῦντα, ἢ λοιδοροῦντα, ἢ καταλαλοῦντα, ἢ κατακρίνοντα, ἢ μισοῦντα, ἢ βασκαίνοντα, ἢ ἀδικοῦντα, ἢ ὑπερηφανευόμενον, ἢ γελῶντα πολλὰ, ἢ μετεωριζόμενον, ἢ μὴ συνεχῶς προσευχόμενον, καὶ τοῦ θανάτου μνημονεύοντα, τότε νοεῖ, ὅτι οὐκ ἐστὶν ἐν τῇ ψυχῇ σου ὁ φιλάττων, καὶ φροντίζων σου ὁ Θεός. καὶ οὕτω λοιπὸν, καθάπερ κλέπτης εἰσελθὼν ὁ πονηρὸς, ὡς μὴ ὄντος θείου λύχνου ἐν τῇ καρδίᾳ σου, συλᾷ τὸν οἶκον τῆς ψυχῆς σου. καὶ μὴ εἰδότας γὰρ τοὺς δαίμονας, ἡμεῖς ποιοῦμεν εἰδέναι τὰ καθ' ἡμᾶς. *Neſcit igitur diabolus, vtrum ſit intus in cordibus noſtris Chriſtus, nec ne: ſed tùm te viderit iraſcentem, aut iurantem, aut turpia loquentem, aut maledicentem, aut de aliis detrahẽtem, aut alios temerè iudicantem, aut odio proſequentem, aut inuidentem, aut iniurias irrogantem, aut ſuperbientem, aut immodicè ridentem, aut ſupra alios ſe efferentem, aut non aſsiduè precãtem, mortiſq; immemorem, tum Deum cuſtodem atque curatorem tuum in anima tua haud ineſſe intelligit, atque ita de cætero, tanquam fur ingreſſus ille malignus, vt diuina lucerna in corde tuo non lucente, animæ tuæ domum deprædatur. Etenim dæmones rerum noſtrarum ignaros, nos gnaros culpa noſtra efficimus.*]

Et quonam modo improbiſsimus à nobis repellatur? Quod ſi hoc facilè non eſt, quo pacto tamen dæmonum impetus, & diuinas incitationes quiſpiam cognoſcat, ex quo mens bona & mala deprehendat, atque internoſcat? vt proinde ſe procul remoueat, & omni contentione tela Belial auertat, reddatque Domino hoſpitium mundiſſimum, purgans ſe totum ab inquinamentis interioribus, vt inhabitet gratia in corde eius, & apud ipſum Pater cum Verbo manſionem faciat. Et quid ita Deus dæmonibus ad oppugnandum genus humanum permittere aditum voluit? CARO. Plaſtes ille, cùm effinxiſſet olim hominem, vt noſti, animam, & alia ei inſpirauit atque immiſit, creaturarumq́ue terreſtrium Dominum conſtituit. Cæterùm inuidiæ parens, & primus apoſtata, iniquis oculis magnitudinem eius intuitus, inuidit, & tantam eius gloriam ægrè tulit, & quod fecit, inuidia erga hominem fecit. Procreator autem & Dominus, quod futurum erat proſpiciens, vt optimus quiſpiam medicus pharmacis comparatis,

Ioan. 14.

tis, virtutem armatam homini ad pugnam, & propulſationem petitionum Satanæ inſeruit: ne imparatum, atque inermem inueniens, telis & vulneribus eum nullo negotio proſterneret, atque conficeret. Duplicibus porrò, & firmiſsimis armis eum communiuit. Ea ſunt cupiditas, & iræ vis. Quæ quanquam in ea parte animæ verſantur, quæ conſilij expers eſt, quod nemo negauerit, nihilominus rationi ad auxilium & robur quoddam, ad ſeductorem laceſſendum, perſequendum, atque ad ſacrarum actionum rectam functionem, quibus diuinum numen hominibus, quorum mores & ſtudia ad ſanctitatem feruntur, conciliari ſolet, data & cõceſſa ſunt. Hæc duo ecquid animaduertis, tanquam matres virtutum & vitiorum eſſe? veruntamen non omnium prorſus, ſed quæ ex ipſis progigni conſueuerunt, quæ oratio noſtra clarius demonſtrabit. Tu animum fac attendas, & rem omnem cognoſces. Cupiditatis germen, eſt charitas, per quã in cœlum aſcendimus. Sed enim libet accuratius ſuper hoc diſputare. Cogita iram, & cupiditatem triticum eſſe bonum, & tritici ſemen, quod ipſe, agricola & plantator bonorum Dominus cultura intrinſeca, gratia manifeſta ſuperſeminauit. Primus igitur homo conuerſus eſt in ſoporem, vt docet Scriptura. Sed ſoporem hunc intellige tres haſce paſsiones, obliuionem, ignorantiam, & ſtuporem. *Geneſ. 2.*

ISIDORVS. Πόθεν ἔφης οἱ πονηροὶ λογισμοὶ τῆς καρδίας ἐξέρχονται, καὶ κινοῦσι τὸν ἄνθρωπον; ἐκ τοῦ καθεύδειν τοὺς γεωργοὺς ἐγρηγορέναι ὀφείλοντας, καὶ φυλάττειν, τοῦ καλοῦ σπέρματος τὸν καλὸν καρπὸν ἀναθάλλοντας. εἰ μὴ γὰρ κόρῳ καὶ κάρῳ τὴν ἑαυτῶν φυλακὴν προδεδώκειμεν, τὴν θείαν εἰκόνα μολύναντες, τουτέστι τὸ καλὸν σπέρμα νοθεύσαντες, ὁ τῶν ζιζανίων σπορεὺς οὐκ ἂν εὗρε παρείσδυσιν, καὶ ἄξια πυρὸς ζιζάνια ἐν ἡμῖν κατειργάσατο. θέλεις ἀπελθόντες συνάξωμεν τὰ ζιζάνια, ἀγγελικαὶ δυνάμεις φασίν. ἀλλὰ πρᾶξαι τοῦτο κωλύονται, μὴ συνεκτιλμηθῇ τοῖς ζιζανίοις ὁ σῖτος. μή ποτε ἁρπαγῇ ἁμαρτωλὸς διόρθωσιν βλέπων. μὴ πονηρῶν γονέων γινομένων, συνεκκοπῇ καταγνῶσα τέκνα, ἔτι μὲν πολλάκις ἐν ὀσφύι ὄντα πατρικῇ, θεῷ δὲ ὑφεστῶτα, ὡς τὰ κεκρυμμένα ὁρῶντι. οὐκ ἐθέρισε τὸν Ἡσαῦ ἁμαρτήσαντα, ἵνα μὴ συνεκτέμῃ τὸν Ἰὼβ ἐξ ἐκείνου γινόμενον. *Vnde, inquis, cogitationes malæ de corde exeunt, & hominem impellunt? Ex eo, quod dormiunt agricolæ, quos vigilare oportebat, & excubare, & efficere, vt ex bono ſemine bonus fructus prodiret. Niſi enim ſatietate & ſopore cuſtodiam noſtri prodidiſſemus, diuinam imaginem fœdantes, hoc eſt, diuinum ſemen adulterantes, zizaniorum ſator introitum non inueniſſet, nec digna flammis in nobis operatus eſſet.* Vis imus, colligimus ea? *inquiunt virtutes angelicæ. Sed facere iſtuc prohibentur, ne cum eis vnà triticum eradicetur: ne fortè vnà rapiatur peccator, de emendatione cogitans: ne cum parentibus improbis ſimul exſcindantur, & damnentur liberi, adhuc ſæpe in lumbis paternis, Deo autem iam exiſtentes, qui videt abſcondita, quiq́; Eſau poſt peccatum nõ demeſſuit, ne ſimul Iob ex illo genus ducturum exſcinderet.*] *Matt. 13.*

 Inimi-

Inimicus ergo dormientibus protoplaſtis clam ad perniciem tritici zizania ſeminat. Zizania autem ſunt affectuum agitatio,& iudicij deprauatio. Inde cum ſe homo contra rationem voluptatibus ſubmiſiſſet,quod præſtantius eſt,deteriori ſeruitutem ſeruire cœpit; quo nihil peius:hoc eſt,ſpiritus prudentię carnis,& comedit quod comedit de ligno, quodcunq; tandem illud erat, idque actum inuidia diaboli & Euæ ſimplicitate. Hinc mortalitatem inuenit, & creatura corrupta eſt ſimul;ſimul quoque corrupta prima quatuor corpora. Non enim oportebat,nec decebat,homine lapſo,mundum manere incorruptibilem, cuius ille erat dominus: ſed potius cum domino diffluere ac dilabi, vt cum habitatore habitaculum congrueret. Inde imaginis pulchritudo obfuſcata eſt: inde cordis regio fruticibus luxurians,vnde germen impurum germinauit.Inutiles herbæ coorientes, commodas & vtiles ſuffocarunt. Et celeriter ad vitam beſtiarum deuolutus eſt: quæque præter naturam erant, inde ſecundùm naturam euaſerunt,proceduntque & proficiunt ad finem vſque huius vitę ambo hæc,& bona & mala,ſeminis,inquam,& inuidiæ.Cum autem meſſis tempus aduenerit, colligentur omnia. Inimicus enim, vt dictum eſt,deteriora ſuperſeminauit.Agricola ſiuit ea cum tritico excreſcere, non vt meliora ſemina ſuffocarent; ſed vt & hæc ſimul in aruis manerent, id eſt, in cordibus, ſic enim tropicè vocauit: vt ex virtute intus inſita (ea eſt virtus & poteſtas mentis & conſilij, citra controuerſiam) malum germen exareſceret, bonum augeſceret, ac ſolideſceret. Sin minus, at certè dum area purgaretur,qua purgatione vitioſum à probo ſecerneretur.

CAPVT XII.

De quatuor virtutibus cardinalibus, eorumque vitiis oppoſitis. Multa item de animi perturbationibus, & quæ à quibus virtutibus edomentur.

MEns igitur, illud rationis particeps, vel potius illud *ſecundùm imaginem*, vt princeps optimus, aliis, cupiditati nempe, & iræ quæ arma appellaui, præſidet. A mente igitur prudentia & iuſtitia efflореſcunt, duæ planè virtutes, per quas omnia bona,non bona rectiſsimè iudicat & diſcernit. Iudicij enim medulla eſt diſcretio, ſine qua propemodum omnis actio inanis eſt. Peccata igitur rationis,cuius eſt principatus,legibus puniuntur,& quidem grauius: iræ autem & cupiditatis minus,ex qua elegantia temperantiæ profluit: ſicut ex ira fortitudo; ex his tribus quatuor,

tuor,& primæ virtutes generales: ſic enim dicuntur. Quatuor autem his bis quatuor vitia opponuntur, quando vnaquæque duo habet aduerſaria, quorum vnum in exceſſu, alterum in defectu poſitum eſt. Ne longè abeam, prudentia hinc quidem ſimplicitatem, inde aſtutiam, ſiue calliditatem: iuſtitia vtrinque plus & minus habet: ſunt enim & hæc vitia. Fortitudini ſimiliter duo repugnant, quorum alterum audacia dicitur, alterum timiditas. Quæ reliqua eſt, temperantiæ, inquam, petulantia, & fatuitas aduerſantur.

ISIDORVS. Ἡ μὲν φρόνησις μέση ἀφελείας, καὶ πανουργίας ἕστηκεν. ἡ δὲ ἐλευθεριότης ἀσωτίας καὶ φειδωλίας. ἡ δὲ μεγαλοψυχία ἀλαζονείας μέση, καὶ ταπεινότητος. ἡ ἀνδρία θρασύτητος, καὶ δειλίας. ἡ δὲ εὐσέβεια δεισιδαιμονίας, καὶ ἀσεβείας. χρὴ οὖν τὰς ἀκρότητας φεύγειν, τὰς δὲ μεσότητας διώκειν, καὶ αἱρεῖσθαι. *Prudentia media eſt inter ſimplicitatem & verſutiam. Liberalitas inter profuſionem & tenacitatem. Magnanimitas inter arrogantiam, & abiectionem animi. Fortitudo inter audaciam & timiditatem. Pietas inter ſuperſtitionem & impietatem. Extrema igitur fugienda, media autem perſequenda, & eligenda ſunt.*]

Quotcunque autem aliæ motiones, intus in medio cordis, ſeu prauæ, ſeu cōmendabiles concitantur, cogitationis, atq; rationis fœtus ſunt. Ratiocinatur enim, & iudicat, tametſi nonnunquam fallitur.

BASILIVS. Τὰ πάθη βίαια μέν εἰσιν, ἀργοῦντος τοῦ ἐν ἡμῖν λόγου· εὐπειθῆ δὲ τούτου ἐπιτάττοντος, καὶ διώκοντος. *Perturbationes importunæ ac violentæ ſunt, ſi ceſſet ratio, qua valemus. Ea imperante & inſtante, facilè in obſequium rediguntur.*]

Sunt autem timiditas, confidentia, timor, inuidia, ægritudo, ira, concupiſcentia omnium iucundorum. Etenim omnis ad aliquid concitatio ex corde eſt, ad eligendum maximè, & diſcernendum. Vtitur enim vtrouis, & vult, & cupit melius ſtultius, præſtantius deterius. Nec verò quiſpiam ob hæc vel laudatur, vel reprehenditur, quæ ſua natura neque bona, neque mala ſunt. Voluntas bene, aut ſecus iis vtentium ſpectari ſolet.

MAXIMVS. Τούτων τὰ μὲν καλὰ, τὰ δὲ κακὰ τοῖς ἀνθρώποις νομίζεται. οὐδὲν κακὸν ὂν οἰκείῳ λόγῳ, πρὸς δὲ τὴν χρῆσιν εἴτε κακὰ κυρίως, εἴτε ἀγαθὰ εὑρίσκεται. *Horum alia bona, alia mala ab hominibus exiſtimantur. Atqui cum per ſe nihil ſit malum, propter vſum propriè ſiue malum, ſiue bonum inuenitur.*]

Si igitur de his præiudicium in partem deteriorem vergat, tum affectio illa mala & eſt, & dicitur. Si contra præiudicium ad partem meliorem inclinauerit, probanda magis & meliora inde procedunt, & vitioſa longiſsimè exterminantur, vt ſecunda diſputatione explicatum eſt. Quemadmodum enim ferrum ab arte ad quoduis opus

 artifi-

artifici propoſitum conformatur, ac pro voluntate & vſu tractatum vel in haſtam cedit, vel in gladium, vel in machæram, vel in falcem ad meſſem, vel in aſciam, vel in terebram, vel in ſerram, vel in ſcalprum; ſimili modo mens ad quæ vult, cogitationes conuertit, quod inprimis clarè in iis apparet, qui in aſceticis illuſtres fuerunt, & ſolitarium vitæ genus probè excoluerunt. Carnem enim, vt decuit, ſpiritui ſubiugarunt, & tripartitæ animæ motus ad mores virtute plenos, præclaraſque actiones transtulerunt. Quod ſi tu enucleatius de his me diſſerere vis, diſſeram. A ratione hæc vitia manant, vt dixi: vana gloria, diffidentia animi, inſipientia, ignorantia, indiſcretio, blaſphemia, cogitationum lucta, quorum videlicet & medicinæ multæ, & tales. Fides in dominum, germana gloria, dogmatum recta tractatio in ſermonum veritate, meditatio verborum ſpiritus, precatio vehemens, mores Deo placiti gratæ voluntatis. Hæc ſunt cupiditatis. Iræ autem primus partus odium, alter animus immiſericors, inuidia, maleuolentia, ira diuturna. Etiam hæc contrariis medicamentis ſanabilia ſunt, iuxta prouerbium, contraria contrariis curantur, ſi modò in omnibus auxilium Dei adſit.

" Maximvs. *Δυσκαταγώνιστα μᾶλλον τὰ τοῦ θυμικοῦ μέρους τῆς ψυχῆς πάθη
" παρὰ τοῦ ἐπιθυμητικοῦ τυγχάνει. διὸ καὶ μεῖζον τὸ φάρμακον κατ᾽ αὐτοῦ ἡ ἐντολὴ τῆς
" ἀγάπης παρὰ τοῦ κυρίου ἐδόθη. Affectus eius partis, in qua irarum ardores exi-
" ſtunt, longè difficilius, quàm cupiditatū incitationes expugnantur. Quocirca e-
" tiam mandatum de dilectione, vt maius remedium, aduerſus illos datum
" eſt.*]

Medicamenta illa ſunt, amor erga fratres, dilectio, compaſsio, longanimitas, tolerantia, benignitas, amicitia. Quodnam autem horum cui aduerſetur, inuenies planè, ſi vigiles prudenter, & ad ea incumbas. Rurſus ex cupiditate naſcuntur ventris ingluuies, laſciuia, fornicatio, voluptatum incontinentia, cinædica ſpurcitia, affectus vanæ gloriæ, & ardens auaritia. Sed hæc quoque his contrariis tolluntur, quæ ſigillatim enumerabo. Ieiunium, continentia, humiliatio carnis, vita facultatum inops, & quod eſt præcipuum, pauperum propter Deum miſeratio, viuere ad remunerationem in futura vita, & tandem ad aſſequendam adoptionem filiorum Dei. Quod verò ex his cui ex ſuperioribus opponatur, haud eſt obſcurum. Rurſum cupiditatis & iræ manifeſtè plura vitia cordi ſunt ingenita. Primum omnium ingluuies, & clam vorare. Alterum dæmon fornicationis, inde enim naſcitur. Tertium auaritia, & ſeruitus idolorum. Quartum eſt iracundia, vnde ma-

la exi-

la exiſtunt plurima. Quintum ſcito eſſe ægritudinem. Sextum acediam. Septimum vanam gloriam, quod eſt peſsimum.

ISIDORVS. *Θυμὸς καὶ ὀργὴ δοκεῖ μὲν ἕν τι εἶναι, καὶ τὸ αὐτό, τάχα δὲ ὁ μὲν μηνύει τὴν ὀξεῖαν τοῦ πάθους κίνησιν, τὴν καὶ τὰς ἐννοίας κλέπτουσαν, καὶ τοῦ λογισμοῦ προτρέχουσαν. ἡ δὲ τὴν χρονίαν ἐν τῷ πάθει διατριβήν. διὸ ὁ μὲν θυμὸς περὶ τὴν ἀναθυμίασιν εἴρηται, ἡ δὲ ὀργὴ περὶ τὸ ὀργᾷν, καὶ ἀμύνης ἐρᾷν. καὶ ὁ μὲν θυμὸς γεννητικός ἐστι τῆς ὀργῆς, ἐκ δὲ τῆς ὀργῆς ἡ κραυγή. ἐκ δὲ ταύτης ἡ βλασφημία, ἤγουν ἡ λοιδορεία. Videntur quidem vnum & idem eſſe θυμὸς & ὀργή; ſed fortaſsis illud celerem & repentinam concitationem ſignificat, quæ cogitationes ſurripit, & rationem præcurrit. Hoc, nempe ὀργή, longiorem in ea perturbatione moram. Idcirco θυμὸς dictus eſt quaſi ἀναθυμίασις vapor, exhalatio; ὀργὴ ab ὀργᾷν turgere, & ἀμύνης ἐρᾷν vindictæ cupidum eſſe. Ac θυμὸς quidem ὀργὴν generat, ex ὀργῇ clamor naſcitur, ex clamore maledicentia, ſiue contumelia.*]

Triſtitiam autem ex his ambobus, cupiditate, & ira nimirum, ſecundum idem prouenire, & rurſum vtrique ſuam & maximam eſſe proprietatem ſcias. Ira enim cum viciſsim contriſtare contriſtantem non poteſt, mœſtum ac demiſſum vultum ſubitò parit. Quod ſi deſideratis prorſus exciderit, ex iſta paſsione iterum triſtitia progignitur. Triſtatur enim, qui, quod amat, eo fruſtratur. Iterum duæ iſtæ perturbationes alio modo, ſi videlicet contra tibi eueniat, voluptatem conciliant; nempe ſi fine ſuo potiantur: ſicut mœſtitiam, vt dictum eſt, ſi non potiantur. Opinio boni cupiditatem generat. Quod bonum ſi præſens affuerit, expletur animus voluptate. Contra, opinio mali timorem iniicit, cuius præſentia ægritudinem creat. Qua de cauſſa quidam perturbationem in quatuor hæc genera diſtribuerunt, in cupiditatem, voluptatem, metum, ægritudinem. Cæterùm ambobus hiſce vitiis deterius & maius arbitror ſuperbiam, & inanis gloriæ appetitum; ſiquidem à ratione oriuntur. Per quæ nonnulli, cum angelorum eſſent ſimiles, tantum decus amiſerunt. In angelis enim nec ira, nec cupido reperitur; quæ quidem ad animam ratione carentem ſpectant: & horum vitiorum, vanæ gloriæ, inquam, & ſuperbiæ duplicem originem video: nam ex ratione & cupiditate erumpunt. Ex iſtis octo igitur enumeratis omnis peccati ſpecies, & affectus vitioſi pullulant. Sunt autem horum quoque, vt illorum, virtutes aduerſariæ, à quibus ceu glacies à calore diſſoluantur. A ieiunio enim, & à continentia magnæ belluæ gulæ & libidinis expugnantur. Ex amore autem, feruentique deſiderio erga dominum,

&fu-

& futuram fælicitatem, horroreque tormentorum, ſtatione per totam noctem, & acri ieiunio, incendium & ſpiritus fornicationis extinguitur. Miſericordia, compaſsio, & hoſpitalitas, fides (quod melius, & maius, & præcipuum caput diligendorum omnium) auaritiam, fœtum infidelitatis profligat. Bonitas, & manſuetudo charitatis, iram frangit. Quin etiam bonorum, & miſericordiæ amor, propter gaudium ſpiritus, ægritudo in rebus præſentibus, & mundanarum iucunditatum contemptio. Vitium autem acediæ in gratiarum actione, & præclara patientia, ad Deum ducente, ab operibus demum virtutis occultè patratis, oratione, humiliatione ſuperatur. Quin & vanæ gloriæ cupidus liberaberis, ſi minimè contra proximum ſtultè eleueris; ſicut olim iactabundus contra publicanum phariſæus: te verò omnium vltimum & profiteberis, & reputabis, & Deo omnia rectè facta tua in acceptis referes. Nam ſuperbus quodammodo negat Deum. Si ergo aduerſus recenſita pugnare vis, eaque proſternere maximè, & potenter fugare, tela his contraria, quæ expoſuimus, adhibe; alia enim via hæc in fugam vertere non datur. Sed enim qui tres compreſſerit (id eſt, gaſtrimargiam, auaritiam, vanam gloriam, primum ſcilicet, tertium, & ſeptimum) etiam quinque alia comprimet; per quæ tria inſatiabilis, & nihil non audens dæmon emerſit, inſiluit, dominum tentauit: quibus deditι, longè principes ſunt vitioſorum omnium, mortales peſsimi. Comprimet, inquam, cæterorum audaciam & impudentiam, itemque philautiam turpiorem illis, cuius etiam mater eſt cupiditas, vt quidam ſapiens ſenex, & in actione verſatus dixit. Eſt autem philautia corporis amor irrationabilis. Tria prima horum octo: —

Γαστριμαργία, πόρνη, φιλαργυρία, ὀργὴ, λύπη, ἀκηδία, κενοδοξία, ὑπερηφανία.
Gula, libido, auaritia, ira, triſtitia, acedia, vanagloria, ſuperbia.] ·

— mundo ſubiectorum ſunt: quietam vitam ſectantibus quinque bellum faciunt. Qui tria neglexit, nec aliud reliquorum vincet. Vanæ autem & plurimæ horum octo malorum, peſsimæ proles ſunt, ſuper numerum ferme ſtellarum, ſuper guttas pluuiarum, & arenam maris. Procreant fœtus, & hi alios, & illi rurſum alios, zizania peſsima, & præter naturam, quæ inimicus dormientibus hominibus ſuperſeminauit. Et triticum quidem virtutum germina ſtatuimus, quæ ſecundùm naturam in interioribus, in parte animæ intelligentis, iraſcentis, & concupiſcentis ſentiuntur; ſicut ſingula iam & particulatim diuiſimus, & à ratione prudentiam & iuſtitiam, à cupiditate temperantiam, ab ira fortitudinem, quatuor iſta prodire diximus, ex ſatu tritici videlicet. Cogitationes autem turbulentæ & improbæ

probæ tripliciter intus bellum apertè irritant. Aut enim ipſum appetitum cordis mouent: aut animum ad iram, & bilem accendunt: aut denique rationi tenebras offundunt. Ex quibus contingit, mentem intimam obſcuratam producere in longum ſacras preces non poſſe, intelligentemque & diuinam partem ad lumen diuinum hebetari. τὸ λογικὸν autem omnibus intus præſidens, etiam his duobus ſummè imperat, eaque continet, agitque & fert vndecunque quo vult. Sed virtutum tanquam princeps eſt ratio, perturbationum non princeps, ſed imperatrix potius, τὸ λογικὸν autem eſt ipſiſsimus θεῖος νοῦς (diuina mēs) quæ paſsiones non ſimul & prorſus tollit; ſed vt fortiſsimus reluctator & aduerſarius generoſus, & paſsionum & morum turbas ſternit, œſtrorum inflammationes reprimit, & motiones cohibet, & tela amorum ignitorum extinguit, & impetus cogitationum luctasque auertit. Non tamen in omnibus æqualiter virtutem oſtendit; ſed quibus ineſt mens ſana & optimè ſentiens, & timor diuinus, & nouiſsimorum memoria, in iſtis citra perturbationum moleſtias animus tenet principatum: ſicut quidam ſpiritualis & experientia doctus cenſet. Non poſſunt omnes, inquit, per virtutis ſemitam incedere: ſed ij tantùm, qui continentius viuunt. Virtutum autem & præſtantior, & melior eſt prudentia, quæ cogitatione & ratione vniuersè plurimum adiuuat. Si enim ratio vt bonus auriga, partes quæ quidem naturæ, vt dixi, irrationalis ſunt, fræno autem rationis bene regentis feruntur & parent facilè, in quibus voluerit, bene rexerit, ea materia laudis fit ſanctioris vitę ſtudioſis. Quæ ſunt ſecundum naturam fiunt; quæ contra ſunt, fugiuntur, ſicut in præcedentibus docuimus. Si autem ratio princeps non bene regat, quia deficit, cuius eſt quid deceat iudicare, de cætero omne detrimentum in ſe vertit.

Gregorivs Nyssenvs. Τῇ γὰρ σφαλλομένῃ τῶν νοημάτων κρίσει, ἡ παρεγχείρεσις τῶν πραγμάτων ἀκολουθεῖ. μὴ γὰρ ἐυρὼν ὁ ἀπαίδευτος λογισμὸς ὅποι χρήσεται λυσιτελῶς τῷ ὅπλῳ, ἐφ' ἑαυτὸν τρέπει τὴν τοῦ σιδήρου ἀμυντήριον ὅπλον, τῷ κακῶς κεχρημένῳ ὀλέθριον. *Deceptum intellectus iudicium, ipſa res ſequitur. Cum enim imperita ratio non inuenerit vbi vtiliter armis vtatur, in ſe ipſam ferrum auxiliatorium conuertit, ei qui malè vſus eſt, pernicioſum.*]

Res ſurſum ac deorſum eunt: illico enim veritas putatur mendacium, & quod dulce eſt, amarum, & amarum dulce. Lumen fit tenebræ, & tenebræ lumen; mala naturâ, videntur optima, & optima fugienda. Si quis iſtiuſmodi falſa iudicia faciat, vitium & peccati contagió abeſſe non poteſt. Et tunc zizania cum germine excreſcunt, ſtirpesq; inutiles in agris ſpiritualibus ſe profundunt, vtileq; triticum, & alimento idoneum diſcoloria, & à natura abhorrentia ſuffocant.

Z MAXI-

„ MAXIMVS. *Τὰ μὲν πράγματα ἔξωθεν τοῦ νοῦ εἰσι, τὰ δὲ τούτων νοήματα ἔσωθεν*
„ *τούτου συνίστανται. ἐν αὐτῷ οὖν ἐστι τὸ εὖ τούτοις, ἢ κακῶς χρήσασθαι, καὶ οὐδὲν ἄλλο ἐστὶ τὸ κα-*
„ *κόν, ἢ τῶν πρὸς τὸ τέλος τῶν ἐγκειμένων τῇ φύσει δυνάμεων ἐνεργείας ἔλλειψις, ἤτοι*
„ *ἡ ἄγνοια τῆς τῶν ὄντων αἰτίας ἥτις τὸν μὲν νοῦν πηρώσαντα τὸν ἀνθρώπινον τῆς θείας γνώ-*
„ *σεως παντελῶς αὐτὸν ἀποξένωσι καὶ ἄλλο κατάπαξ οὐδέν. Res ipſæ quidem extra ani-*
„ *mum ſunt, earum verò cogitationes ac ſenſus intra animum conſiſtunt. Penes ipſum*
„ *igitur eſt, hiſce aut bene, aut ſecus vti: nec aliud quidquam eſt malum, quàm opera-*
„ *tionis facultatum naturæ ad finem propoſitum inſitarum defectio, ſiue bonæ omni-*
„ *um rerum cauſſæ ignorantia: quæ cum mentem humanam debilitauerit, ipſam à*
„ *diuina cognitione penitus peregrinam reddit, & aliud prorſus nihil.*]

Nam vt teterrima præterque naturam, & adulterina ſemina cum naturalibus comprehendant, & proueniant, fieri nequit. Voluntas corporis, prudentia carnis, voluptatum impoſtura præter naturam propagines ſunt. Quas ſi ſanctis laboribus oppreſſerimus, ſpiritualia creſcunt. Triticum eſt ſecundùm naturam. Etenim virtutis igniculi à natura nobis ſunt inſiti; motus autem turbidi, præter naturam ſunt, vt dixi.

„ *Κακία μὲν ἢ πάθος φυσικῶς ἐν τῇ φύσει οὐχ ὑφέστηκεν, οὐκ ἐστὶ γὰρ κτίστης τῶν παθῶν ὁ*
„ *θεός. Improbitas, aut illaudata affectio, naturaliter in natura non cohærent ac ſub-*
„ *ſiſtunt; Deus enim turbulentarum motionum non eſt conditor.*]

Si enim improbitas eſſet aliqua, vt ita dicam, ſubſtantiatio aut natura, nec ſectatoribus eius ſupplicium, nec virtutum cultoribus præmium eſſet propoſitum. Si quis ergo conſuetudine mala, & vita malè feriata affectiones à natura alienas in habitum conuerterit, is rurſum conſuetudine bona vim illam vitij in virtutis vim remigrare cogat.

„ ISIDORVS. *Πολλοὶ τῶν ἀνθρώπων τὰ μὲν κακὰ καὶ μὴ μαθόντες δρῶσι, τὰ δὲ*
„ *ἀγαθὰ οὐδὲ διδασκόμενοι συνίουσι, ἀλλὰ τὰ μὲν τιμωρείας τίκτοντα ἀφ᾽ ἑαυτῶν ποθοῦντες*
„ *διατελοῦσι, τὰ δὲ στεφάνων πρόξενα οὐδὲ ἀναγκαζόμενοι διαπράττονται. Multi morta-*
„ *les peccata & vitia quamuis non didicerint, tamen perpetrant, bona autem quam-*
„ *uis ea docti, non intelligunt: ſed ſuppliciis grauida, per ſe amare & concupiſcere*
„ *non deſinunt: coronas autem conciliantia, vt exſequantur adduci neutiquam poſ-*
„ *ſunt.*

„ NILVS. *Θέλησον τῇ βίᾳ τῆς φιλοθέου σπουδῆς ἐκνικῆσαι καὶ λῦσαι τὴν βίαν τῆς*
„ *ἀμελείας. ἔθει γὰρ ἔθος ὑπαλλάσσεσθαι πέφυκε, μόνον μή μοι τὴν τυραννίδα προβάλλου.*
„ *Per conatum ſtudioſè amandi Deum, negligentiæ vim debellare, & frangere velis.*
„ *Conſuetudo enim conſuetudine mutatur; tantum ne tyrannidem obtendas.*]

Poſtquam enim fines ſuos egreſſa fuerit, denuo in ſeipſam celeriter redire compellatur. Et idcircò magnus ille agricola præcepit, relinquenda zizania, vt creſcant cum tritico, vt plaſtes prouidens nobis, ne re

ne re natura pulcherrima orbaremur, ne cupiditas cum germine improbitatis ſimul exſcinderetur. Nam ſi vnà cum iis, quæ præter naturã ſunt, ea quæ ſecundum naturam ſunt omnia extraherentur, natura humana ad auxilium ſuum aliter, & bene iis vti non poſſet. Charitate enim, quæ pulcherrima cupiditatis proles eſt, è nobis ſimul excisa, quod tandem pharmacum vtiliter adhibebimus? Ira autem ſimul diffluente, quæ arma quis ad defenſionem ſui contra hoſtes occultè nos oppugnantes habeat? Armorum quippe loco hominibus ſunt appetitus, & ira. Quod ſi hæc radicitus euulſeris, quomodo nudus ſpiritus ad pugnam & luctam contra dæmones, atq; ad aciem contra principes tenebrarum inſtruendam aggrediatur?

Τῆς ἐπιθυμίας γεννήματα ἀγάπη, καὶ σωφροσύνη ἐστὶ, παρὰ δὲ ἀκόλασις, καὶ ἀσέλγεια. θυμοῦ δὲ λογικοῦ γέννημα φρόνησις, καὶ δικαιοσύνη, παρὰ φύσιν δὲ ἀφροσύνη, καὶ πλεονεξία, ἀνισότης καὶ ἀδικία. καὶ εἴπερ ἔμελλεν ἀνασπᾶσθαι τὰ παρὰ φύσιν, συνανεσπάσθησαν ἂν καὶ τὰ κατὰ φύσιν πάντα. *Cupiditatis ſtirpes ſunt charitas, & temperantia, ad hæc intemperantia. & libido. Ex ira fortitudo emicat, inſuper audacia, & timiditas, præter naturam. Ex anima quæ eſt rationis particeps, prudentia & iuſtitia. præter naturam verò ſtultitia, auaritia, inæqualitas, & iniuſtitia. Quod ſi, quæ præter naturam ſunt, euellenda eſſent, ſimul omnia quæ ſecundum naturam ſunt euellerentur.*

BASILIVS. Τί κέρδος τῆς ἐν πολλοῖς ἀπαθείας τῷ ὑφ' ἑνὸς πάθους φθειρομένῳ τῷ σώματι; καὶ γὰρ ὁ Πέτρος μετὰ τοσαῦτα κατορθώματα καὶ τοσούτους μακαρισμοὺς, ἤκουσεν, ἐὰν μὴ νίψω σε, οὐχ ἕξεις μέρος μετ' ἐμοῦ. *Quid lucri eſt, in multis vacare omni perturbatione, ſi ab vna corpus corrumpatur? Nam Petrus poſt tot egregia facta, & prædicationes tot audiuit,* niſi lauero te, non habebis partem mecum. Ioan. 13.

Qui enim ſecundùm ſpiritum, non ſecundum animam tantùm, ſiue ſecundùm carnem hanc viuere conſueuerunt, eos certum eſt à non bono propter bonum pungi ac ſtimulari. Qui verò viuunt in carne, carnalia ſapiunt. *Animalis enim homo non percipit ea quæ ſunt ſpiritus*, Paulus velut ex alto pronuntiat; non enim eſt ſpiritus, qui ſecundùm carnem viuit, cuius prudentia eſt mors, & periculum magnum, & pugna, & diſtantia à diuinis penitus; diuinis enim legibus omnimodis aduerſatur. Prudentia autem ſpiritus pacem viuam ſcaturit. Qui carnale ſemen ſeminat, de carne metet, metet autem mortem. Qui autem in ſpiritu ſeminat, ſpiritualia metet, & meſſem incorruptionis. 1. Cor. 2. Rom. 6. Galat. 6.

CAPVT XIII.

Quiſnam carnalis, quis animalis, quis ſpiritualis appellandus ſit. Solum id bonum, quod ex libera voluntate procedit, laudem & præmium mereri.

ANIMA. Sed age, differentiam perſonarum, & quis carnalis, quis ſpiritualis, quis demum animalis ſit, mihi declara: nec enim noſcere queo. CARO. Primus horum corpori obſequitur, & corporis voluptatibus ſeruit, vitamq; tantum ſenſibus ſubiectam in rebus caducis exigit, in quo & deterius à præſtantiore ſubactum eſt. Animalis ſolutus & laxus eſt ad habitus reuera non bonos, animumque nondum illuſtratum habet; ſed viuit ad appetitum, qui videtur optimus, motibus, deſideriis, & naturæ blandimentis indulget. Spiritualem vocamus, amantem rerum cœleſtium, qui internis oculis diuina reſpicit, & tantummodo vitam ſempiternam diligit, omnia voluptuaria conculcat, ſanctis exercitationibus ſe dedit, & ſpiritui carnem ſubiicit. Quod ſi placet tibi, rem alio modo explanabo. Vnuſquiſq; ſecundùm naturam & carnem viuentium, planè vocatur animalis, vt qui mente nondum profecerit.

„ CYRILLVS. Ψυχικός ἐστιν, ὁ κατὰ σάρκα ζῶν, καὶ μήπω τὸν νοῦν φωτισθεὶς διὰ τοῦ
„ πνεύματος, ἀλλὰ μόνην τὴν ἔμφυτον, καὶ ἀνθρωπίνην σύνεσιν ἔχων, ἣν ταῖς ἁπάντων
„ ψυχαῖς ἐμβάλλει ὁ δημιουργός. *Animalis eſt, qui ſecundùm carnem viuens, animo per*
„ *ſpiritum nondum illuſtratus eſt; ſed intelligentiam tantummodo humanam inge-*
„ *nitam habet, quam omnium animabus opifex inſerit.*]

Viuentes extra ſpiritum, carnales appellamus. Qui autem naturam ad ſpiritum attemperarunt, ſpirituales audiunt, vt qui virtutem exerceant. Adhuc tertiam explicationem afferam. Mutuò aduerſantur caro, & ſpiritus. In quo caro ſuperauerit, is dicitur carnalis. In quo ſpiritus vicerit, ille eſt ſpiritualis, & iure fructus ſpiritus dicendus.

„ Ὥσπερ διὰ τῶν ὑγρῶν συγκραθεῖσα ἡ ψυχὴ γίνεται σαρκική, οὕτω καὶ τὸ σῶμα διὰ τῆς
„ ἀφθαρσίας τῆς ψυχῆς ἑνούμενον τῷ σπόρῳ τοῦ κυρίου, γίνεται πνευματικόν. *Quemadmodum*
„ *rebus fluxis immiſta anima euadit carnalis, ita corpus per incorruptionem animæ*
„ *ſemini dominico vnitum, ſpirituale redditur.*]

Quod ſi inter ambo pax inutilis fuerit, erit is homo animalis, qui verè cognitionem habet, & vitam animæ inſitam & conceſſam viuit. Nec enim ſeminauit in carne, vt corruptionem metat: nec rurſus in ſpiritu, vt vitam æternam metat; atque hinc vt medium quiddam, & animalis eſt.

„ Οἶδα γὰρ ὥσπερ στάσιν τινὰ βελτίστην, οὕτω καὶ βλαβερωτέραν τὴν ὁμόνοιαν. κρεῖττον γὰρ
„ ἐπαινετὸς πόλεμος, εἰρήνης χωριζούσης θεοῦ. *Scio enim, vt diſcordiam quandam opti-*
mam,

nam, ſic etiam concordiam quandam nocentiſſimam eſſe. Melius eſt enim laudabile bellum, quam pax à Deo ſeparans.]

Qualis ſit carnalis homo, qualis ſpiritualis, & quo pacto ſe vterq; habeat, perfectiſsimè Paulus nouit. Sed tamen eos inter ſe comparans, vtrumque per ſe plurimum valere contra alterum affirmat. Medium tenent locum, quibus non ab exercitatione contigit, ſed abſq; laboribus innata eſt caſtimonia, & honor nullùs habetur, nec coronas merentur, qui ſtatum caſtitatis ſine certamine ſunt adepti. Etenim ex vtero matris eunuchi nati, nec moleſtias ſentiunt fœdi amoris, nec rerum cum perturbationibus coniunctarum. Nec proinde dignandi ſunt gloria, aut gratia, quandoquidem labores non tolerauerunt. Bonum quippe naturale approbationem & laudem non meretur.

Καὶ γὰρ πολλοὺς ἔχω δεῖξαι φύσει μισοῦντας τὸ μίγνυσθαι γυναικί. τούτους οὖν σώφρονας καλέσομεν, ἢ στεφανώσομεν; οὐδαμῶς. Σωφροσύνης γάρ ἐστιν ἐγκράτεια, καὶ τὸν μαχόμενον διὰ κόπου καὶ ἱδρῶτος περιγενέσθαι παθῶν, καὶ τῆς ἐπιθυμίας. *Equidem multos habeo proferre, qui natura ab ineunda muliere abhorreant. An igitur hoſce caſtos appellabimus, aut præmio afficiemus? nullo modo. Caſtitatis enim eſt, continere ſeſe, & pugnando per labores ſudoresq́; perturbationes, & cupiditatem ſubigere.*]

Sin ex animo & voluntate præſtetur, iuſtè coronam ſortitur. Prærogatiua enim, & adiumentum, quod cuiuſpiam naturæ adeſt, non eſt cauſſa laudis in his, quibus adeſt; ſed id potius diuino beneficio attribuendum eſt. Non habetur gratia igni vrenti & illuminanti: ſed magis ei qui ignem ſtruxit. Minimè gratiæ aguntur niui, quod frigefaciat. Sol clariſsimè lucet, lucet, inquam, nec vult lucere. Solum velle quæ præſtantiſsima ſunt, gratiam promeretur. Quod ſi modum exquiras, quamuis carne conſtes, ſuperior amore corporis apparebis, & ſeminabis in ſpiritu euacuata carne. Ego & tu ſpiritui ſeruiamus, corpori nullo modo. Paulus hæc loquitur ad Romanos ſcribens: Si enim ſpiritus Chriſti eſt, etiam in nobis ſit, vt dixit. Si autem quis non fuerit particeps huius chariſmatum, non eſt hic Chriſti, ſed Antichriſti potius. *Quemadmodum igitur portauimus imaginem terreni (& factus eſt in* 1.Cor.15. *animam viuentem*, vt ait Scriptura) *portemus & imaginem cæleſtis*, ſi volumus, & quidem magis; eſt enim ſecundus Adam in quo eſt viuere in ſpiritu, & viuere in incorruptione. Geneſ.2.

MAXIMVS. Εἰκὼν τοῦ χοϊκοῦ ἀνθρώπου αἱ ψυχικαὶ κακίαι ὑπάρχουσι, οἷον ἀφροσύνη, ἀκολασία, ἀδικία. εἰκὼν δὲ τοῦ ἐπουρανίου αἱ ψυχικαὶ ἀρεταί, οἷον φρόνησις, ἀνδρεία, δικαιοσύνη, σωφροσύνη. *Imago terreni hominis præcipua vitia ſunt, amentia, intemperantia, iniuſtitia. Imago autem cæleſtis cardinales virtutes, vt prudentia, fortitudo, iuſtitia, temperantia.*

Ioan. 1. *Quicunque enim ipſum receperunt, dedit eis, inquit, filios Dei* (per gratiam) *fieri:* deos, non filios, quod longè maius atque præſtantius eſt. Quæ ſequuntur, admodum, vt reor, intellexiſti.

CAPVT XIV.

Quemadmodum Deus hominem cum creaturis omnibus communicantem finxerit. Quomodo idem Trinitatis imaginem contineat.

SED vnde cœpit, eodem reuertetur oratio, dicemusque, vt poſſumus, de procreatione propter duo iſta, ſuperiora repetentes ſummatim, & tibi in memoriam dicta reuocantes. Dominus igitur, qui hoſce duos mundos condidit, ſuperiorem nempe, & priorem, poſteriorem, & inferiorem, intelligentiam, & ſenſum, & hæc omnia, hic vnum animal hominem facere voluit, quod ex ambobus iam dictis miſtionem & temperamentum haberet. Et factum, & conditum eſt voluntate creatoris, qui ſua manu & ſapientia hominem finxit.

» Ὅτι πεντάτροπός ἐστιν ἡ φύσις πάντων τῶν ὄντων. νοερὰ ἡ τῶν ἀγγέλων, λογικὴ, ἡ
» τῶν ἀνθρώπων, αἰσθητικὴ, ἡ τῶν ἀλόγων, θρεπτικὴ, καὶ αὐξητικὴ ἡ τῶν φυτῶν. ἄψυχος,
» ἡ τῶν λίθων. ἐστὶ δὲ ταῦτα ἢ ὑλικὰ, ἢ ἄϋλα. ὑλικὰ μὲν τὰ ἀπὸ γῆς, ἀέρος, πυρὸς, ὕδατος
» ὄντα, καὶ τὰ τούτων σύνθετα. ἄϋλα δὲ ἄγγελος, ψυχὴ λογική. τῶν δὲ ψυχικῶν δυνάμεων
» ἡ μὲν ἐστὶ θρεπτικὴ, καὶ αὐξητικὴ, ἡ τῶν φυτῶν δηλονότι. ἡ δὲ φανταστικὴ, καὶ ὁρμητικὴ, ἡ
» τῶν ἀλόγων ζώων. ἡ δὲ λογιστικὴ καὶ διανοητικὴ, ἡ τῶν ἀνθρώπων. καὶ αἱ μὲν δυνάμεις
» φθαρταὶ, ἡ δὲ τρίτη ἄφθαρτος καὶ ἀθάνατος. ὁ δὲ τούτων δημιουργὸς θεὸς ὑπὲρ φύσιν καὶ
» ὑπερούσιος. *Quintuplex eſt natura rerum conditarum omnium. Intelligens, vt an-*
» *gelorum. Rationis compos, vt hominum. Sentiens, vt beſtiarum. Vim alendi, & au-*
» *gendi habens, vt plantarum. Inanima, vt lapidum: Hæc omnia rurſum aut cum*
» *materia coniuncta, aut ab ea ſegregata ſunt. Prioris generis ſunt terra, aër, ignis,*
» *aqua, & ex his concreta. Poſterioris angelus, & anima rationis compos. Faculta-*
» *tum porro ad animam pertinentiam alia eſt nutritionis, alia accretionis, vt in*
» *ſtirpibus videlicet. Alia imaginatrix, & appetens, vt in brutis animantibus. Alia*
» *ratiocinatrix, & cogitatiua, vt in hominibus. Et quidem facultates ſuperiorum ge-*
» *nerum pereunt, tertij generis eſt ſempiterna. Opifex autem horum vniuerſorum*
» *Deus naturam omnem, eſſentiamque excedit.*]

Conſidera myſterium, quod intelligentiam vincit. Vniuerſam naturam ſuperûm & inferûm, & rationes omnis naturæ in vnum frequentes conducens, & ex omnibus, vt collectam, quod eſſet præſtantius ſecernens, à terra frigus & ſiccitatem ſimul, & cum ipſis atram bilem ſumit. Phlegma, humorem, frigus ab aqua. Coæua autem aëris bina-

binarium humoris, & caloris, nec non ſanguinem ab eodem. Calorem, ſimiliterque ſiccitatem ab igne, vnde certum eſt flauam bilem exiſtere. A ſtirpibus vim alendi & augendi, hæc duo inquam. Senſum à rationis expertibus, eumq; admirabilem. A lapidibus & lignis non ſentientibus denſitatem, & cohærentiam in neruis, in oſsibus. Rationem & mentem diuinum quiddam vtique ab angelorum natura, ad quorum ſimilitudinem per hæc accedimus. Animam autem à ſemetipſo contulit, inſpirans ſpiraculum vitæ. Animam ſeipſam mouentem, & moueri nunquam deſinentem, animam ſimplicem, immortalem, nunquam ſeneſcentem, nihil habentem craſsitudinis, nec materiæ corporatæ, naturam ſui iuris & arbitrij, honoratam ratione, conditamque maximè ad imaginem diuinam, non tamen ex diuina ſubſtantia, quod fuge vel cogitare, vel dicere: ſed ex virtute omnipotenti, qua creauit omnia.

THEODORETVS. Ἔχει γὰρ αὐτὴ τὸ λογικὸν, καὶ τὸ αὐτεξούσιον ἑαυτοῦ, καὶ γεννᾷ μὲν ὁ νοῦς τὸν λόγον, συμπρόεισι δὲ τῷ λόγῳ τὸ πνεῦμα, οὐ γεννώμενον καθάπερ ὁ λόγος, συμπαρομαρτοῦν δὲ ἀεὶ τῷ λόγῳ, καὶ συμπροϊὸν τῷ γεννωμένῳ. οὗ δὴ χάριν καὶ ἐνυπόστατός ἐστιν ὁ λόγος, καὶ τὸ πνεῦμα. *Habet enim ipſa (anima) rationem, & liberam ſui poteſtatem. Et generat quidem mens rationem, cum qua procedit ſpiritus, qui non generatur, vt ratio; ſed eam ſemper comitatur, & cum generata procedit. Quam ob cauſſam & ratio ſubſiſtit, & ſpiritus.*

Subſtantiam indiuiduam, in qua ineſt intelligentia, & mens omnino, & verbum mente conceptum: Nam ſermo qui eſt in lingua, proferri & edi foras ad audientes poteſt. Mens, ratio, anima, hæc tria ſunt vna natura, vna eſſentia congenita, ſtabilitatem habens, ſeparationis & ſectionis, & diuiſionis prorſus expers: quin contra potius, vt inſeparabilis Pater, & Verbum, & Spiritus, natura, & virtute; eſt enim μονὰς τριὰς, quaſi dicas vnitas Trinitas, eſſentia vniformis, & dominatus vnus.

Ὅτι ὁ θεὸς συνθέσεως ἀνεπίδεκτος, πάσης ἀϋλίας, καὶ ἁπλότητος ἐπέκεινα. ἁπλοῦν γάρ τι ἐστι, καὶ παντελῶς ἄκρατον, καὶ ἀμιγὲς, καὶ ἀσύνθετον, καὶ ἀσχημάτιστον. *Deus compoſitionem non admittit, omneq́; quod immateriale eſt, & omnem ſimplicitatem ſuperat. Eſt enim quiddam ſimplex, & omnimodis ſincerum, non mixtum, non compoſitum, nec figuram aliquam recipere poteſt.*

Vt autem & hoc dicamus, illud, *ſecundum imaginem*, id eſt, anima, mens & ratio, conſequens eſt, vt inſeparabilia ſint; nam imago, & prototypon eodem ferè modo ſe habent. Quod ſi nihil diſcrepuerint, eſt identitas: neque eiuſmodi res imago, nec ſimulacrum vocanda eſt. Illud enim increatum, imago creata eſt. Et hoc eſt rationale, regnum

animæ

animæ & pars, & mentis quidam partus, & diuinum propugnaculum, & animæ peculium, & ſimul prorſus cum ea natum. Ira porrò, & cupiditas ab anima bruta admiſtæ ſunt animæ humanæ, & cum eadem quaſi in vna ſtatione collocatæ, vt vnà vſque ad extremum cohabitent atque permaneant. Quod quidem quando venturum ſit, ſoli Deo cognitum eſt. Et quia ſimul extiterunt, partes quidem ſunt animæ, non tamen naturaliter ipſa anima; ſiquidem anima non eſt ira, & cupiditas, ſicut ratio, mens, & ſpiritus cognata, eiuſdemque generis ſunt. Neque verò iſta duo ab anima abeſſe nequeunt: eſt enim, cum illi adſunt, eſt cùm non adſunt. Quippe donec anima in corpore perſtiterit, hæc quoque vt inſeparabilia quædam propugnacula ei adhæreſcunt, per quæ aduerſariis oppugnantibus reſiſtit, & aduerſum eos his indiget, ſicut carne ad operimentum & tegumentum opus habet, quamdiu in hac vita verſatur. Vbi è corpore iſto diſceſſerit, iis de cætero non indigebit; ſicut nec corpus examine tegumentis eget. Nam cum tandem iudicij illius tempus aderit, duæ partes iſtæ auferentur. Cauſſa huius rei, ſupra libro ſecundo explicata eſt, ibique teſtis grauiſsimus adductus Gregorius Nyſſenus. Sed vnde digreſſi ſumus, eò redeamus. Duplex dicitur anima, geminis è partibus coniuncta, quarum alia ratione conſtat, alia non conſtat. Eſt inſuper triplex ſeu tripartita, & meritò propter ternionem partium, quæ ſunt ratio, ira, & cupiditas: cum ſubſtantia vna ſit & ſimplex. Nihil enim naturæ corporeæ habet, non figuram, non colorem, non profundum, non interuallum, non longum, non latum. Nulla in ea magnitudo, nulla durities. Quod rationis eſt compos, in eo angelos æquat. Reliquis duobus ad naturam animantium rationis expertium accedit, ira, & cupiditate nimirum, quæ in beſtiis etiam reperiuntur: ex corpore ſiquidem, & anima, commiſtione, temperationeque admirabili Deus hominem effinxit.

» Ὅτι διπλῆ, καὶ ἁπλῆ, καὶ τριπλῆ ταυτὸν λέγεται, ἡ ψυχή· μετὰ δὲ τὴν ἀνάστασιν οὐκ
» ἔσται διπλῆ, ἢ τριπλῆ, ἀλλὰ μόνη ἁπλῆ, ἤτοι λογική. *Anima hîc duplex*
» *& triplex dicitur: poſt reſurrectionem verò nec duplex,*
» *nec triplex, ſed tantùm ſimplex, ſiue in-*
» *telligens futura eſt.*]

CAPVT

CAPVT XV.

Cur anima, cùm ſit incorporea, rebus tamen corporeis ac perituris adhæreſcat. Vnde bellum intra ipſam. Quis pacificator. Quatuor virtutum cardinalium officia. Gratia Spiritus ſancti quando hominibus auxilietur.

ANIMA. Admirationem & ſtuporem commouet mihi, quomodo anima, cum ſit gemina beatis illis mentibus (vacat enim omni concretione corporea) tamen adeò rebus inanibus, quæ ſenſu percipiuntur, implicetur, illarum appetitu ferueat, illis dedita & affixa ſit, & ab iſtis inferioribus ſe abripi patiatur. Non enim oportebat à materia liberam quidquã cum iis habere commune, quæ materia continentur; nec corruptioni obnoxia conſectari, adeoque corrumpi à corruptione alienam, & diuinam; cuius proprium eſt reſpicere, & intendere illuc omne deſiderium, vnde originem ducit. CARO. Quoniam creatura, & mutabilis eſt, etiam ſpiritum mutat. Quidquid enim conditum, & cõpoſitum eſt, mutationi ſubiectum eſt. Immutabilitas autem eius naturæ eſt, quæ ſola naturam omnem ſupergreditur. Animam porrò ſimplicem, incorpoream ſubſtantiam procreauit, eique vſum liberum rationis conceſsit, & agere, ad quod ſe ferri incitarique ſentit. Quamobrem vt quiddam ſui iuris ac poteſtatis, etiam ſpiritum mutat. Conſtat autem, vt dicebamus, duabus, & tribus partibus, ſeu bipartita, & tripartita eſt. Pars quippe illius altera cum intelligentia coniuncta eſt, altera eadem caret, vt ſupra docuimus. Ad ſubſtantiam verò & naturam quod attinet, ſimplex eſt. Atque hinc diuiſio, in qua tertia pars reperitur: præter iram nimirum, & cupiditatem ratio, partium præſtantiſsima, confuſa, & ſimilitudine ſubſtantiæ deuincta cum ſempiternis, quatenus angelorum naturæ reſpondet; ſicut reliquæ duæ partes cum natura belluarum communicant. Paria enim paribus gaudent, & cum iis congregantur.

[Ὅτι πᾶν ζῶον ἀγαπᾷ τὸ ὅμοιον αὐτῷ, καὶ ἄνθρωπος τὸν πλησίον, εἴπερ ἄνθρωπος. *Omne animal diligit ſibi ſimile, & homo hominem, ſi modò omnis humanitatis expers non eſt.*]

Quod mentis & conſilij eſt, ſubſtantiam eiuſmodi concupiſcit, immortalemque angelorum alimoniam eſurit. Quod ratione caret, infra poſitum, humi naſcentem, corruptibilem & fluxum planè cibum appetit. Quoniam igitur hæ partes, licet ſimul ſint, inter ſe diſcordant, & cominus congrediuntur, & bellum quoddam conflatur,

tur, anima & corpore decertantibus, viciſsimque ſe acriter prementibus, & ſeditioſè exagitantibus, dum illa pars ſuperna deſiderat, eaque intuetur: iſta hæc inferiora propenſiſsimè appetit, & corpus pondere ſuo terreno ad infima declinat, ſpiritus violenter ac per tyrannidem deorſum trahitur, & ad improbos affectus impellitur, vnaque prolabitur.

» Ὁ Παῦλος τὸ σῶμα οἶδε σάρκα καλεῖν, οὐ τὴν τοῦ σώματος φύσιν, ἀλλὰ τὴν πο-
» νηρὰν προαίρεσιν. ὡς ὅταν λέγῃ, ὑμεῖς οὐκ ἐστὲ ἐν σαρκὶ, ἀλλ' ἐν πνεύματι. καὶ πάλιν,
» οἱ δὲ ἐν σαρκὶ ὄντες, θεῷ ἀρέσαι οὐ δύνανται. αὐτὸς δὲ ὁ ταῦτα λέγων οὐ σάρκα περιέκει-
» το; οὐ τοίνυν περὶ τούτων φησὶν, ὅτι ἀντίκεινται ἀλλήλοις, ἀλλὰ λογισμῶν πονηρῶν. καὶ
» ἀγαθῶν μάχην εἰσάγει. τὸ γὰρ θέλειν, καὶ μὴ θέλειν τῆς ψυχῆς. διὰ τοῦτο φησὶ, ταῦτα
» δὲ ἀλλήλοις ἀντίκειται, καὶ ἵνα μὴ συγχωρήσῃ τῇ ψυχῇ πορεύεσθαι ἐν ταῖς ἐπιθυμίαις
» αὐτῆς ταῖς πονηραῖς, καθάπερ τις παιδαγωγὸς, καὶ διδάσκαλος καθοδηγῶν ταῦτα ἐφ-
» θέγξατο. *Paulus corpus carnem vocare conſueuit, non quidem naturam ipſam*
» *corporis hac voce intelligens, ſed peruerſam voluntatem. Vt cùm dicit*, vos non
Rom. 8. » eſtis in carne: ſed in ſpiritu. *Et iterum*, qui autem in carne ſunt, Deo
» placere non poſſunt. *Nam ipſe ille, qui hæc dicit, an non carnem indutus erat?*
» *Non ergo hæc ſibi aduerſari ait; ſed de improbarum, bonarumq́; cogitationum*
» *certamine loquitur. Etenim velle, & nolle, penes animam ſunt. Atque idcirco*
Galat. 5. » *ait*, hæc autem ſibi inuicem aduerſantur. *Et vt anima, in prauis cupidi-*
» *tatibus ſuis procedere ne permitteret, tanquam pædagogus, & magiſter in viam*
» *meliorem nos ducens, hæc prolocutus eſt.*]

Mens autem vt imperatrix quædam, & domina etiam perturbationum, & vt ſuprà tetigimus, diuinus animæ oculus, & ornamentum, & inſtrumentum ex altera parte tutamen rationis obiicit, & tota cogitationis vi interuenit, & momenta duelli huius inſpicit: arbitriumque, vt iudex & diſceptator æquus ac ſapiens pronuntians, cogitationes meliores à deterioribus dirimit, & illas admittens, has foras eiicit; atque vt inſpector iudicans, ſententiam fert, ſeu quid natura iuſtum, ſeu præter naturam fuerit. Menti τῷ νῷ quatuor facultates annexæ ſunt, intelligentia, ingenij acrimonia, comprehenſio, ſollertia. Hæc quatuor, inquam, inde tanquam à matre prodierunt, & velut à ſtirpe pullularunt. Aſt animæ tripartitæ germina rurſum hæc ſunt. Τοῦ λόγου, rationis prudentia, & iuſtitia, vt ſapientiſsimus magiſter Ioannes Damaſcenus ait. Cupiditatis pulcherrima ſoboles eſt temperantia. E calycibus iræ fortitudo prorumpit. Prudentia, quæ prima, & pulcherrima eſt, peculiare munus habet, ſcrutari, & pernoſcere profunda ſpiritus. Iuſtitia æqualitatem ſeruare, & amicitiam, bene iudicare, bene rationes ſubducere, conuenientia, vtiliaque diſpenſare. Aequali-

tas enim ad ius pertinet, quo enim alio pertineret? Temperantiæ proprium eſt caſtimoniæ ſplendor, & gaudium ſpiritus, & alia quæcunque de ea ſcribuntur. Generoſæ fortitudinis bellum contra vitia, quod gladio inſtans, eorum impetus & incurſus prætruncat. Perſpicuitatis ergo exemplum, breuiſsimamque notionem ad dilucidiorem notitiam eius quod diximus ſubiungemus. Eſt animæ conſcientia, ſiue lex quædam, cum legibus præceptiſque diuinis conſpirans, optimorum operum cooperatrix, & adminiſtra; & illa conſcientia eſt lex ſpiritus. Contrà lex peccati, ſiue lex carnis ſeductrix, ex impreſsione dæmonum inhærens membris noſtris, & vt ignis inflammans, & æſtuantium cupiditatum dulcitudine demulcens, paribus armis legi conſcientiæ aduerſatur, volentemque parere legibus domini, laceſsit, indeque ſpiritum quanquam peccati fraudulentiam indignantem, velut captiuum abducit. Vt inimiciſsima autem blandimento voluptatis pugnat, atque ita peccati, quod ſeruile eſt, ſeruum facit. Sed diuinus paracletus miſerans hoc incommodum, aduerſus ſpuriam & fallacem carnis legem robur deſuper præſtãtiori legi ſubminiſtrat. Lex autem carnis eſt cupiditas, irrationalis animæ pars. ANIMA. Et quomodo, & quando gratia nobis opitulatur? CARO. Cum quis amorem & timorem domini acquiſierit, & perpetuò nouiſsimorum, vt ſuprà monuimus, memor fuerit. Cùm res aduerſas gratias agens tolerauerit. Cum ſemper orauerit, & diuinitus inſpiratas ſcripturas aſsiduò ſecum pertractauerit.

CAPVT XVI.

Prima origo belli inter corpus & animam. Diaboli oppugnationes nobis accidere ſalutares. Anima quorum extra corpus recordetur. Quomodo abſq; corpore Deum laudet. Quo pacto aſficiantur ſpiritus beati, exuti corporibus, & ſenſus ſine ſenſibus habeant. De incremento fœlicitatis animarum in ſecundo Chriſti aduentu.

ANIMA. A principio corpus & anima in ſummâ tranquillitate viuebant, conueniebatq; illis naturaliter, & vigebat inter ea nulla offenſione intercedente concordia. Vnde ergo, & quînam in tantas dimicationes inciderunt? & quæ vtrinque pugnarum iſtarum cauſſæ? CARO. Ex quo tranſgreſſio hominum generi euenit, ex quo, inquam, Adamus lapſus eſt, bellum inter hæc geritur, & ex eo, abrupto fœdere intra nos, miſerè & à Deo, & ab Edem exturbatos, natum eſt, de quo ſatis multa in præce-

dentibus diſſeruimus. Reſtat proinde diabolus, de quo etiam dicendum, quomodo tandem hoſtis hominibus relictus ſit, permiſſu creatoris, quo iudicio, ipſe nouit. Et quomodo non perierit omnino, quo nihil eſt exitioſius. Sed age, huius cauſſam, ſeu rationem nunc accipe. Vita iſta ſtadium, & certamen quoddam, & lucta eſt. Si hoſtis defuerit, quo pacto laudem aſſequemur? Si certamen nullum ſit, qua ratione dux quiſpiam regi charus fortiter ſe geret? Si abſint certamina, quomodo præmia certaminum, & honores, & dona his qui legitimè certauerint, tribuentur? Si ſcandala non veniant, quomodo firmus quiſpiam, & conſtans apparebit? Si quem nulla inceſſat tribulatio, quomodo gaudium nanciſcetur? Si frigida hyems non præcedat, quando eſtas effulgebit? Itaque & dæmon ad bellum contra nos exardeſcat, vt dum tyranno reſiſtimus, aduerſario percuſſo victoriam referamus (mirum cùm ſit incorporeus eum vinci ab hominibus) victoreſque, vt ſtrenui bellatores, honorentur, & coronam accipiant immarceſsibilem, quemque ille ante caſum ſuum tenuit, ſtatum, conditionemque adipiſcantur. O abyſſum benignitatis, ô diuitias miſericordiæ, odiũ, ſtudium, perdendi, petitiones ſeductoris ad vtilitatem, ad gloriam ſuorum amicorum conuertit, qui omnia in melius mutat. Et fit quiddam tale, quale ſi medicus quiſpiam viperis, aut aliis quibuſdam tetris, & nocentibus alioqui medicamentis ad ægrotorum curationem vteretur; quemadmodum & fraternum odium Ioſepho vtilitatem maximam apportauit, & ſingularis cuiuſdam œconomiæ materia fuit, qua Deus etiam vendi permiſit iuuenem pulcherrimum, vt eum Aegypti Principem conſtitueret. *Gen.37.41.* Similiter & Satanam certaminis noſtri præſes nos oppugnare non vetat, vt trophæa de inimicis ſtatuentibus, coronas gloriæ nectat. Quanto difficiliora certamina, tanto illuſtriora decora. Quò grauiores afflictiones, eò ſplendidiores coronæ. Pro portione enim merces labori perſoluitur; id quod iam ante perſpicuè docuimus. Sed pelagus clementiæ & bonitatis perpende. Labores ac tribulationes vnà cum hac vita finiri, abſoluique vult, quæ anguſtis terminis circumſcribitur, & in qua cum perpetua ſint quæ affligunt, perpauca ſunt quæ animos recreant. Quia nimirum quidquid eſt huius generis, futuro ſæculo reſeruat, per cuius ſpatia nullo vnquam fine claudenda fælicitas extendetur. ANIMA. Ego porrò illud etiam atque etiam, vehementerque admiror, quomodo anima diuinarum mentium ſimilis, hoſtium intelligentia præditorum, atque ideo natura parium inſultus præuidere nequeat. Sed in cauſſa eſt carnis craſsities, quæ prohibet. Itaque vbi corpore ſoluta fuerit, tum

rit, tum denique præuidebit. CARO. Significatum eſt præcedentibus diſputationibus, tres in cerebro facultates ineſſe, reminiſcẽtem, imaginantem, cogitantem videlicet, per quas meminit, cogitat, & videt. Sed ſi fortè lædatur aliquo modo vis cerebri, ictu teli aut gladij mortifero, hæc tria à medicta ſimul amittit; otioſa eſt enim memoria, & phantaſia tota, otioſa item cogitatio, prudentia, cognitio, actio, motio, & operatio. Num igitur dicemus animam, cum expedita corpore ad Chriſtum, Eccleſiæ caput, vt ſcriptum eſt, exceſſerit, talem exceſſuram? Recordari tum poterit notorum & cognatorum, & amicorum & fratrum ſuorum, & liberorum, & parentum, ac pro iis ſuppliciter orare dominum, ſicut tertia diſputatione confirmauimus, idque nec cerebrum, nec cor, nec aliud membrum corporis habens, in quibus mens, vt in ſedibus ſuis manere, & requieſcere creditur, nec organum aliquod vocis, non linguam, non labra denique. ANIMA. Exoritur mihi ſcrupulus. Quo pacto dixiſti ante, memoriam tunc amicorum nulla obliuione deletam iri, & tamen eam citra corpus nihil poſſe? CARO. Et hoc exemplo quodam breui declarabo. Etiam pſaltes, citharœdus arte muſica temperare melos citra inſtrumentum non poteſt, nec tibicen, ſi tibias fractas habuerit. Corpus eſſe puta organum, ſeu inſtrumentum, artificem ipſam animam. ANIMA. Ne cuncteris, néue tardes dubitationem ſoluere. CARO. Apparet te valde obliuioſam, & immemorem eſſe eorum, quæ tertia diſputatione diſſerui, & memoraui. Mens enim quamuis penitiſsimè ſola, longè plurima & bona & mala operatur, & Deum, ſi modò pura ſit, & ſi voluerit, vocibus cordis intrinſecis celebrat, nec alicunde prohibetur, quantumuis anima adhuc corpori colligata. A quo exempta, id magis etiam magiſque facit: quando Deo præſens, ſublato iam ſpeculo clarius ipſum manifeſtiusq; contemplatur, & pro amicis ſine voce precatur, vt quæ à ſemetipſa ſemper moueatur, & incitetur. Laudes enim diuinas indefeſsè cum angelis celebrare non dormientis, ſed vigilantis eſt. Quod eam præſtare ſanctorum Patrum cœtus docet. Lingua, & ſermone huic vitæ, & hominibus hic viuentibus inprimis opus eſt, quod quidquam vel audire, vel efferre, vel ſenſa aliorum, quæſtiones, placita niſi per ſermonem ore & lingua prolatũ, & cogitata per aërem medium indicantem intelligere nequeunt. Nec poteſt anima quamdiu in tabernaculo ſuo habitat, ſine inſtrumentis, & voce ſententiam ſuam enunciare, & agere quæ vult, & agi eſt opus; nec motu externo ad opera moueri, per quæ qualis ſit agnoſcatur. Tunc abiecta carnis mole, cum ad mundum ſupramundanum peruenerit, ad mundum intelligentem, immortalem, omnis materię expertem ac diuinum, vt

Ephes. 1.

1. Cor. 13.

materia vacans, vt ratione vtens, & ſubſtantiæ ſocia, non eget horum aliquo quæcunque corporata ſunt: non cerebro ad memoriam, non corde, & viſceribus. Præſtantiorem verò aſpectum conſequitur mens (quæ cum anima nata & cum ea vnum & diuinum eſt) ſermonis autem vocalis tunc nullus erit vſus.

» Basilivs. Βλέψις μὲν γὰρ τοῦ σώματος ὁ ὀφθαλμός. ὅρασις δὲ τῆς ψυχῆς ὁ συμφυὴς
» αὐτῇ νοῦς, ἀλλ' οὐχ ὡς ἕτερον ἑτέρου, ἀλλὰ ταυτὸν νοῦς καὶ ψυχή. δύναμις ὑπάρχει φυσική
» τις, καὶ οὐκ ἐπείσακτος, τοῦ λογιστικοῦ τῆς ψυχῆς μέρους. ὄμμα μὲν ψυχῆς ὁ νοῦς, ὄμμα δὲ νοῦ μά-
» θησις. *Viſus corporis eſt ab oculo, viſus animæ à mente ſibi ingenita videlicet; non ita*
» *tamen, vt alterum alterius natura ſit; ſed idem eſt mens & anima. Eſt ſiquidem*
» *naturalis quædam facultas partis animæ rationalis, & non aduentitia. Et oculus*
» *quidem animæ eſt mens; oculus autem mentis cognitio.*]

Aſt interioris, qui in affectu, & motu rationali eſt vt partus, & notio, & munimen rationis, ſiue animæ & mentis diuini aſpectus, huius inquam vſus erit. Non eſt autem aliud ab alio, ſed idem natura, ſupernis & à Deo donatis ſplendoribus excitatum, citra vocem, & ſermones qui ſentiuntur. Sermo autem iſte noſter per enuntiationem, nec aliter profertur, vt à circumſtantibus percipiatur. Paradigma verò prius de cithara, non vſquequaque cum anima, qua rationem obtinet congruit. Anima enim ſeiugata eſt à materia qua cithara conſtat. Incorporeum porrò; & corporeum inter ſe diuerſa ſunt, & nimium quantum alterum ab altero diſtat, & vtrumque comparationem propriam ex eodem, & ad idem, ſecundùm naturam ſortitur. Cum ſenſu enim ſenſus, & intellectio cum intellectione, vt ſimile cum ſimili comparatur. Ne putes autem ſpiritus perinde affici, cùm hinc euolarint, vt hic afficiebantur. Alio modo ſe habent vtique. Illic enim diuinis fulgoribus illuſtrātur, & à patre luminum luminibus replen-
Iacob.1. tur, prout quiſque ad fruendum lumen eſt idoneus. Sicut enim ignis ferrum penetrat, & quanquam denſum, tamen facilè penetrat, naturamque ferri ignitam, & ignem efficit: quod cum alioqui nigrum ſit, rubeſcit, & obſcurum fulget, & frigidum caleſcit, & inceditur, & vrit; & quod tangi poterat, propter ſuſceptum ignem fit intractabile; ita tu de anima, & de eius ſplendore velim ratiocineris, à quo ex diuinitatis contemplatione clareſcit, poteſtque intellectuali modo videre, loqui, & audire, & ſentire lumen, & cum angelis exultare gaudio, & eadem cum illis contemplatione perfrui, & contubernalis, & cohabitatrix iuſtorum appellari: non tamen ſecundum ſenſum corporis, ſed intelligentiam ſolam. Sunt enim hæc eiuſmodi natura ſua, vt tantum intelligant, & intelligantur, & illos quinque corporis ſenſus omnes effugiant. Mente ſola vtitur, ea videt, & præuidet, viſu acutiſsimo, ange-

lorum

lorum proprio, diuinasq; & nunquam viſas pulchritudines contemplatur. Quod ſi quæ dico tibi paradoxa videntur, ad fidem confirmandam paradigma adhibebo.

Ἰστέον, ὅτι ἄλλο ἐστὶ παράδειγμα, καὶ ἄλλο παραβολή. παράδειγμα μὲν γάρ ἐστιν ὅταν ἀντεξετάσω, καὶ παραθῶ ὅμοιον ὁμοίῳ, οἷον λογικὸν ζῶον λογικῷ, καὶ ἄλογον ἀλόγῳ· παραβολὴ δὲ, ὅταν ἀνομοίῳ ἀπεικάσω ἀνόμοιον, οἷον λέοντι ἄνθρωπον, ἢ φυτῷ, ἢ ἄλλῳ τινὶ τοιούτῳ. Sciendum, aliud eſſe paradigma, aliud parabolam. Paradigma quidem eſt, ſi ſimile ſimili conferam, & componam: vt rationale cum rationali, & rationis expers cum rationis experte. Parabola, cum inæquale ſeu diſsimile cum diſsimili, vt hominem cum leone, aut planta, aut alio huiuſmodi.]

Si noctu per quietem videres iuuenem aliquem ſtatura eximia, formaque pulcherrimum, arte inſuperabilem, opere inimitabilem, ſpecie maximè inuidenda, procul à patria ſua, externis, internisque claritatibus conſpicuum, incredibili candoris nitore ornatum, capillorum, auro magis radiantium varietate diſtinctum, vndiq; circumfuſorum luminum flammis coruſcantem; plauſus & carmina à miniſtrorum turbis ferentem, & miniſterium perpetuum, longeq; iucundiſsimum. Incidiſti tum quoque in amicum valde clarum, quem vidiſti nunquam, quærebas autem reperire, & videre etiam oculis, ſicut cogitationibus vidiſti. Abſentem enim ex fama tantum dilexeras, vt amicum laude dignum, & in numero ponendum. Si tibi contigerit hæc in ſomnis videre, an potes dicere, quomodo tum ad locum acceſſeris, & quomodo in lectulo iacens, & manens, & dormiens, & interno motu immobili commotus ad res illas, vt putabas, adieris, quibus tandem pedibus, qua carne totum curſum repente celeriterque peregeris? Quibus oculis intuitus ſis faciem, quibus auribus audieris, quæ te audiſſe putas? quibus porrò labiis amicum oſculatus? quo ore, qua lingua eum allocutus? Verè mihi reſpondebis, non vidi faciem oculis corporis; quomodo enim conſopitus viderem? ſed mentis & animæ pupillis, hoc certum eſt. Si hæc mihi reſpondeas, id dicis, quod amantem veritatis decet, & ego teſtimonium tibi feram, & aſſentiar. Tale quid de ſpiritibus, & animabus concipe: has, cùm hinc emigrauerint, ſenſus aſſumere ad loquendum, & videndum, & cæteros omnes. Sed aſſumere ratione quadam non corporea, dum natura quæ eſt ſupra naturam operatur in omnibus, & fit omnia omnibus, ſupra quam comprehendi poteſt. Non enim diuinum numen eget ore, non corpore, non lingua, non aliquo alio ad communicandum ſpiritibus, & animæ cuilibet, quæ voluerit. Sed quemadmodum virtutibus adminiſtratoriis, ita his eadem largitur. Sententia enim cum ſentientibus, & intelligētia cum intelligentibus, vt ſimilia cum ſimilibus

libus conferre iuſtum eſt. Intelligentia autem cum ſentientibus è diuerſo comparare nefas, propter naturarum diſcrimen ſcilicet: ſed incorporea cum incorporeis, & corpora viciſsim cū corporibus componere oportet.

Αἱ γὰρ συγκρίσεις ἐπὶ τῶν ὁμογενῶν εἰώθασι γίνεσθαι. ἐκ γὰρ τῶν ὁμοίων τὰ ὅμοια καταλαμβάνεται. μὴ οὖν πάντα ἐν τῷ παραδείγματι ἀπαίτει, ἢ ἐν τῷ τύπῳ, ἢ ἐν τῇ εἰκόνι. οὐδὲ γὰρ ἂν εἴη παράδειγμα, ἢ τύπος, ἢ εἰκὼν, εἰ μέλλει πάντα ἔχειν ἀνελλιπῆ τὰ τῇ ἀληθείᾳ συμβαίνοντα, ἀλλὰ ταυτὸν ἐκείνῳ. *Comparationes enim in his quæ eiuſdem ſunt generis, adhiberi conſueuerunt: ex ſimilibus quippe ſimilia diſcuntur. Ne igitur omnia in paradigmate reſpondere poſtules, aut in typo, aut in imagine. Nec enim iam paradigma, aut typus, aut imago eſſet, ſi haberet omnia abſolutè, quæ in ipſa re verè inſunt, ſed idem prorſus.*]

Quæ autem ſuperis ac cœleſtibus cum his infimis terrenisq; comparatio, aut conuenientia? aut quæ communio menti cum his quæ apparent; aut corpori cum his, quæ corpus non ſunt? Quod ſi quis tota cum totis contulerit, non iam paradigma, ſed, vt ita dicam, identitas erit. Cùm itaque in materia vacantibus comparationem non inueniam, paradigmatis materialibus neceſſariò vtor. Quare ne reprehende, ne indigneris, cauſſam enim ignorantiæ meæ prius enuntiaui. Mens intrinſecus quæ concepit, ſeu cogitata ſua profert apud ſe, idq; ſemper, nec patitur; quæ quidem foras ad alios depromi, & ab iis cognoſci non poſſunt. Nec enim poteſt etiam lingua, & ad audientes notionum & intelligentiarum ſuarum fœtum proferre. Veruntamen quomodo non poſsit, dicere non habeo prorſus. Partus enim mentis, tametſi ſermone ſint explicabiles, tamen aliquando eos ſermo exprimere nequit. Si enim poſſes edere, & in lucem efferre, tunc etiam donum aliquantum maioris cognitionis, & ab vniuerſorum Deo chariſma qualecunque haberet.

GENNADIVS. Ἔστι γὰρ γνῶσις λογικοῦ χωρὶς λόγου, καὶ ἔστι γνῶσις μετὰ λόγου. εἰσὶ γὰρ πολλοὶ γνῶσιν μὲν ἔχοντες, λόγον δὲ οὐκ ἔχοντες, οἷον ἰδιῶται, καὶ μὴ δυνάμενοι παραστῆσαι σαφῶς, ἅπερ ἔχουσιν ἐν διανοίᾳ, καὶ εἰπεῖν ἄχρις οὗ λόγον ὁ Θεὸς παράσχοι τούτοις. *Eſt enim cognitio, quæ ſermone explicari poteſt, abſque ſermone: & eſt cognitio cum ſermone. Sunt enim multi, cognitionem quidem habentes, ſermonem nequaquam; vt idiotæ, & qui non poſſunt ſignificare ac docere perſpicuè, quæ in mente habent, & proferre, donec Deus his ſermonem impertiuerit.*]

Paradigma breue in hanc rem afferemus. Vt ſi quis ad homines diuerſæ linguæ venerit, & tempore quantum placuerit apud eos conſumpto, voces quidem ipſas intelligat, eas tamen ore pronuntiare nequeat, nec vllo modo dialectum, ſeu peculiarem genti linguam ſua lingua verſare. Tale igitur & mihi vſu venit. Senſum ac mentem ſcriptorum

ptorum optimè percipio; ſed quæ percepi, non etiam lingua depromere poſſum. Sed vnde deflexímus, eò rurſus redeundum, & probatio maior ponenda in eorum gratiam, qui res animæ è teſtimoniis ſcripturarum,& doctrina ſacra perdiſcere cupiunt. Per quæ quantum animæ valeant perſpicias. Verùm age, quæ hîc ſcripta ſunt audi.

Ex Cyrillo Patriarcha Alexandrino.

Rationis capax, & intelligens anima, poſt diſceſſum ex hoc corpore & viuit, & permanet, & loquitur congruenter,& operatur ſimiliter,non ſub imagine, ſed verè, & ſubſtantialiter, erga Deum habens fiduciam,quo iubente mittitur in hanc vitam, propter aliorum multorum commoditatem. Etenim cùm ſemper moueatur, nunquam non agit. Deus vtique non eſt mortuorum,ſed viuorum,omnes enim illi viuunt. Quod ſi non operantur animæ (vt multis placet) neque etiam viuunt. Nam non operari,corporum eſt mortuorum,& immobilium. Deus ſpirituum, & omnis carnis. Deus ſpirituum, videlicet animarum. Spiritus autem mortui, & immobiles non poſſunt eſſe. Aiunt itaq; tres pueri,*benedicite ſpiritus & animæ iuſtorum Domino.* Quod laudant & benedicunt iuſtorum animæ, non eſt dormientium, nec otioſorum. Et qui videt angelorum viſionem, angelos videt. Et qui videt animas ſanctorum, animas ſanctorum videt. Et ordo in ordinem non conuertetur, & quæ ſequuntur. *Daniel.3.*

Locus longior eſt fortaſsis, in libris contra Iulianum: & ipſa ſcripta D.Cyrilli extant,vnde ſibi reliqua petere quis poterit.

ANIMA. Si igitur veriſsimum eſt, vt eſt planè, animas bonorum in cœlum ſubuehi, in quibus locis Dei filius, ſuper throno, ad dexteram Dei patris reſidet, vt ſcriptum eſt, & miniſtratoriæ virtutes cum timore circumaſtant,vt iam antea ſecundo libro docuiſti, euehuntur autem, vt præmia coronarum accipiant, quando iudex omnium ad iudicium exercendum venerit, num tanta gloria poterit contingere quippiam iucundius? Et quænam omnino gloria hac præſtantior contingat;aut quomodo glorificetur penes quod eſt omnis gloria,& gloriam omnem, ſermonemque ſuperans? Apud quem ſunt omnes diuinæ gloriæ theſauri. Nam quod plenum eſt, externa acceſsione haud indiget. Animabus autem tantum impertitur gloriæ & claritatis, habita ratione cuiuſque meritorum, vt multum etiam ſuperſit. Idem angelis fit. *Coloſſ.3.*

DIONYSIVS. Καὶ γὰρ καὶ τὰς τῶν ἀγγέλων νοερὰς οὐσίας μανθάνομεν ὅτι περιλαμβάνουσι, καὶ ἀεὶ ἀπὸ δόξης εἰς δόξαν, καὶ ἀπὸ γνώσεως εἰς γνῶσιν, καὶ ἀπὸ λαμπρότητος εἰς “

λαμπρότητι θείαν προσεχόμενοι. Etenim ita intelligentes angelorum naturas nouimus adhuc aſſumere, ſemperq; à gloria in gloriam, & à cognitione in cognitionem, & à charitate in charitatem proficere.]

CARO. Nunc pars modica gloriæ illius vniuerſæ, aut pignus potius quoddam conceditur, vnde tanquam ex vngue leonem coniicias, gloriæ, inquam, quam iuſti ſunt adepturi, quando, vt docuimus, in gloria iudicatum venerit, & corpora rediuiua prodibunt, vt ſimul gloria afficiantur & maiore, & inſigniore, & gaudium ex gaudio, gloriam ex gloria percipiant, præſente iam fine ſæculi cum dominus ad finem rebus inducendum venerit, vt dixi.

Μέρος τι τῆς δωρεᾶς ἐστιν ἀῤῥαβὼν, καὶ μικρὰ ῥανὶς ἀπὸ τῆς χάριτος ἐκείνης. τότε δὲ ὁλόκληρος ἡ χάρις τῆς δωρεᾶς τοῦ χριστοῦ δοθήσεται τοῖς ἀνθρώποις. καὶ ἡ λύπη δὲ ἣν ἔχουσιν αἱ ψυχαὶ τῶν ἁμαρτωλῶν, τῆς ἐν τῷ ᾅδῃ μερικὴ κόλασίς ἐστιν. εἰ γὰρ μόνη κατώρθωσεν ἡ ψυχὴ, μόνην καὶ στεφανωθῆναι ἐχρῆν. ἐπεὶ δὲ μετὰ τοῦ σώματος ἐνδραγάθησε μετ' αὐτοῦ ὀφείλει τὰ γέρα λαβεῖν, καὶ τὴν δόξαν ἐν τῷ μέλλοντι αἰῶνι. Pars quædam doni eſt arrhabo, & parua gutta de gratia illa. Tunc vniuerſa gratia doni Chriſti dabitur hominibus. & triſtitia quam habent animæ peccatorum, infernalis ſupplicij pars eſt. Si enim ſola anima rectè feciſſet, ſolam quoq; coronari oportebat. Quia autem cum corpore bona egit, cum ipſo debet præmia accipere, & gloriam in futuro.]

Ioan 20. Quando igitur Saluator exſurgens è ſepulchro, primùm ad diſci-
Iſaia 9. pulos intus congregatos acceſsit, & pacem dedit, vt princeps pacis, munus maximum diuinum ſpiritum eis donauit. ANIMA. Num perfectè & integrè ſpiritum acceperunt, aut quid tandem? CARO. Ne iſtuc cogites, neue dicas, non totum, vnum autem tunc chariſma, ſoluendi ligandique hominibus peccata acceperunt. Cùm adueniſſet autem deſtinatus dies, diſcipuli gratiam totam ſpiritus acceperunt. Simile de animabus cogita, cum iudicium venerit, & iudex ſederit, vt in tertio libro dictum eſt. Nunc etiam ſuper hoc paradigma ponendum. Et plurimi & optimi viri in regali palatio degunt, & tempore aliquanto regi ſeruiunt, eum intuentur quotidie, & amant: non tamen ſtatim honorum præmia conſequuntur; ſed poſt, vt merentur, ita eis gratia refertur, & conditione, & nomine, & ordine, & omni dignitatum ſplendore cohoneſtantur. Non admodum diſsimilis eſt animarum ratio. In cœlis quidem perfectè habitant, creatorique aſsiſtentes, eum contemplantur & gaudent. Sed cum tandem corpus quoque in reſurrectione illa omnium communi receperint, tunc etiam gratiæ gloriam, & laborum præmia pleniſsima, coronasque adipiſcentur.

CAPVT XVII.

Chriſtum cum latrone in paradiſum illum terreſtrem non introiiſſe, nec vllam animarum ſanctarum poſt eius reſurrectionem eò introire.

CHRISTO crucifixo, & in vitam reuerſo, nunc iam nobis fidelibus poſt præſentem vitam terreſtri, & ſub ſenſum cadente paradiſo non eſt opus, ingreſſu in cœlum omnibus patefacto, exultantibus ſemper apud ipſum, vt & nos ſimus, vbi ipſe eſt. Ait enim, *vt vbi ego ſum, & vos ſitis.* Quod porrò Damaſcenus ait, in ſepulchro corpore, apud inferos anima, vt Deus in paradiſo cum latrone, & quæ ſequuntur, ad opinionem confirmandam nihil valet. Etenim in his omnibus Chriſtum eſſe dicit, ſed deitate ſola, qua implet omnia. Noſtræ autem carnis maſſa plenè ſubſiſtens, in cœlum aſcendit, & viam nobis eodem aperuit denuo, vt ſecundum diuinum promiſſum, vbi Chriſtus ipſe eſt, & nos ſimus. Ait enim, *quò ego vado vos ſcitis, & viam ſcitis, vt vbi ego ſum, & vos ſitis.* In hunc enim raptus Paulus, & ingreſſus, audiuit arcana verba. In paradiſum, quem tu iuxta affirmationem diuinarum literarum cognitione non aſſequeris. Sed Paulum mihi de hoc ad Corinthios ita differentem conſidera. *Scio hominem in Chriſto ante annos quatuordecim, quoniam raptus eſt in paradiſum, & audiuit arcana verba.* Hunc paradiſum & magnum Baſilium adeptum ſcito, ſuper cœlum cœlorum, vbi ſedet filius patris. De hoc autem, & non de terreſtri paradiſo verba fieri confirmat ipſe Paulus, per ea quæ ſubiiciuntur. Poſtquam enim dixit: *ſcio hominem vſque ad tertium cœlum raptum,* adiungit hæc, *& ſcio huiuſmodi hominem, quoniam raptus eſt in paradiſum.* Quin etiam ſignificat, ſe tertio cœlo penetrato adhuc in magnam ſublimitatem raptum eſſe, in qua eſt ipſe Deus. Hic eſt paradiſus, in quem raptus eſt Paulus, in quem Gregorius, & magnus cum aliis ingreſſus eſt Baſilius, in infinita, & diuina, & æterna bona illa, quæ oculus affectionum malarum cœno turbidus non vidit, auris incredulitate obdurata non audiuit, & in cor ſordidum, quodque ex parte terrena iſta deguſtauit, non aſcenderunt. Totam tractationem differendo abſolui, ac pro eo vt mihi quoque ſcientiam dedit, qui ſcientiam docet, quæſtiones propoſui, propoſitaſque abſolui.

Ioan. 14.

2 Cor. 12.

CAPVT XVIII.

Rerum quarto libro pertractatarum anacephalæoſis.

DO CVI quarto libro, quomodo ſemel quidem Deus mentes in cœlo produxerit, & quomodo infrà omni hoc tempore operetur. Quomodo omnium hominum animæ æquales ſint inter ſe, eiuſdemq́; ſubſtantiæ. Conditorem non formaſſe ab initio hunc quidem ſapientem, illum inſipientem, nec alium pudicum, alium ſcortatorem. Hominibus diuerſas eſſe voces ac pronuntiationem. Quibus Deus bene velit, eorum voluntates ad bonas partes à deterioribus conuerti; præſertim vbi illorum quoque ſtudium acceſſerit. Quomodo & vnde vitia corporum exiſtant, cum quibus naſcuntur, & quæ nam rei cauſſa. Quomodo inexplebili præditus inuidia Satan cogitationes malas in corde ſeminet; qua ratione nos eas, ſi velimus, radicitus extirpemus. Quomodo homines Deo conniuente oppugnet. Quando animæ poſt hanc vitam amicorum, propinquorumq́ue reminiſcantur, ac demum pro ipſis precentur, quanquam ſolæ, & à corporibus ſeparatæ. Quomodo ſpiritus omnino vacui non ſint, ſed operentur potius, vt demonſtrauimus: etſi hoc ſolo præmio careant (beatitudine corporis) præclarorum laborum ſuorum, licet modò cum Chriſto viuant.

CAPVT XIX.

Non ſua, ſed aliena voluntate, & auctoritate: adſcribendum ſe acceſſiſſe: Omnes actiones noſtras à Deo pendere. Libri vtriuſq; teſtamenti. Diuerſa ſcripta ſanctorum Patrum. Quomodo ſcriptoribus diuino auxilio ſit opus. Vnde profecerit. Nonnullorum ex medicis ſumptorum ſumma.

CAETERVM, Patres in Chriſto, fratres & amici, nemo eorum, qui librum hunc euoluerint, me oſtentationis cauſſa hæc ſcripſiſſe putet, vt inanis gloriæ cupidum, & ſua opinione ſapientem, & arrogantia morbo peſſimo laborantem, & propterea fruſtra hunc librum confeciſſe. Non ſponte mea huc proſilui, ſed à ſpirituali viro Callinico nomine, in montibus Moglenorum habitante, mihi commiſſum munus ſuſcepi. Patrum igitur hortationibus, & præceptis cedens, opus hoc pro viribus compoſui, nihil ferè è cerebro meo, verum quæ hinc inde collegi & corrogaui, hoc volumine ſum complexus, figura orationis in metri faciem commutata, quod à doctis politicum vocatur, tametſi ſimplex, barbarum,

barum, & ſolœcum inſuper, vt ab indocto & planè imperito ſermone artificioſo, ſed non ſcientia, compoſitum. *2.Corint.8.*

ISIDORVS. Σοφὸν γὰρ τἀληθὲς, μάλιστα ὅταν ἁπλοῦν ᾖ καὶ σύντομον· μωρὸν δὲ τὸ ποικίλον, κἂν δεινότητι καὶ καλλιεπείᾳ δοκῇ κεκοσμῆσθαι. *Veritas ſapiens quiddam eſt, maximè ſi ſimplex & breuis eſt: contrà ſtultum eſt, quod varietate diſtinctum eſt, quamuis dicendi vi, & elegantia ornatum videatur.*]

Nemo igitur me irrideat, neue naſo ſuſpendat. Nam cùm obtemperare & cedere ſtatuiſſem eſſe optimum, venerabilium virorum auctoritati me ſubmiſi, ſciens penitus damnari inobedientiam. Obedientia vita, inobedientia mors eſt. Quod ſi quis mordax & conuitiator inceſſere me vult, & probrum mihi inurere, vt faſtuoſus, vt arrogans, & dicax, dicat, & faciat quod lubet.

CHRYSOST. Τί γὰρ βλάβος ἀπὸ τῆς κατὰ τὸν λόγον ἰδιωτείας γένοιτ᾽ ἄν; τί δὲ ὄφελος ἀπὸ κάλλους τῶν λέξεων, ὅταν ἔρημος νοημάτων θείων ἡ διάνοια ᾖ; ὥσπερ γὰρ μάχαιραν τὴν μὲν λαβὴν ἔχουσαν ἀργυρᾶν, τὸν δὲ σίδηρον μολύβδου παντὸς ἀσθενέστερον, οὐδεμία ἐκ τούτου ὠφέλεια. ἡ γὰρ τοῦ λόγου κατασκευὴ, καὶ ποικιλία τοῖς φιλοκόμψοις καὶ φιλοκρότοις καλλιεπείαις οἱονεὶ μεταμορφουμένη λυμαίνεται, πῶς τὴν προκειμένην θεωρείαν, κλέπτουσα λεληθότως τὴν αἴσθησιν, καὶ πρὸς τὴν κατανόησιν τῆς ὑποθέσεως ἀπαντῶσα τοῖς ἐντυγχάνουσιν. *Quid enim nocumenti ſermonis imperitia afferat? Quid contra vtilitatis verborum feſtiuitas, ſi ſententia ipſa diuinis ſenſibus careat? Vt gladius enim, ſi anſam habeat argenteam, ferrum autem ipſum plumbo flexibilius, nihil prodeſt. Nam orationis compoſitio, & diſtinctio à ſtudioſis elegantiarum, & plauſuum captatoribus, ornamentis iſtis veluti transformata, quodammodo corrumpit, quod propoſitum eſt ad conſiderandum, latenter notitiam ſuffurans, & in rei ſubiectæ intelligentia lectoribus obſtans.*]

Ego ſanè, vt volui, pro ea qua ſum eruditionis mediocritate, & inprimis Deo adiuuante hoc opus abſolui. Sapientiæ enim ſuppeditator, & inſipientum emendator, qui docet hominem prudentiam & ſcientiam; qui dat virtutem ſermonis in apertione oris, & verbum præbet prædicantibus in virtute, vt liber pſalmorum in ſpiritu docet, ipſe etiam hoc ſeu abiectum, ſeu magnum, inſpirauit. *Sap.7. Pſalm.93. Epheſ.6.*

PSELLVS. Τὸ καταστραπτόμενον κάλλος τῶν λέξεων, καὶ καταστράπτον τὴν ἀκοὴν, καὶ διασεῖον ὦτα, καὶ ἐν αὐτοῖς θορυβοῦν, μὴ ῥέον δὲ εἰς ψυχὴν, μηδὲ λεαῖνον καρδίαν, ποία φιλοθέοις γνώμαις περὶ τὸ ἀττικίζειν ὠφέλεια; τῆς μὲν θείας σοφίας ἡ λέξις πεζὴ, ἡ δὲ ἔννοια οὐρανομήκης. τοῖς δὲ ἔξωθεν λαμπρὰ μὲν ἡ φράσις, χαμαιπετὴς δὲ ἡ ἔννοια. *Splendens enim pulchritudo verborum, & tuba inſonans auribus, eaſq́; concutiens, & iis oberrans, non fluens autem in animam, neque cor deliniens, qualis mentibus Dei amantibus in atticiſmo vtilitas? Diuinæ quidem ſapientiæ dictio humilis, ſententia ſublimis ac cœleſtis. Externorum nitet quidem elocutio, ſententia ipſa humi repit.*] *Iacob.1.*

Niſi enim donum deſurſum deſcenderet, ſine plaſte, quid plaſma

faceret? Quam enim quis intelligentiam, vt donum à conditore habuit, illa ipſa viciſsim ab eo tandem repetetur. Ligo enim, falx, raſtrum, ſerra, dolabra, terebra, gladius, haſta, & quidquid vitæ humanæ inſeruit, vnumquodque horum omnium ad opus eſt inuentum, non tamen vllum prorſus per ſe motum habet: ſed alius aliud inuenit, vt per id poſſet quod liberet efficere. Velle autem, & poſſe à Deo accepit, extra quem nemo quidquam poteſt, non agere, non velle, non paruum, non magnum denique: ſicut nullum iſtorum inſtrumentorum quippiam ipſum à ſe, & per ſe motum, facere, nec ſponte ad opus cieri poteſt, ſi artifex, & manus artificis, quæ motu ad operis alicuius vſum vtatur, non affuerit. Nec vllo modo abſque diuina ope quiſpiam vel agat, vel cogitet, vel loquatur. Deus enim condidit, Deus idem vitam largitur. Ab illo poſſe, & ſpirare, & velle ſumitur. Et quomodo citra potentiam ſuſtinentis omnia, & ſcientiam, & manus mihi & pedes impertientis, ipſe per me quidquam intelligere & agere diuina deſuper poteſtate aduerſante poſſem? Exemplo res clarior fiet. Ferrarij, quorum opus in ferro eſt, ferrum tractant atque ad largitorem ferri, & opificem omnium reſpiciunt. In maſſam autem primum coactum ferrum, ad varios vſus poteſt accommodari. Emit enim huiuſcemodi maſſas faber ferrarius, aut ſerarius, & quicunque mechanicus voluerit, eoque ad ſuum opus & negotium vtitur. Fabricantur enim aſcias, falces, ſcalpra, rhomphæas, pugiones, gladios, machæras, armorum omne genus, quibus ad vitæ vſum & commoditatem omnes egemus. Sed alius vt probatus ferrum emollit ac domat, ac fabricam ſuam artificioſè exercet, & quidquid operis efficitur, id omne ſpectantibus admirationem mouet, vt elegans, vtile, & laudabile videlicet. Qui autem artis eſt rudis, aut eam malè didicit, non ſolùm ſecundùm artem non fabricare, & opera de induſtria, & vt ratio poſtulat conficere nequit: ſed ferrum quoque fruſtra conſumit. Iam de ſcriptura, & arte ſcripturæ ſimilia cogita. Spiritus ſanctus Prophetas purgauit, erudiuit, gratia, & cognitione impleuit. Etiam illiteratos ſapientiam docuit. Ita per gratiam docefacti & purgati, & ſpiritu corroborati, ſermones diuinos ediderunt, & libros omnes, numero ſexaginta compoſuerunt. Sex & quadraginta teſtamenti veteris. Septem & viginti teſtamenti noui & recentioris, eoſque per orbem terrarum latè diſſeminarunt, quem etiam gratiam Dei publicando peragrarunt. Poſtea verò Patres complures humana ac diuina ſapientia inſtructi, & ſacrarum rerum ſcientiſsimi, libris hiſce velut fundamentis quibuſdam nixi, cum martyribus ſuperædificarunt, & primæuæ doctrinæ ex omni parte adhærentes, ſcriptis ſuis Eccleſiam mirum in modum

modum exornarunt. Alius enim Odas compoſuit. Alius cantica quos εἱρμοὺς vocant. Alius verſus. Alius lepida στιχηρὰ, triodia, troparia, προσόμοια, canonas, ἀναβαθμοὺς, καθίσματα, contacia. Alius ſpiritualium modulos Pſalmorum. Alij profunda ſpiritus, & Eccleſiæ dogmata tractauerunt. Alij de incarnatione Verbi diſputantes, omnium blaſphemorum, peruerſeq; opinantium ora obſtruxerunt. Alius eloquentia excellentiſsimus. Alius diſputator acerrimus. Alius commentarios reliquit de anima, & eius tabernaculo, de pulchritudine virtutis, & de turpitudine vitiorum, ad commodum & vtilitatem litteras conſectantium. Cui igitur, vt dicebam, facultas orationis conceſſa eſt, hic etiam ex arte libros poteſt componere: quod idem imperitus & barbarus barbarè præſtabit. Sed quemadmodum faber ferrarius maſſas ferri tractat, materiam informē paratam, futuriſq; laboribus ferrariis obuiam habens, laborat autem in ea vt vult, & adhibito igne in formā quam voluntas fert redigit (nec enim citra ignem fabricabit, licet arte malleatoribus vniuerſis antecellat) ita diuinā ſcripturā ſe penitus habere exiſtima. Apoſtoli prædicant, Prophetæ prænuntiant. Scriptor eorum dictis & locis vtens, ſi non etiam Dei gratiā ſe adiuuantem habeat, nihil rectè intelligere, nec rectè diſſerere poterit. Fabro auxilium ignis, ſcriptori gratia diuina præſtat. Citra hæc auxilia quæ in manibus ſunt, opera conficere neuter poteſt. Si enim alter alterum horum non aſſumpſerit, eius opus iniucūdum, inutile, vitioſum euadet, incautiſq; & ſimplicibus plurimùm incommodabitur. Quocirca monui, & rurſum nunc moneo, me in hunc librum nihil à ſcriptura alienum inſeruiſſe, ſed alia ex veteri, alia ex nouo teſtamento, alia ex vtroq; hauſiſſe, alia è magiſtris & doctoribus ſacris excerpſiſſe, quæcunq; nimirū ad inſtitutam ſcriptionē profutura cenſui. Plura autem & meliora è Gregorio Nyſſeno. Qui ergo hunc cōmentarium perlecturus eſt, ſi quid in eo nouum inuenerit, id gratiæ Dei adſcribat. Si enim eſt induſtrius ad diſcendū, aliquid noui, & vnde hoc, & è qua ſcriptura ſumptum, cognoſcet. Quod ſi quis rudis & iners fuerit, ne vnquā impoſsibilia tentare velit. Ex alienis item à fide Chriſtiana, & veterib. illis ſapientibus, Galeno, & Hippocrate phyſica nōnulla opportunè mutuati ſumus, vbi potiſsimùm de materia, & de elemētis, ſimplicibus quatuor & primis corporib. diſſerūt, & quomodo ex his quatuor humorū genera, ſanguis, phlegma, atra & flaua bilis generētur, ex quib. humana corpora coagmētata ſūt, & de quatuor ætatib', totidēq; anni tēporibus, quæ ſunt, ver, auctūnus, æſtas, hyems. De vtero quoq; & craſib' infantiū in eo fieri ſolitis egim'. Inſup vnde ſymptomata, & pathemata illa probroſa exiſterēt, cauſsā phyſicā accuratè indagauim', ac de tēperationib. qualitatib', earūq; rationibus,

morum

morum ac temporum viciſsitudinibus, & qualis cauſſa vnumquodq; antecederet, hæc omnia, inquam, libro quarto expoſuimus. Quod ſi in quibuſdam à decoro aberraui, id imperitiæ & inſcitiæ meæ tribuatur. Et omnes oratos volo, vt mihi ignoſcant, & peccata in hac ſcriptione commiſſa condonent: attendentes ad ſcopum mihi propoſitum præcipuè, non ad ea quæ vel riſum mereantur, ſi modò animarum ſuarum fructum concupiſcant.

CAPVT XX.

Flebilis lamentatio, & querimonia aduerſus animam. Multa de mundi vanitatibus. De extremo iudicio & vltima vitæ hora. De cœleſti paradiſo & inferis, conſiderationes tropicæ.

QVID ita ſedes? quid omni cura vacas? quid temet ita negligis anima mea? quomodo eorum quæ inſipienter egiſti, cogitationem omnem abiecisti? quomodo amabilis pœnitentiæ rationem nullam habuiſti? Quomodo non properas quantum potes, quamdiu in hac vita manes, ad patres ſpirituales, & diuinos magiſtros, eoſque oras, obſecras, & obteſtaris aſsiduè, & cum gemitibus atque lacrymis percunctaris, quo pacto delictorum remiſsionem poſsis inuenire, & qua ratione tot tantaſque ſordes eluas? Quomodo horæ vltimæ tibi in mentem non venit, & quemadmodum iudici omnium reſpondeas? Quomodo oblita es ſtudioſè meminiſſe nouiſsimorum tuorum, & quo pacto tandem ex hoc tabernaculo abeundum ſit? Multa, & nimium multa habes, quæ in te obſerues, & inſpicias. Polluiſti, contaminaſti, & inutilem vitam tuam reddidiſti. Si igitur creatoris iuſſu venerint angeli, vt te ab hiſce perituris educant, & corpore exſoluant, heu, væ tibi infelix, ſi tum talis reperiare, qualis nunc es, adeo nihil ſollicita, adeo vitiis dedita, adeo piaculis obruta. Grauis eſt abruptio animæ, grauis tunc ſentietur tumultus: multò grauius erit audire acerbos illos gemitus, quando lectulum tuum circumſtantes omnes tui fratres, cognati, patres, contribules, flebunt, eiulabunt, lugebunt, lamentabuntur, cernentes hinc nulla ſpe reditus diſcedendum eſſe. Et omnia hæc videbis quidem, & ploratus audies, oculis corporis, & cordis fortaſſe. Non tamen lingua arefacta loqui, nec familiarium, & neceſſariorum luctum conſolari poteris: ſed obtutum in ſolis angelis defixum habebis, & apud animum tuum plorabis, & ſuppliciter eos orabis, in hæc verba. Date mihi ſpatium ad pœni-

pœnitendum,& ad lamentandas atque abluendas peccatorum meorum maculas. Concedite mihi,obſecro,vel tantillum tempus,vt etiam ego vitam in Chriſto viuere queam,& miſerias noſtras miſerantem magis miſerantem efficiam. Et tunc me ab his caducis auferte, atque abducite. Illi durè quidem, iuſtè tamen reſpondebunt. Tempus vitæ tuæ conſummatum eſt; egredere,iudex decreuit,finis finem habet. Neceſſe eſt te tranſire: ne cunctéris, ne pigreris. Aetatem tuam in omni remiſsione, ſocordiaque contriuiſti. Vitam prodegiſti, annos tuos fruſtrà abſumpſiſti. Non es recordata finis tui, non horæ vltimæ. Et nunc,vt ais, te horum,& vix etiam,pœnitet. An non quotidie patres clamantes audiebas, qualia & quanta poſt mortem euenirent? Non videbas quotidie hinc emigrantes,adultos,adoleſcentes,ætate florentes,omnes deniq; ? Et quomodo mentem non mutaſti? quomodo recordata non es? Vadamus, curſim abeamus, nulla datur procraſtinatio. Citò ſequere,perge ad creatorem.

Tum carnis huius,& membrorum & venarum,omniumque compagum nexibus violenter exſolueris, ac ſummo cum horrore abduceris. Quis tunc erit ſenſus tuus? quæ cogitatio? Non tunc vxoris, non filiorum vlla ſubibit memoria, cum perierint, vt dicit ſcriptura, cogitationes totæ. Iudicium ſolum horrebis, iudicium tremendum, *Pſalm.145.* quod contra te à iudice proferetur. Vbinam tunc poſſeſsiones, vbi pecuniæ; & diuitiæ, vbi genus, vbi fratres, vbi filij, & patres? Nemo tunc patronus, prorſus nemo liberator apparebit. Non illic eſcarum potionumque varietas: non exquiſita condimenta, non coci,menſarumque luxus, non voluptates, non vita mollis & ſoluta, otioſa & delicata: non elaboratiores cantus,& choros ducentium plauſus,per quæ omnia mundi huius vanitates exercemus. Omnia mera ſunt ludibria, & vt ſomnium euaneſcunt, atque inſtar pulueris à turbine repente diſsipantur. Quid tum profuerit tibi corpus? quid amor & cura carnis? Quam etſi ſtudio ſingulari confoueris, nihilominus in ſepulchro putreſcet, & corrumpetur, & in puluerem nihil ſentientem redigetur, te verò dolor non deſeret. Impudicè aſpexiſti,coloris ſuauitate captus es. Lingua, & os tuum contumeliis vacarunt; aurium feneſtræ impuris auditionibus patuerunt. Manus tuæ ad vim & rapinam, ad proximumque ſine cauſſa pulſandum extentæ fuerunt. Pedes tui ad opera nefaria, ad inhoneſta ſpectacula, ad pugnas & nequitias cucurrerunt. Nunc te quidem premit lacrymarum plena neceſsitas, & corpus putrefactum vermibus ſcatet.

Quis vel ſermo exprimet, vel intellectus tandem capiet, quam

 cala-

calamitatem neceſſariò ſubitura es, quando inſtabit à corpore ſeparatio? Dæmones malè feriati cum tumultu aduenient, chirographa & peccatorum aceruos apportantes. Angeli humaniter ea per trutinam examinabunt, quibus dæmones grauiora tua crimina adiicient. Si iuraſti, ſi furtum feciſti, ſi calumniam ſtruxiſti, ſi ſcortationes, & adulteria perpetraſti, ſi auerſus impudicus fuiſti, ſi te ſupra fratres extuliſti, ſi contra amicos mentitus es. Totum denique, & ſimpliciter peccatorum tuorum catalogum ſeu ſciens, ſeu neſciens, ſeu ſentiens, ſeu non ſentiens illa commiſeris, In humeris geſtabunt, & apportabunt omnia maleficè, feſtinabuntque, vt hominum exitio lætantes, & num peccatorum lanx deorſum vergat, obſeruabunt. Boni verò angeli in alteram lancem decenti ſpecie bonas actiones imponent. Nempe ſi miſericors fuiſti; ſi fratribus pepercifti; ſi cibo eſurientem refeciſti; ſi ſitienti potum præbuiſti: ſi nudum quibus potuiſti tegumentis operuiſti: ſi carceri mandatos & ægrotos inuiſiſti: ſi peregrinos & hoſpitio carentes in ædes tuas induxiſti: ſi pauperibus & egentibus opem attuliſti: ſi aliud humanitatis officium humaniter cuipiam præſtitiſti. Hæc te in hora extrema tuebuntur. Quando igitur actiones tuas in medium protulerint, profanas quidem dæmones, angeli autem bonas, lucidi lucidas, tenebroſi tenebrarum, & iis lances onerauerint, vtrorum pars præponderauerit, illos voluptas & gaudium inceſſet, tanquam victores ſcilicet, & victi contriſtabuntur vehementiſsimè, vt teſtantur Gregorius Romanus in dialogis, magnuſque & omnimodis magnus, & diuinus Antonius, magiſtrorum reuerendiſsimus, & ſanctorum decus.

Si igitur benignus, & miſericors Deus tunc, ô anima; humilitatem tuam viderit, vincentur dæmones, erubeſcent, abſcedent, angelique victores libentiſsimè te accipient, & gaudentes, pro more in ſedes æthereas inferent. Inuenies & principes publicanorum in medio, tentantes, retrahentes, acerbè exigentes, manifeſtorum, occultorumque & omnium vltores. Hi ſunt ſuperbi mores, odium, inuidia. Rationem repoſcent miſeri, & ad calculos vocabunt omnia, idque donec ad portas cœli perueneris. Poſtquam turbam horum aduerſariorum effugeris, & ad incorruptum iudicem dominumque tuum acceſſeris, procidens, legitimè illum adorabis. Inde diuino accedente mandato, poſtquam & voluptatem; & cruciatus cognoueris, acceptam te adducent, & videbis quæ videbis, locum ſplendidiſsimum, ordines ſanctorum, Abraham, Iſaac & Iacob, ſedentes in gloria omnes, Patres, & ante legem & poſt

poſt legem, & quotquot Prophetæ Saluatorem prænuntiarunt, incarnationem videlicet eius, mortem & cruciatus, & quæcunque plaſmatis ſui ſaluandi cauſſa ſuſtinuit. Verbi ſpectatores, agmina Patrum, ob certamina coronatorum, venerabilium, iuſtorum, & ſanctorum. Ante omnes genetricem Verbi θεανθρώπου, Gaudium illud ineffabile & inexplicabile quantum ſit, nec dici, nec intellectu vel humano, vel angelico comprehendi poteſt. Poſtquam manſiones illas omnes pertranſiueris, exultabis, voluptatem iuſtorum intuens, & eorum contubernalis appellari deſiderabis, precaberiſque duces angelos, omnia tibi commonſtrantes, & per loca lucida, & viridantia, & fælicitatibus ſcatentia circumducentes, & timore lætitia mixto dices: Sinite me, domini, cum his manere, ſinite quæſo, & gratiam pro gratia debebo. Aſt illi iuxta mandatum Verbi, & Saluatoris, ſi idonea, & pura, & digna fueris, conſortem & contubernalem te iuſtorum facient, & quod tibi confirmare poſſum, cum illis deges, & lætaberis. Et hæc quidem ſi meliora pondere vicerint. Si autem grauitas delictorum lancem deorſum traxerit, tum principes tenebrarum, & bonis inuidentes impudenter te abripient, & audacter ad inferos abſtrahent. Ac primùm quidem tormentorum loca, tenebras exteriores, & peiores omnibus tenebris, vermem irrequietum, dolorem nunquam finiendum, fluuium igneum, ſupplicium gehennæ, ſtrepitum, ſtridoremque dentium oſtendent. Omnia plena vlulatus, plena cruciatus.

Quæ oratio, quæ dicendi facultas declarare poterit, quæ ad ſupplicia peccatorum pertinent, quæq; ad pœnas & afflictiones eorum parata ſunt? Ibi ploratus ſempiternus, ibi ingens lamentatio. Lamentabuntur incaſſum, vociferabũtur inutiliter. Pereat dies, clamabunt, qua in vitam fruſtra ingreſsi ſumus. Pœnitudine capieris tu quoque, *Iob. 3.* & acerbè clamabis, heu heu miſera & infelix anima mea.

Vbi fælicitatem, & cruciamenta ſuppliciorum, & omnia quæ ſunt luminis, & quæ tenebrarum videris, tandem in loco à iuſto iudice tibi definito te conſtituent, in quo vltimum omnium examen, & communem omnium reſurrectionem, vitamque & iudicium exſpectabis. Tunc tuba clariſsimè canet, vt exaudiatur ab omnibus, tuba inſonabit, & omnes veluti concuſsi ſimul reſurgent. Reddent terra & mare *Apocal. 20.* quidquid habent, quotquot iam inde ab orbe condito homines acceperunt, ſeu leo illos deuorauit, ſeu pardalis, ſeu cetus, ſeu draco, ſeu lupus, ſeu canis, ſeu aliud marinum, terreſtréue animal. Quiuis homo reuiuiſcet, domini & famuli, nobiles, honorati omnes,

dynaſtæ & principes, Toparchæ & Phylarchæ, monachi & iuſti, conuenæ & peccatores.

Quis verbis conſequatur, quæ tunc erit omnium rerum turbatio? Quæ oratio, quæ cogitatio, quæ lingua, quæ mens? non fundet lumen ſol, non lucebit luna, ſtellæ de cœlo cadent. Terra & cœlum in melius mutabuntur. Magniloquus Iſaias, inſtaurationem creaturæ

Iſaia 65. præuidens in poſterum, nouum cœlum, & terram nouam, omnem decorem, qualis omnium primus erat, reſtitutum iri vaticinatur, abiectis purgatiſque ſordibus & maculis vniuerſis: & omnia quæ intra polum, & terræ centrum ſunt, nutu & voluntate domini nouitatē induent. Sceptrum regium, nempe crux, poſtea vt in pompa trium-

Matth. 24. phabit, oſtentata in ſublimi, vt Matthæus ſcribit, intellectualibus ordinibus angelorum, archangelorum, principatuum, poteſtatum, virtutum, dominationum, thronorum, Cherubinorum, Seraphinorum conſpicuè præcedentibus, & venientem in gloria Chriſtum præcurrentibus in locum, in quo ad iudicium exercendum conſedere ſtatuerit. Poſitis itaquè thronis, & paratis libris, iudex & dominus gloriæ ſedebit iuſtè iudicaturus ſimul viuos & mortuos. Reges adducentur, dynaſtæ congregabuntur. Pauperes & diuites cum tremore aſtabunt, agentibus rapientibuſque angelis, vt rationem factorum reddant, & operibus precium condignum accipiant. Libri

Apocal. 20. aperientur, exhibebuntur omnia. Ibi tum conſiſtentium hominum ſeparatio inducetur, cùm oues, vt fructiferæ, à dextris, hœdi autem, & omnes infrugiferi & inutiles ſerui atque creaturæ, vt ego, ad ſiniſtram collocabuntur. Nudi porrò & manifeſti palàm ſtatuentur, lamentantes, ſed inaniter: clamantes, ſed fruſtrà. Audient

Matth. 25. oues vocem benedictam: *venite amici, accipite regnum, quod vobis paratum eſt ante conſtitutionem mundi.* Eſurientem enim ac ſitientem me, nudum, ægrum, ſedentem in carcere, aduenam, & hoſpitem hoſpitio, cibo & tegumento dignati eſtis. Et hæc quidem oues. Aſt hœdis, quàm ſæua, & dura, & intoleranda omnimodis dicentur? *Abite à me* procul, longè, *maledicti, in ignem exteriorem, qui preparatus eſt*

Epheſ. 5. Eccleſ. 18. *diabolo & angelis eius*, & omnibus qui ſeruierunt operibus infructuoſis, & poſt voluntates ſuas ambularunt, qui malè à Deo auerſi ſunt, vt & ſermones meos, & mandata mea aſpernarentur, & omnia baptiſmi fœdera diſſoluerent; omnia promittentibus & mihi tamen mentientibus, Satan autem maleuolo, & quæ ſunt Satanæ adhærentibus. Ite igitur ad patrem veſtrum: Quod ſi poſſint emori, rurſumque reſurgere, tam horribili verbo expirarent omnes, tam acerbum arbitrium non ſuſtinentes.

Anima

Anima mea atra, miſerrima, ſtulta, væ tibi propter damnationem, væ propter iudicium. Conuertes te crebrius, huc illuc reſpiciens; ſed propugnatorem & defenſorem nullum propter opera, cogitationes & conſcientiam inuenies, quæ tunc aderunt, & teſtimonium contra te ferent, & rectà in ignem & flammam te deducent, vbi cruciatus inenarrabilis, afflictio immenſa, pœna intoleranda, negotium omni patientia maius. Tempus animaduerſionis finem nullum habet. Auellentur ab amicis & familiaribus, à filiis, & vxoribus, à cognatis amantiſsimis. Epiſcopi ſecernentur à coëpiſcopis. Sacrifici, & presbyteri à dignitatis ſuæ ſociis. Et hæc quidẽ intolerabilia in ſiniſtra parte fient.

Qui autem cum ouibus à dextris ſtabunt, lętantes ad ſortem ſuam abibunt. Locus hic eſt gaudij, & viriditas Edem. Non tamen locus Edem, in quo Adam eſt formatus. Sed paradiſus ipſiſsimus, in quẽm raptus eſt Paulus, & in hunc multitudines iuſtorum recipientur, Adam, Abel, Seth, Enoch, qui prius Domino ex operibus placuerunt. Abraham hoſpitalis, Loth, reliqui, Moyſes, Aaron, cœtus Prophetarum, & magis qui ſub gratia fuerunt, & ſpectatores Verbi Apoſtoli, cateruæ & legiones Patrum ac Martyrum, Dei genitrix Maria, qui à gratia appellatur, Ioannes Præcurſor. Omnes viritim, & ſecundum faciem inter ſe noſcent, habitabuntque cum conditore omnium. Quotquot autem fuerint partis hœdorum, pręter carcerẽ illum tartareum quem ſuſtinebunt, etiam non videbunt, nec agnoſcent mutuum. Vbi enim tenebræ ſunt, illic oculi officio ſuo non funguntur. Quomodo igitur inter ſe videre & agnoſcere queant? Commune autem malum erit, carcere concluſum teneri, lamentari propter cruciatus, lugere & ingemiſcere. Non enim datur ſuperas euadere ad auras, neč vllum tantorum malorum effugium patet.

Reſipiſce, reſurge: quid ita perpetuò dormis? Euigila, cogitationem ſeriam ſuſcipe, rem aggredere, ignauiam abiice, expergiſcere & feſtina, ſomnum excute, pigritiam depone, quæ feciſti, ab initio vſq; ad finem confitere, pectus percute, plora, ex imo pectore clamorem tolle, eleemoſynam pauperibus diſtribue, diſperti, ale illos. Nuntium mitte peccatis, operare bona, exitum vitæ ſemper exſpecta. Mors ſuperuenit ſicut leo rapax, inſperata, improuiſa, nõ exſpectata, vt fur, & timendum ne te comprehenſum, ſubitò auferat. Dimitte debitoribus tuis debitum. Proximo ignoſce, vt lex charitatis requirit. Proſterne te Deiparę, ſupplica quantum potes. Vt mater, plurimum poteſt, ſi velit. Ora & martyres, ora ſanctos, vt apud Dominum cauſſam tuam agant. Si hæc te agente mors venerit, noli timere. Mors, ſi mens pura fuerit, requies erit, & ſeruanti ſermones eius, verè non mors, non pœna contingit,

Ioan.8. tingit, vt Iudæos docuit ipſe Dominus: ſed eſt potius quidam tranſitus ad vitam cœleſtem, cuius finis nullus erit, & gloria non intercidet.
Ioan.14. Vita eſt Chriſtus, & ipſemet vitæ ſuppeditator. En, omnia tibi propoſui, omnia ediſſerui, & inſuper conſcripſi, ſicut potui, & bonorum malorumque te admonui, vt te, quod ad ſalutem attinet, nullo prætextu excuſare poſsis.

Vos autem omnes in Chriſto Patres & amici, qui hoc opuſculum lecturi eſtis, flete & plorate mecum, ſecundum mandatum creatoris. Charitas enim manifeſta eſt, flere cum flentibus, & gaudere, vt ſcri-
Rom.12. ptum eſt, cum gaudentibus. Etiam, rogo, mecum flete, & pro me ac peccatis meis conditori preces fundite. Inde enim veniam mihi & remiſsionem conciliabitis ab eo qui lapſis perfectè ignoſcit. Et manum mihi & auxilium præbete. Plaſten exacerbaui, creatorem irritaui, verbis, cogitatis, actionibus & factis. Affectibus ſeruiui, & ſubmiſi me penitus. Indutus ſum viles pannos ad dedecus meum tantùm. Voluptatibus affixus ſum, in immunditiis hæreo, pœnitentiam non habeo, mortem non tremo, ſtupor me oppreſsit, cæcus ſum animo, horæ vltimę non memini. Imparatus ſum. Segnities me obſidet. Exſcindi metuo, maledictum, & minas ignis, & vltionem in inferno conſternatus formido.

Ezech.18. Sed pater miſerationum, ſolus miſericors, qui nunquam vis mortem peccatoris, ſed vt pœnitentiam agat, & viuat, & ſaluetur, atque iſtuc in longanimitate exſpectas, gemitum boni publicani mihi dona. Lachrymas Petri, & meretricis ad purganda & eluenda plurima inquinamenta mea mihi largire. Dixiſti enim, non ſanos, ſed ægros
Matth.9. indigere medicina. Vt igitur corpore & anima ægrotum, viſita me Domine, obſecro, & rore miſericordiæ tuæ me aſperge. Sanè qui ſolus facilè reconciliaris, & ſolus es miſericors, per miſericordiam tuam dignare me miſericordia. Ego ſum illa ouis quæ à diuino ouili longè aberrauit. Quære & ſalua. Seu velim ſalua, ſeu non velim, vt cum magnitudinem beneficentiæ tuæ videro, os meum ad gratiarum actionem aperiam. Quid autem retribuat quis conditori pro omnibus,
Pſal.115. quæ retribuit nobis? Dauid magnus ait. Sed Deus meus es tu, Domine, glorificabo te vehementer, & nomen ſanctum tuum cum
Pſal.144. Propheta laudabo; mirabilia enim & plurima in me es operatus.

FINIS DIOPTRAE.

NICOLAI

NICOLAI CA-
BASILÆ
DE VITA IN
CHRISTO,
LIBRI VI.

INDEX LIBRORVM.

LIB.I. *Vitam in Chriſto per diuina Baptiſmi, ſacræ Vnctionis & Communionis myſteria conſtitui.*

II. *Quem ei vtilitatis fructum, diuinum Baptiſma conciliet.*

III. *Quam ei vtilitatem ſacrum vnguentum, ſiue Chriſma conferat.*

IV. *Quam ei commoditatem pariat ſacroſancta Communio.*

V. *Ad ſacrorum, diuinorumq́; myſteriorum abſolutionem altare etiam neceſſarium eſſe.*

VI. *Quo pacto eam à myſteriis, Sacramentiſúe acceptam conſeruare oporteat.*

ORATIO *contra fœneratores.*

NICOLAI CABASILÆ

DE VITA IN CHRISTO, LIBER PRIMVS.

Vitam in Chriſto per diuina Baptiſmi, ſacræ Vnctionis & Communionis myſteria conſtitui.

VITA, quam in Chriſto traducimus, in hoc ſæculo enaſcitur illa quidem, & hîc inchoatur; verùm in futuro perficitur abſoluiturque, cum nimirum ad illum extremum diem peruenerimus. Ac neque præſens hoc æuum, iſtuc de quo loquimur vitæ genus integre cumulateque in animos hominum introducere, & inſerere poteſt: nec futurum, niſi hinc principium duxerit. Nam nunc quidem caro tenebras offundit; & quæ inde nebula corruptioque exiſtit, incorruptionem non poſsidebit. Vnde Paulus hiſce vinculis exſolui, & eſſe cum Chriſto vehementer ſibi conducere arbitrabatur. *Deſiderium habens*, inquit, *diſſolui, & eſſe cum Chriſto, multò magis melius*. Ventura autem vita quos à facultatibus & ſenſibus ad ipſam neceſſariis deſertos acceperit, iis beatitudinem nullam afferet: ſed in fœlici illo immortaliq; mundo, ipſi mortui, & infœlices habitabunt. Nam lumen quidem exoritur, & ſol puros emittit radios, oculus autem tum non formatur. Et odoris fragrantia largè copioſeque effuſa implet omnia, at nares, ſiue olfactum qui non habuerit, non eum hinc accipiet. Ita myſteriis cum filio Dei amicos illo die communicare licebit, & quæ audiuerit à patre ſuo, ea ab eodem cognoſcere; ſed ipſos amicos eius etiam cū auribus cò aduenire neceſſe eſt. Nec enim illic primùm amicitiam dabitur coniungere, & aures tum demum aperire, veſtemque nuptialem conficere, & alia demum comparare,

1.Cor.15. *1.Philip.* *Ioan.15.* *Matth.22.*

quæ ſponſus ille requirit: verum iſtorum omnium officina eſt quod hîc ætatis degimus. Quibus porrò iſthæc non ſuppeditauerint, antequã decedant, iis nihil cum vita illa commune erit. Teſtes ſunt quinque virgines fatuæ, & vocatus ad nuptias; qui quoniam inſtructi non venerunt, nec illæ oleum amplius, nec iſte veſtem acquirere potuerunt.

Matth.25. *Matth.22.*

Omnino, interiorem hominem, nouum, & qui ſecundum Deum creatus eſt, mundus iſte parturit; qui hîc fictus formatusq; & ita perfectus, in illum perfectum, & nullo ſenio fatiſcentem mundum generatur. Quemadmodum enim fœtum, quamdiu materno clauſus vtero in tenebris, & in nocte viuit, natura ad ſpiritum in hac luce ducendum adornat, atque ad vitam quæ illum exceptura eſt, tanquam ad canonem, ſeu regulam quandam conformat: ita ſanctis quoque vſu venit. Et hoc eſt, quod Paulus Apoſtolus ad Galatas ſcribens ait: *Filioli mei, quos iterum parturio, donec formetur Chriſtus in vobis.* Veruntamen infantes nondum nati vitam hanc non cognoſcunt: at beati de futuro ſæculo multa etiam in hoc ſæculo prænoſcunt. Hoc ideo fit, quod illis vita hac frui nondum contigit, tametſi certò continget. Nec enim adhuc in locis illis vbi delitent radius lucis conſpectus eſt: nec eorum aliud quidquam, quibus vita hæc noſtra nititur ac ſuſtentatur. At nobiſcum aliter res habet: quibus vita quam exſpectamus cum hac quaſi colligata, & commiſta eſt, & illius ſol etiam nobis benignè illuxit, cœleſteque vnguentum in regionibus graueolentibus effuſum, & panis angelorum hominibus quoque impertitus eſt.

Epheſ.4. *Galat.4.* *Pſal.77.*

Quapropter non ſolùm inſtrui, ac præparari ad vitam illam, ſed iam ſecundum eandem etiam viuere, & agere ſanctis hominibus in hac mortalitate conceditur. *Apprehende vitam æternam*, inquit Paulus epiſtola ad Timotheum. Et alibi, *viuo autem iam non ego, viuit verò in me Chriſtus.* Et diuinus Ignatius. *Aqua viua ſaliens in me, intus mihi dicit, veni ad Patrem.* Et alia complura, quibus refertæ ſunt ſacræ literæ. Super omnia verò, cum ipſa vita ſanctis ſemper affutura promittitur. (*Ecce*, inquit, *ego vobiſcum ſum omnibus diebus, vſque ad conſummationem ſæculi*) quid aliud, niſi hoc ipſum nos cogitare & colligere conuenit? Haud enim cum ſemina vitæ per terras ſparſiſſet, ignemque & gladium miſiſſet, ſtatim abſceſsit, hominibusq; ſeminum ad frugem perducendorum, & conſeruandorum, ignis accendendi, gladio vtendi curam reliquit: ſed ipſemet præſens adeſt, operans in nobis velle & perficere, vt Paulus ait. Et ignem ipſemet accendit, & admouet; & gladium ipſe tenet. Ad ſummam, *nec ſecuris gloriabitur abſque eo qui ſecat in ea*; & quos deſerit, qui ſolus eſt bonus, iis nihil boni euenire queat. Cæterùm ſanctis ſe non

1.Tim.6. *Galat.2.* *Epiſt.ad Rom.* *Matth.28.* *Luca 12.* *Matth.10.* *Philip.2.* *Iſaia 10.* *Marc.10.*

non affuturum tantummodo, ſed etiam apud ipſos manſurum, & (quod inſignius eſt) manſionem apud eos facturum Dominus promiſit. Quid multa? etiam illis ita amanter copulari & vniri ſcribitur, vt vnus cum ipſis ſpiritus efficiatur. *Qui enim adhæret Deo, vnus ſpiritus eſt cum eo.* Similiter Pauli vox eſt, *vt ſitis vnum corpus, & vnus ſpiritus, ſicut vocati eſtis.* Ioan.14. 1.Cor.6. Epheſ.4.

Sicut autem benignitas Dei inexplicabilis eſt, & charitas eius erga genus humanum omnem dicendi facultatem ſuperat, ſoli diuinæ bonitati congruens, (ipſa ſiquidem eſt *pax Dei, quæ exſuperat omnem ſenſum*) ita conſequitur, vt eius vnio cum iis quos diligit quamlibet vnionem, quam quis cogitatione percipere poteſt, multis partibus vincat, nec aliqua comparatione pro dignitate declaretur. Quamobrem ſcriptura pluribus exemplis opus habuit, quibus coniunctionem illam arctiſsimam exprimeret, quòd vnum minimè ſatis eſſet. Et modò quidem habitatorem & domum inducit; modò vitem & palmitem: modò nuptias; modò membra & caput, quorum nullum plenè reſpondet; nec enim per vllum horum veritatem exactè licet attingere. Amori & charitati parem eſſe & coniunctionem maximè oportet. Diuinæ autem charitati quid tandem æquari poteſt? Deinde quæ copulationem, & vnionem inprimis ſignificare videntur, nuptiæ ſunt, & membrorum capitiſque apta coagmentatio. Atqui iſta quàm plurimum diſtant, multumque abeſt vt rem ante oculos ponant. Etenim coniugium nunquam adeò coniuges coniugabit, vt alter in altero ſit & viuat; id quod in Chriſto & Eccleſia cernitur. Vnde ſanctus Apoſtolus, cùm dixiſſet de matrimonio, *ſacramentum hoc magnum eſt*, adiecit continuò, *ego autem dico in Chriſto, & in Eccleſia*; oſtendens, non illas ſeſe nuptias, verùm haſce potius admirari. Membra autem connexa quidem ſunt capiti, & per eam connexionem atque copulam viuunt; qua dirupta moriuntur. At verò iſta membra Chriſto magis, quam ſuo capiti coniuncta videntur, magiſque hac, quàm illa cum capite commiſſura, & compage viuere; quod beati martyres demonſtrant, qui illud iucundè pertulerunt; hoc ne audire quidem voluerunt. Nam caput quidem, ipſoſque artus cum voluptate poſuerunt; à Chriſto autem ne voce quidem tenus ſeiungi, diuellique potuerunt. Philip.4. Ioan.14.15. Matth.22. Coloſſ.1. Epheſ.5.

Nondum dixi, quod inprimis inuſitatum, & ſingulare eſt. Quid enim alteri magis coniungatur, quam ipſum ſibimet ipſi? Et tamen hæc ipſa coniunctio ſiue vnio coniunctione illa inferior & imperfectior eſt. Beatorum quippe ſpirituum vnuſquiſque vnus & idem ſibi ipſi eſt: Saluatori nihilominus magis quam ſibimet copulatur; plus enim illum quam ſeſe amat. Quod dicimus, Paulus confirmat, optans

tatem opinor, qua in domum ſuam ad conuiuium compulit, quos conuocauit, cùm ſeruo diceret, *compelle intrare, vt impleatur domus mea.* *Luca 14.*

Vitam igitur in Chriſto non in venturo tantum ſæculo affuturam, ſed in præſenti etiam adeſſe ſanctis, & ſecundum illam eos viuere atque operari, ex his quæ dicta ſunt perſpicuum fit. Vnde autem ita viuere liceat, & quod Paulus ait, in nouitate vitæ ambulare, quid inquam facientibus Chriſtus ita coniungatur, & adhæreſcat, aut quo alio nomine res appellanda eſt, deinceps diſſeremus. *Rom. 6.*

Faciendorum itaque aliud à Deo, aliud à ſtudio & diligentia noſtra aptum eſt: & illud quidem opus eius ſolius eſt, hoc noſtram quoque contentionem deſiderat, vel potius, à nobis tantùm præſtatur duntaxat, quantum gratiæ innititur, nec theſaurum prodit, nec lucernam iam accenſam extinguit; cum ſcilicet nihil ſuperinducimus, quod vitæ aduerſetur, mortemque progignat. Huc enim bonum omne, & omnis virtus humana collineat, ne quis gladium in ſemetipſum adigat; nec fugiat fælicitatem, & coronam è capite excutiat. Quoniam eſſentiam ipſam vitæ Chriſtus ipſemet præſens, modo quodam, cui explanando verba non reperiuntur, in animis noſtris ferit. Verè enim adeſt, & principiis viuendi opem fert, quæ ipſemet aduentu ſuo attulit. Adeſt autem, non vt primùm victu, congreſſu, conſuetudine nobiſcum communicans: ſed alia quadam ratione meliore perfectioreque, ſecundum quam concorpores, & eiuſdem vitæ participes, & membra illi euadimus, & ſi quid aliud eodem pertinet. Quemadmodum enim benignitatem, qua impulſus inimicos adeò dilexit, tantiſque beneficiis cumulauit, nulla lingua conſequatur: & vt proinde coniunctio eius, qua amicis ſuis deuincitur, omnem quæ animo informari, aut nominari poteſt, coniunctionem poſt ſe relinquit: ſic item modus quo adeſt, & benefacit, admiratione dignus, & facienti mirabilia ſoli conueniens eſt. Mortem enim, quam ipſe pro vita noſtra verè obiit, ſignis & notis quibuſdam, velut in pictura imitantes, rebus ipſis renouat, & inſtaurat; ac vitæ ſuæ conſortes præſtat. *Pſalm. 71.*

In ſacris namque myſteriis ſepulturam eius adumbrantes, & mortem annuntiantes, per ea generamur, & fingimur, & excellentiſsimè cum Saluatore coaleſcimus. Hæc enim ſunt, per quæ in ipſo, vt Paulus ait, viuimus, mouemur, & ſumus: Siquidem baptiſma quidem eſſe, & prorſus ſubſiſtere in Chriſto largitur. Id enim mortuos, perditoſque complexum, primùm in vitam introducit. Sacra autem vnctio, natum perficit & conſummat, actionem tali vitæ reſpondentem inſerens. Diuina deinde Euchariſtia *1. Cor. 11.* *Actor. 17.*

vitam hanc & ſanitatem continet, atque conſeruat. Parta enim ſeruare, & vitam retinere, panis vitæ donum ac munus eſt. Idcirco hoc quidem pane viuimus, vnguento autem mouemur, poſtquam à baptiſmo accepimus vt eſſemus. Et hoc pacto viuimus vita à mundo iſto aſpectabili ad inaſpectabilem conuerſa, & non quidem loco, ſed vita, & viuendi rationibus commutatis. Nec enim ipſi ad Deum euecti ſumus, nec ad illum aſcendimus: quin ille potius ad nos venit, &
Lucæ 15. deſcendit, ſed quæſiti ſumus: nec nos quæſiuimus: quia non ouis pa-
Pſalm. 84. ſtorē, nec drachma patrem familias quæſiuit; aſt ipſe de cœlo in terrā proſpexit, & inuenit imaginē ſuam, venitq; in loca, in quibus errabat ouis, quam in humeros ſuſtulit, & ab errando cohibuit: nō inde homines transferendo: ſed in terris manentes & cœleſtes reddidit, & vitam iis cœleſtem impertiuit. Non in cœlum nos ſubduxit: ſed cœlum ad nos inclinauit, & deduxit, ſicut Propheta ait, *inclinauit*
Pſalm. 17. *cælos & deſcendit.* Proinde per hæc ſancta myſteria tanquam per feneſtras in tenebroſum hunc mundum ſol iuſtitiæ ingreditur, vitamque huic mundo conformem morte afficit, ac cœleſtem ex-
Ioan. 8. citat, & lux mundi mundum vincit; quod his verbis inſinuat, *ego*
Ioan. 9. 16. *vici mundum.* In mortali & fragili corpore ſtabilem æternamq; vitam intulit.

Sicut enim in domo quapiam, illapſo ſolis radio lucerna cernentium oculos ad ſe amplius non aduertit, verùm claritas radij eam longè vincens dominatur; conſimiliter in hac vita per myſteria futuræ vitæ ſplendor immiſſus, & animas inhabitans, vitam quæ in carne degitur, vincit, puchritudinemque & claritatem mundi huius obſcurat. Et hæc eſt vita illa in ſpiritu, qua omnis concupiſcentia carnis, iuxta Pauli vocem triumphatur. *Spi-*
Galat. 5. *ritu ambulate*, inquit, *& deſideria carnis non perficietis.* Hanc viam ſecuit dominus noſter, cùm ad nos veniret, & hanc portam in mundum ingreſſus aperuit, & ad Patrem reuerſus, claudere non ſuſtinuit: ſed ex eo per hanc ad ſanctos accedit; quin potius omni tempore adeſt, & nobiſcum eſt, & erit ſemper promiſſum
Matth. 28. ac receptum illud ſuum efficiens. Quocirca non eſt hoc aliud,
Geneſ. 28. niſi domus Dei, & hæc eſt porta cœli, dixiſſet Iacob Patriarcha; per quam non ſolum angeli in terras deſcendunt (cuilibet enim initiato adſunt) ſed etiam ipſemet angelorum dominus. Hanc ob cauſſam & Saluator quando baptiſmum ſuum ceu in tabula præmonſtrans, baptiſmo Ioannis ipſe quoque ablui non refugit,
Matth. 3. cœlum aperuit; docens, hoc eſſe per quod cœleſtes illas regiones

viſuri ſimus. Quin etiam, quibus verbis, affirmauit, non poſſe *Ioan. 5.* qui ſacro fonte ablutus non ſit, in vitam ingredi, iis ipſis lauacrum iſtuc introitum, & portam quandam illius eſſe indicauit. *Aperite mihi portas iuſtitiæ*, exclamat Dauid, has, vt arbitror, portas aperiri deſiderans. *Pſalm. 117.* Hoc enim eſt, quod multi reges & prophetæ videre cupierunt; *Luca 10.* delapſum ſcilicet in terras portarum iſtarum artificem. Propterea item ſi ingreſſu iſto potiatur, perque portas haſce introeat, gratias ſe Deo acturum profitetur, qui murum diuiſit. *Ingreſſus enim in eas*, inquit, *confitebor domino*, vt qui ab hiſce portis maximè ad perfectiſsimam diuinę bonitatis, benignitatiſque erga genus humanum cognitionem aſpirare potuerit.

Quod enim clementiæ & benignitatis indicium excellentius, quàm lauantem aqua, à ſordibus animæ purgari? vnctum vnguento regnare in regno cœleſti? conuiuio excipi ab eo, qui ſuum ipſe corpus & ſanguinem appoſuit? homines deos, & filios Dei fieri? naturamque noſtram diuinis honoribus coli, ac puluerem in tantum gloriæ faſtigium extolli, vt iam diuinæ naturæ, & honoris, & deitatis conſors ſit? Cuinam aliquid tale eueniat? quam, quæſo, nouitatis, & inuſitatæ rei magnitudinem prætermiſit? Hæc enim eſt virtus Dei, quæ operuit cœlos, opinor, creaturam vniuerſam ſupergreſſa eſt, & omne opus Dei præcelluit, maieſtate ſcilicet, & præſtantia exſuperans. *Pſal. 146.* Omnium namque diuinorum operum, tam multorum, bonorum, magnorumque nullum eſt, quod non infra ſapientiam, & artem fabricatoris omnium videatur, poteſtque, ſi vult, editis meliora & maiora edere, quantum profectò dicere nequimus. Quod ſi adeò bonum, & eximium Dei opus fieri poteſt, vt cum illius ſapientia, poteſtate, & arte contendat, &, vt verbo dicam, eius infinitati exæquetur, & veluti veſtigium totam eius maieſtatem, amplitudinemque oſtendat, hoc arbitror eſſe viciſſe. Nam ſi hoc Dei opus ſemper eſt, bonum communicare, & eius rei cauſſa agit omnia, & hic eſt finis atque ſcopus tum eorum quæ hactenus ab eo facta ſunt, tum eorum quæ in poſterum fieri ab eo poſſunt, (bonum enim diffundi ac propagari ait Dionyſius,) quod faciens Deus vniuerſorum communicauit bonum omnium maximum, & quo nobilius dare nequit, id fuerit ſupremum illud, & pulcherrimum bonitatis opus, & extremum bonitatis eius. *De diuin. nom. cap. 4.*

Huiuſcemodi porrò œconomiæ opus eſt, quam pro ſalute humana ſuſcepit & adminiſtrauit. Hic enim non ſimpliciter qualecunque

cunque bonum naturæ humanæ communicauit, ſibi potioribus reſeruatis; ſed ipſam totam plenitudinem diuinitatis, omnes diuitias ſuas naturales in eam congeſsit. Idcirco & iuſtitiam Dei in Euangelio præclarè reuelari Paulus ſcribit: *iuſtitia enim Dei in eo reuelatur*, inquit. Si qua enim eſt iuſtitia, & virtus Dei, ea erit, omnibus affluenter bona ſua impertiri, ipſaque communio beatitudinis. Hanc ob cauſſam myſteria ſacratiſsima portæ iuſtitiæ meritò nominentur, quoniam Dei erga genus noſtrum ſuprema benignitas & bonitas, quæ eſt diuina virtus & iuſtitia, hunc nobis introitum in cœlum patefecit.

Coloſſ. 1. *Rom. 1.* *Iacob. 1.*

Immò verò etiam alio modo, iudicio quodam, & iuſtitia hoc trophæum conſtituit dominus, & hanc portam, & hanc viam nobis eſt largitus. Non enim captiuos rapuit, ſed liberationis pretium perſoluit, & fortem alligauit, quòd eſſet potentior; & iuſta ſententia eo condemnato, regnauit in domo Iacob, in animabus hominum tyrannidem euertens; non quia euertere potuit; ſed quia eam euerti iuſtum erat. Atque hoc Dauid indicans, ait, *iuſtitia, & iudicium præparatio ſedis tuæ*. Non ſolùm autem iuſtitia has portas aperuit; ſed etiam iuſtitia ipſa per eas ad genus noſtrum venit. Prioribus enim temporibus, priuſquam Deus ad homines delaberetur, iuſtitia in orbe terrarum nuſquam inueniebatur. Ipſe enim Deus de cœlo aſpiciens quæſiuit; quem latere non potuiſſet, ſi vlla extitiſſet; & tamen non inuenit. *Omnes enim*, inquit, *declinauerunt, & inutiles facti ſunt: non eſt qui faciat bonum; non eſt, vſque ad vnum.* At poſtquam veritas de terra, in tenebris atque vmbra mendacij ſedentibus exorta eſt, tunc etiam iuſtitia de cœlo proſpexit, & tum primùm verè, perfecteque hominibus apparuit: & iuſtificati ſumus; primùm quidem à vinculis, & à ratione reddenda liberati, eo qui nihil ſceleris admiſerat per mortem crucis pro nobis reſpondente, qua pœnas luit eorum, quæ nos nefariè auſi fueramus: deinde per mortem illam & amici Dei, & iuſti euaſimus. Non enim tantummodo nos liberauit, & cum Patre in gratiam reduxit mortuus Saluator; ſed inſuper *dedit nobis poteſtatem filios Dei fieri*. Copulans quidem ſibi naturam noſtram, per carnem nobis comparatus eſt: noſtrum autem vnumquemque carni ſuæ copulans, virtute myſteriorum videlicet, hoc modo iuſtitiam ſuam, & vitam in animabus noſtris exoriri facit. Ita veram iuſtitiam per ſacra myſteria & cognoſcere hominibus licuit, & ea rite fungi.

Matth. 12. *Luca 1.* *Pſalm. 88.* *Pſalm. 13.* *Pſalm. 84.* *Iſaia 9.* *Ioan. 1.*

Etſi enim multi iuſti, & amici Dei in ſcriptura memorentur, antequam aduenirer, qui iuſtificaret & reconciliaret, tamen illud

illud inprimis cogitandum eſt, quod primùm ad ſæculum ipſorum, poſt ad futurum attinebat, eos potuiſſe, & paratos fuiſſe ad iuſtitiam, veluti ad ſublatum aliquod ſignum accurrere, perſolutoque pretio, quibus tenebantur vinculis leuari, oblatumque lumen aſpectare, & demonſtrata iam veritate, à figuris & vmbris recedere. Et hoc iuſti ab improbis differebant, cùm eſſent alioqui propemodum iiſdem compedibus irretiti, eandemque tyrannidem paterentur. Nam illi mancipium, & ſeruitutem illam iniquo ferebant animo, optabantque carcerem deſtrui, & vincula illa diſrumpi, & tyranni caput à vinctis conculcatum videre cupiebant. His autem præſens rerum ſtatus nihil habere horribile videbatur, & ſeruitute ipſa lætabantur. Quales & beatis illis temporibus erant, qui ſolem ſuper ſe exortum nec admittebant, & quibus poſſent modis extinguere moliebantur, nihil prætermittentes, quo ſe radium obſcuraturos arbitrabantur. Vnde & illi, vbi rex apparuit, è tartareo dominatu erepti ſunt; hi verò in vinculis permanſerunt.

Sicut enim inter ægrotos, qui curationem omni diligentia exquirunt, & medicum minimè auerſantur, iis qui ne ſentiunt quidem ſe ægrotare, & à medicina reſiliunt, meliores & tolerabiliores eſſe ſolent: his medicus medetur, opinor, & conualeſcentes alloquitur, idq; nihil dubitans, ſi nouerit artem ſuam morbi ſæuitię non imparem eſſe: ad eundem modum etiam iuſtos & amicos quoſdam illis ſæculis vocauit Deus. Quod enim in ſe erat, id præſtabant, & pro virili iuſtitiam colebant; quod eos ſolutione dignos reddebat, cum is in medio eſſet, qui ſoluendi poteſtatem habebat. Aſt neutiquam ſoluit. Atqui ſi hæc erat vera iuſtitia, ipſi quoque corpore hoc depoſito in pace, & in manu Dei eſſe debuerunt. Nunc autem ex hac luce abeuntes, inferi excipiebant. Veram quippe iuſtitiam, & cum Deo amicitiam, Dominus noſter non è remotiſsimis & peregrinis locis tanquam ab exilio reduxit: ſed ipſemet primus in mundum introduxit, & iter in cœlum ferens, non quod erat inuenit: ſed ipſe illud muniuit, & ambulauit. Nam ſi fuiſſet, vtique alius priſcorum illud capeſsiuiſſet. *Atqui nemo aſcendit in cœlum, niſi filius hominis qui eſt in cœlo.* Quando enim peccatorum veniam, pœnarumque immunitatem ante Dominum in cruce ſuffixum adipiſci non licuit, quid de iuſtitia exiſtimabimus? Haud enim conſentaneum erat, vt arbitror, ante reconciliationem in choro amicorum collocari, & adhuc vinculis circundatos, pro coronatis promulgari. Vt ſummatim dicam, ſi agnus paſchalis ille omnia confecit, quid his poſterioribus opus fuit? Nam ſi typi, & imagines quæſitam fœlicitatem attulerunt, veritas, & res ipſa inania ſunt. Per

Eccleſ. 44.

Ioan. 3.

Exodi 12.

Dominus ſecum attulit, myſteria iſta vſurpantes, eius mortis & paſſionis participes & cõſortes fieri, ſine quo mortem effugere non poſſumus. Neque enim non baptizatum in aqua & Spiritu ſancto fas eſt in vitam ingredi: neque qui non comederint carnem filij hominis, & biberint eius ſanguinem, vitam in ſe ipſis habere queant. *Ioan.3.* *Ioan.6.*

Altius porrò iſtuc diſcutiamus. Viuere Deo non licet, ſi peccatis non ſimus mortui. Poſſe autem peccatum interimere, ſolius Dei eſt. Debebatur id quidem hominibus. Nam cum volentes victi eſſemus, redintegrata ſaltem pugna, vt vinceremus æquitas poſtulabat. Non licebat autem, & longè aberat, cum iam ſerui facti eſſemus peccati. Quo enim pacto eo cui ſeruiebamus ſuperiores diſcederemus? Certè etſi etiam maiores eramus, tamen *non eſt ſeruus maior Domino ſuo.* Quoniam igitur quem debitum hoc complecti, & victoriam hanc reportare dignum erat, iis ſeruiebat, quos armis ſubigere oportuerat, Deus autem, in cuius poteſtate iſta ſunt, nulli quidquam debebat, atque ideo certamen neuter aggrediebatur, & peccatum viuebat, & iam vt ex vera vita trophæum nobis exoriretur, fieri non poterat, cum alius deberet, alius poſſet. Hanc ob cauſſam hoc & illud conuenire, coniungique neceſſe fuit, & vnum eundemq́; naturam veram gerere, tum eius qui certamini eſſet idoneus, tum eius qui vincere poſſet. Fit, & Deus quidem agonem pro hominibus aſſumit, natus homo; & homo debellat peccatum, purus omnis peccati, quia Deus erat. Et hoc quidem pacto opprobrium ceſſat, & peccato proſtrato, victoriæ corona redimitur. Aſt nondum etiam homo quilibet aut propterea vicit, aut certauit, aut vinculis illis ſolutus eſt. Et hoc ſanè Saluator ipſe fecit per ea quæ aſſumpſit, in quibus vnicuique hominum poteſtatem dedit interficiendi peccatum, & ſocietatem fortitudinis eius conſequẽdi. Quoniam enim poſt victoriam illam coronari, & triumphare oportebat, ipſe autem plagas, crucem, mortem, & huiuſcemodi mala expertus eſt, & vt Paulus ait, *propoſito ſibi gaudio, ſuſtinuit crucem, confuſione contempta*, quid fit? Ille ſcelus nullum conſciuit, ob quod pœnas tam diras exſolueret, nullo ſe delicto obſtrinxit, nec patrauit quippiam, vnde illũ vel impudentiſsimus ſycophanta accuſare potuiſſet. Plagæ autem, dolor, mors ab initio aduerſus peccatũ excogitata ſunt. Quid enim concederet illi, quanquam benignus Dominus? Haud enim æquum eſt, perditione & morte lætari bonitatem. *Matth.10.* *Hebr.12.*

Quocirca poſt peccatum continuò mortem, & dolores immiſit Deus, non magis vt reum ſupplicio multaret, quàm vt ægroto medicinam admoueret. Quia igitur actionibus Chriſti huiuſcemodi animaduerſio non conueniebat, nec vllum morbi veſtigium Saluator

habebat,quod accepto medicamine tolleretur,ad nos illius potionis efficacitas tranſit,& peccatum in nobis hærens enecat,verberaque innocentis fiunt ſupplicium pro his, qui multis criminibus ſunt inuoluti. Et quoniam pœna ingens erat & ſingularis, maiorque, quàm vt eam hominum ſcelera adæquarent,non hîc conſtitit,vt contracta crimina expiaret; ſed tantum bonorum cumulum adiecit, vt & in cœlum aſcenderent, & illic Deo conſortes regni fierent, terreni, inimiciſsimi, vincti, ſeruitute oppreſsi, atque deſpecti. Pretioſa enim erat mors illa,quantum mens humana comprehendere nequit:etſi ab homicidis illis paruo venditus eſt libens Saluator. Et hæc vna pars illius ſummæ paupertatis & ignominiæ, vt quod omnino venditus eſſet, in eo ſeruile quiddam ſuſtinens, contumelias lucraretur: dedecus enim pro nobis, & opprobrium in lucris numerabat: pretij autem exiguitate inſinuaretur, eum ad mortem pro mundo perpetiendam gratis veniſſe, & hoc illi munus dare. Sponte & vltro eſt mortuus, cum nemini nec facultatum, nec vitæ ciuilis atque communis grátia vllam impoſuiſſet iniuriam,& beneficiis illos interfectores ſuos omni ſpe ac deſiderio longè maioribus anteuertiſſet.

Sed quid ego iſta commemoro? Deus mortuus eſt:Dei ſanguis in cruce effuſus eſt. Quid hac morte pretioſius? quid venerandum magis fieri queat?Quod tantum ſcelus hominum fuit,vt id eluere deberet ipſa iuſtitia? Quale vulnus, quod tam nobile auxilium poſceret? Oportebat enim ſupplicio aliquo peccatũ aboleri,commiſſorumque aduerſus Deum iuſta pœna expẽſa,accuſatione liberari.Nam qui pœnas ſuſcepit, ſuper iis propter quæ ſuſcepit in iudicium amplius non vocatur.Hominum verò reperiebatur nemo,qui ipſe integer,& à labe purus pateretur;quando nec ſibi quidem vllus ſufficiebat,neq; genus humanum vniuerſum, ſi millies mori licuiſſet, commeritum ſupplicium dare potuiſſet. Quid enim pro dignitate patiatur ſeruus impuriſsimus, qui regiam imaginem contriuit, & in tantam celſitudinem contumelioſus fuit? Idcirco Dominus ipſe,ab omni peccato alienus, multa nefanda perpeſſus moritur;& homo hominum cauſſam patrociniumque ſuſcipiens, cruciatus excipit; & genus ſuum piaculis abſoluit; compeditis libertatem donat, qua ipſe, vt Deus, & Dominus, non egebat. Quorum gratia igitur vera vita per necem Saluatoris ad nos dimanârit, hæc ſunt.

Modus, quo hanc vitam in animas noſtras deriuemus, eſt, vt myſteriis initiemur; nempe vt abluamur: vt inungamur: vt ſacroſancto conuiuio nos expleamus. Hæc qui faciunt, ad eos Chriſtus venit, in illis habitat, illis copulatur & adhæreſcit, & peccatum elidit, vitamq;

ſuam,

ſuam,& ſtrenuitatem impertit,in partem victoriæ ſuæ admittit(ô bonitatem)lotos coronat,& cœnantibus præconium tribuit.Quamobrem autem,& qua nam ratione fit,vt à lauatione,& vnctione,& menſa victoria,coronaque obueniat,quæ laborum,ſudorum,periculorumque præmia ſunt? Quia tametſi non certamus,nec laboramus iſta obeuntes, nihilominus illius agonem laudibus celebramus, victoriam ſuſpicimus, trophæum adoramus; & erga bellatorem fortiſsimum eximium incredibilemque amorem oſtendimus; vulneraque illa, & plagas, & mortem ad nos trahimus, & qua via poſſumus, nobis vendicamus, ipſamque carnem mortui, & rediuiui guſtamus. Vnde non iniuria bonis è morte,& agonibus illis profluentibus perfruimur.

Si quis enim tyrannum captum, & pœnis addictum conueniens eximat, corona condecoret,ob tyrannidem veneretur,& eo pereunte moriendum ſibi exiſtimet,aduerſus leges exclamet,& contra iura indignetur; neq; id cum pudore,nec improbitate diſsimulatè; ſed protoruè, ac deos teſtans, & ſe in eo oſtentans, quam ſententiam in hunc feremus? nónne iiſdem cum tyranno ſuppliciis multandum cenſebimus? Planum hoc quidem cuiuis. Nónne igitur prorſus contrarium facit,qui regem bellicoſiſsimum admiratur;eius victoria exultat; coronam ei plectit;plauſum excitat;& theatrum totum commouet;ante triumphantem, cum voluptate in genua procumbit; caput eius deoſculatur; dextram complectitur, atque adeò vehementer, & prope ad inſaniam Imperatorem,reportatamque ab eo victoriam diligit,quaſi ab eodem caput ſuum corona ornandum ſit? Nam hic partem quandam præmiorum à victore capiet, apud iuſtè rem æſtimantibus, ſicut ille alius, opinor, tyranno victoriæ ſocius erit. Si enim improbis quæ eos accipere decent concedemus,voluntatiſque & animi habenda eſt ratio,neutiquam fas eſt bonos ſuis emolumentis priuatum ire.Quod ſi hoc etiam acceſſerit, vt qui victoriam illam peperit, ipſe victoriæ præmiis non indigeat, & illud inſtar omnium ducat, ſui amantem ac ſtudioſum in theatrali multitudine conſpicuum cernere, & hoc certaminis ſui honorarium reputet, coronari videlicet amicum, quomodo ille non iurè, & conuenienter admodum, ſine ſudoribus periculiſque è bello coronam auferet? Hæc ſanè nobis conciliare poſſunt lauacrum iſtuc, & cœna; ſobria cœna, inquam, & modeſtæ vnctionis deliciæ conciliare poſſunt: Nam cum initiamur, tyrannum deteſtamur,conſpuimus & auerſamur. Fortiſsimum autem bellatorem collaudamus, in oculis ferimus, adoramus, & toto pectore diligimus,& abundantia amoris, tanquam pane paſcimur, & veluti aqua circumfluimus. Liquet porrò etiam prælium hoc ab illo noſtri cauſſa ſuſceptum

ptum eſſe: & vt nos vinceremus, ipſum mori non recuſaſſe. Quocirca non eſt parum conſequens, nec abſurdum, ab hiſce myſteriis nos ad coronas peruenire. Nos enim quam potuimus alacritatem ſtudiumque demonſtrauimus, & audientes fontem iſtum habere mortis & ſepulturæ Chriſti efficientiam, & credimus omnes, & libenter accedimus, & immergimur. Non enim exigua donat, nec mediocribus dignatur. At ille ſeſe poſt mortem, & ſepulturam ſuam ad ipſum applicantes amanter ſuſcipit, non coronam aliquam porrigens, nec gloriam iis ſuam communicans; ſed ipſum victorem, ipſe ſemetipſum coronatum communicat, & è ſacro fonte exeuntes, ipſum Saluatorem in animabus noſtris portamus, in capite, in oculis, in ipſis viſceribus, in membris omnibus, à peccato purum, ab omni corruptione liberum, qualis reſurrexit, & diſcipulis apparuit, & in cœlum profectus eſt, qualis redibit, theſaurum hunc exacturus.

Sic nati cum ſumus, & veluti ſpecie quadam atque forma Chriſto ſignati, ne aliam ſpeciem admittamus, vitæ aditum ipſe occupat: & per quę ad vitam ſuſtentandam aërem ſpiritu ducimus, & alimoniam capimus, per eadem ipſe in animas noſtras ingreditur, & portas ambas ſibi attribuit: illi quidem vt vnguentum & ſuauis odor: huic vt cibus aptus & conueniens. Etenim illum & ſpiramus, & pro nutrimento habemus. Et cum ita ſemetipſum per omnia nobis implicuerit, commiſcueritque, ſuum corpus facit, & nobis idem fit, quod membris caput. Propter hoc enim quia caput, etiam bonorum eius omnium participes ac ſocij ſumus. Nam quæ capitis ſunt, in corpus tranſire neceſſe eſt; quod quis non immeritò admiretur, quod cum nec cruciatus, nec mortem cum eo pertulerimus; ſed ſolus decertauerit, tamen poſtquã ad coronationem ventum eſt, tum nos ſibi conſortes eſſe voluerit. Eſt igitur hoc etiam eiuſmodi humanitatis, vt verbis exprimi nequeat: nec procul autem à ratione, rerumque conſequentia. Poſt crucem enim Chriſto conglutinati ſumus; quo nondum mortuo, nulla nobis cum eo communitas interceſsit. Ille enim erat filius, & dilectus; nos ſceleſti, & ſerui, & animo hoſtes. At poſtquam necem pertulit, & pro libertate noſtra pretium eſt impenſum, & diaboli carcer deſtructus, tunc libertatem, & adoptionem filiorum recepimus, & beati illius capitis membra facti ſumus. Ex eo igitur quæ capitis ſunt, noſtra quoque ſunt. Et nunc quidem nullo peccato obligati ab aqua iſta diſcedimus, & cum eo in eadem gratia conſociamur, ac propter vnguentum, & propter menſam eadem vita cum ipſo viuimus; in futuro autem ſæculo dij cum Deo, & eorundem cum illo hæredes, & eodem regno cum ipſo regnantes viuemus, niſi nos

ipſos

ipſos ſponte volenteſq; in hac vita excæcauerimus, ac veſtem regiam diſruperimus. Hoc enim ſolum ſuper vitam acceptam de noſtro addimus, vt dona contineamus, & gratiam cuſtodiamus, nec coronam abiiciamus, quam multis ſudoribus & laboribus Deus nobis contexuit. Hæc eſt vita in Chriſto. Quam conflant quidem myſteria; ſed ad eandem præterea humana diligentia nonnihil confert. De qua diſſerere volenti, vbi de vnoquoque myſterio ſeorſum prius diſputauerit, tum demum de actione cum virtute coniuncta ordinatim tractatio ſuccedet.

DE VITA IN CHRISTO, LIBER SECVNDVS.

Quem ei vtilitatis fructum diuinum baptiſma conciliet.

SACRIS itaque myſteriis vitam ſacram contineri, & cohærere, libro proximè ſuperiore demõſtratum eſt. Quomodo autem vnumquodq; per ſe ad eam pertineat, ſequitur vt indagemus. Vita in Chriſto nõ aliud eſt, quàm conglutinari Chriſto. Quo autem modo vnaquæque initiatio initiatos cum Chriſto conglutinet, nunc explicabimus. Licet igitur cum Chriſto coniungi eos, qui pertranſierunt omnia, per quæ ille tranſiuit, factique ſunt, & perpeſsi omnia quæ ille. Chriſtus itaque carni & ſanguini omnis peccati expertibus coniunctus, & vnitus eſt. Cumque Deus eſſet ab initio, etiam hoc, quod poſtea factus eſt, diuinitate affecit, humanam naturam videlicet. Tandem carnis gratia mortem quoque ſubiuit, & in vitam ſeſe reuocauit. Oportet ergo & in carne illius conſortem, & in diuinitate participem, & in ſepultura, ac reſurrectione ſocium eſſe, qui cum eodem colligari deſiderat. Ideo in vndam ſalutarem immergimur, vt illius morte moriamur, & reſurrectione reſurgamus. Vngimur autem, vt regiæ vnctionis Deitate illi conſociemur. Edentes verò panem ſacratiſsimum, & diuiniſsimum poculum haurientes, carnis ipſius & ſanguinis, quæ aſſumpſit, participes reddimur. Et iſta via copulamur ei, qui pro nobis incarnatus, & deificatus, & mortuus eſt, & reſurrexit. Quid igitur? num & eundem cum illo ordinem tenemus? Nihil minus: ſed vbi

regeneratio, & reformatio. Tantum hoc adſignificant, nunc demum natos formatoſque, aliàs quoque natos fuiſſe, & forma perdita, nunc iſta altera generatione ad priſtinam ſpeciem, formamque reuertiſſe: quemadmodum cum materiæ ſtatuæ alicuius formam amiſſam ſtatuarius reponit, imaginem regenerat, & reformat: ſiquidem & hoc ipſum, quodcunque tandem in nobis eſt baptiſmatis opus, ſpecies quædam & forma eſt; imaginem enim quandam in animabus noſtris depingit, & inſculpit, formamque inſerit, morti & reſurrectioni Saluatoris conformes efficiens. Hinc *ſigillum*, ſiue *ſignaculum* quoque dicitur, quando nos ad regiam effigiem, & ad beatam illam ſpeciem fingit. Species autem materiam complexa, informem de cætero eſſe non patitur. Inſuper *indumenti*, & *baptiſmatis*, ſeu *immerſionis* nomine afficimus hoc myſterium; diciturque qui initiatus eſt & indutus, & baptizatus, ſiue immerſus. Significans verò Paulus, *indumentum*, & *ſigillum* eodem ſpectare, nunc quidem Chriſtianis inſcriptum, & formatum, nunc quaſi veſtimentum circumdatum eſſe affirmat. Nam Galatis ita ſcribit. *Filioli, quos iterum parturio, donec formetur Chriſtus in vobis.* Et, *quicunque in Chriſto baptizati eſtis, Chriſtum induiſtis.* *Galat. 4. Ibid. 3.*

Etenim aurum, argentum, & æs, donec igne colliquefacta fluant, materiam intuentibus nudam exhibent: vnde & aurum tantummodo, aut argentum, aut æs ea ipſa materia nominatur. Vbi verò inſtrumento ferreo ad formam recipiendam compulſum fuerit, non iam materia, ſed forma prius apparet: ſicut veſtes prius, quàm corpora videntibus occurrunt. Ex quo etiam nomen aliquod proprium adipiſcitur: ſtatua enim, aut annulus, aut quodcunque tandem huiuſmodi rerum, quæ non iam materiam, ſed formam & ſpeciem duntaxat ſignificant, appellatur. Ac fortaſsis autem propterea ſalutaris baptiſmi dies etiam Chriſtianis eſt ὀνομαστήριος, (id eſt, eo nomina baptizatis imponuntur) quoniam tunc fingimur & formamur, vitaque noſtra informis, & incircumſcripta, faciem, & terminum, ac limitem certum accipit. Inſuper ab eo qui ſuos cognoſcit tunc primùm cogniti (& vt Paulus ait, *nunc autem cum cognoueritis Deum, immò cum cogniti ſitis à Deo*) vocem illam ſignificantem, cognomen noſtrum illo die audimus, velut tunc planè cogniti. Deo enim cognitum eſſe, hoc eſt, verè notum eſſe. Quapropter & Dauid de his quibus cum hac ſancta vita nihil eſt rei, *non ero*, inquit, *memor nominum illorum per labia mea.* Ignoti enim & obſcuri ſunt, qui ſemet à lumine illo procul remouerunt. Neque enim oculis aſpicere valentibus citra lumen quidquam eſt aſpectabile: neque Deo notum, quod inde radium lucis non accepit. Cauſſa eſt, quod re ipſa ne eſt quidem omnino, quod illo lumine- *Galat. 4.* *Pſalm. 15.*

1.Timot. 2. Matth. 25. mine non manifeſtatur. Et hac ratione *nouit dominus qui ſunt eius.* Et rurſum, fatuas virgines non ſe nouiſſe ait.

Idcirco baptiſma *illuminatio* dicitur, quoniam verum eſſe præſtans, notos Deo facit, & in lucem illam producens, à caliginoſa improbitate ſeiungit. Ob id ipſum etiam *lauacrum*, quia illuminatio. Sic enim dat cum luce defæcatum ac purum habere commercium, cum omne inquinamentum, quo diuinus radius ab animabus noſtris excluditur, velut medium parietem diruit. *Chariſma* autem, ſiue *donum.* Nam ad generationẽ ſpiritualem ſuam quid eſt, obſecro, quod prius quiſquam confert? Etenim haud ſecus quàm in generatione naturali ſe res habet: nec ipſam quidem voluntatem bonorum è baptiſmo exiſtentium afferimus, ſi quis penitius rem introſpexerit. Libet enim

1.Cor. 2. ea quæ ſunt cogitare: aſt hæc *in cor hominis non aſcenderunt:* nec poteſt quiſpiam ea mente concipere, donec experiatur. Nam cùm audimus libertatem, & regnum eſſe propoſita, vitam quandam fælicem cogitamus, quam animus humanus complecti queat. Atqui iſtuc omnimodis aliud eſt, ingenioq́; ac deſiderio noſtro ſuperius. *Vnctio* autem ſiue *chriſma* appellatur, quia Chriſtum propter nos vnctum initiatis inſcribit: & ſigillum eſt, ipſum Saluatorem imprimens. Vnctio enim vbique, per totam formam corporis ſuſcipientis perfectè penetrans, & illud adaptans, ipſum vnctum ex ipſo expreſſum & ſignatum facit, & formam oſtendit, & ſigillum eſt reuera. Docuimus porrò ſigillum idem quod generationem poſſe: ſicut idem quod ſigillum indumentum & immerſio. Sed quoniam donum, & illuminatio, & lauacrum eodem quò formatio generatioque pertinent, patuit, omnem baptiſmatis appellationem vnum illud ſignificare, nempe hoc lauacrum generationem, & vitæ in Chriſto principium nobis eſſe. Vtrum autem cærimoniæ, & quæ recitantur, in hoc myſterio, hanc vim habeant, clarebit iis, qui initiationem iſtam particulatim expenderint.

Cernitur enim qui ad myſterium hoc percipiendum accedit, antequàm initietur, nondum Deo reconciliatus, nondum à veteri dedecore ac turpitudine immunis. Precatur quippe initiator ante aliam cærimoniam, vt à quo occupatus eſt dæmon, liberetur. Nec ſolum alloquitur Deum pro eo; ſed & ipſum catechumenum adoriens, ty-

Philipp. 2. rannum increpat, & flagello inſectatur. Flagellum eſt *nomen illud ſuper omne nomen.* Tantumque abeſt vt viuat, & filius atque hæres ſit, vt adhuc in tyranni mancipio verſetur. Nam qui cum maligno rationes habet, is à Deo penitus recedit. Hoc verò eſt prorſus mortuum eſſe. Quare etiam veluti ad exanimem adhuc accedens initiator, in faciem eius

eiús ſufflat: quæ inſufflatio vitæ cælitus inferendæ tecta ſignificatio eſt. Quæ ſequuntur, reſpondent. Omnia enim ſunt quaſi modò procreatorum, & præſentia, quæque in manibus ſunt deſpicientium, & ad moderamen aliud translatorum. Vrgetur enim è duplici mundo hunc contemnere, illum honorare: & vitæ huic quidem valedicere, illam viuere; & vitæ ducem hunc velis remiſque fugere, illum quam ſtudioſiſsimè ſequi. Igitur quia præſentia deponit, ſatis indicat, quorum ſemet nondum adhuc reconciliatus condemnet. Quia autem viſa pulchriora, & à ſe præſentibus antepoſita, ab hoc myſterio accipit, oſtendit, ſe quòd baptizatus ſit, vitam laudabilem exordiri. Templum quippe ingreſſus, veſtem deponit, & calceamenta ſoluit, veſte & calceis, quæ ad vitam ſunt neceſſaria, priorem viuendi rationem inſinuans. Præterea ad occidentem conuerſus, ſpiritum ore emittit, vitæ in tenebris actæ indicium; manus extendit, & tanquam præſentem, ſibique incumbentem malignum repellit, & ceu impurum ſceleſtumque abominatur, fœderique inimiciſsimo & infideli & cauſſæ omnis exitij renuntiat, amicitiamque longè acerbiſsimam diſſuit; & odium amplectitur; & è tenebris ad diem procurrit; atque ad orientem reſpiciens, ſolem quærit; expedituſque è tyranni manibus, regem adorat; & contempto ſpurio, legitimum dominum agnoſcit; illi ſubiici & tota anima ſeruire optat: & ante hæc in eum, vt in Deum credere. Et ad eum pertinentia cognoſcit. Nam & hoc beatæ vitæ initium eſt, vera de Deo cognitio. *Scire enim iuſtitiam tuam, & virtutem tuam*, ait Salomon, *radix immortalitatis.* Sap.15. Sicut ignorare Deum, mortem inuexit à principio. Poſtquam enim Adamus diuinam benignitatem ignorans, cum qui bonus eſt, inuidum exiſtimauit; & oblitus ſapientiæ, ſe latere ſapientem eſt arbitratus, dominum deſpicatui ducens, fugitiuo adhæſit. Atq; ob id paradiſo expulſus, & vita ſpoliatus, & doloribus cumulatus, mortem denique perpeſſus eſt. Itaque ad vitam, & ad Deum properanti, cognitionem de Deo præire prorſus eſt neceſſarium.

Et dum denudamur, intimamque tunicam exuimus, nos modò viam in paradiſum ducentem, & quæ illic degitur vitam ingreſſos oſtendimus. Adam enim cum à beatis illis ſeptis in nuditatem incidiſſet, ab ea ad hæc miſeranda geſtamina deuenit. Nos contra à pelliceis tunicis ad nuditatem venientes, & per idem medium incedentes, nos eodem reuerti itinere, & ad regiam veſtem recuperandam feſtinare demõſtramus: & vnde, & per q̃ ille in hunc mundũ deſcẽdit, nos hinc reuerti. Sit aũt & illud ſignũ nuditatis, quod nũc purè ad verum lumen accedimus, nihil afferentes, vnde vmbra mortis, & quæ

beatum radium animarum humanarum intercipere queant;ſicut veſtimenta, vt murulus quidam inter lumen hoc, & corpora intercedunt.

Verum enimuero Dei vnctio & alius rei indicium eſſe, & aliorſum ſpectare poteſt. Recordor enim lapidis Iacob, quem oleo delibutum
Geneſ.28. obtulit Deo: & reges,& ſacerdotes hoc ipſo, oleo,inquam,populo & Deo conſecratos: qui ſibi quidem neutiquam, ſed Deo & reipub. viuunt, propter quam inſtituti ſunt. Et nos quoque à vita propria, & à nobis ipſis Deo deſciſcimus. Hoc autem eſt priſtina forma recepta, illi ſimiles fieri,& ſymbolum proprium, Chriſtianorumque cognomini inprimis conueniens. Vngimur enim, & cuius ſimilitudinem concupiſcimus, Chriſtus eſt, qui diuinitate humanam naturam vnxit: ſiquidem & in vnctione cum ipſo communicamus: quandoquidem illius vnctionis hæc vnctio ſignum & nota eſt, idq; initiator his, quæ ſuper initiato,& vncto recitare conſueuit,ſignificat. Sunt quippe eadem illa,per quæ Dauid vnctionem Chriſti,regnumque indicat. Sacerdos enim,*vngitur hic*,inquit (initiatus puta)*oleo exultationis*. Dauid autem, *vnxit te* (alloquitur Saluatorem) *Deus Deus tuus oleo exulta-*
Pſalm.44. *tionis præ participibus tuis:* participes vocans nos, quos propter benignitatem regni ſocios facit.

Hucuſq; igitur nondum viuimus. Signa enim ſunt hæc initiando, & principia quædam, & præparationes vitæ. Poſtquam autem aquis coopertus ter, emerſerit, Trinitate ſuper eo nominata, tunc totum quod deſiderabatur accipit, & generatur, & formatur generatione
Pſalm.138. & formatione diei, ſicut inquit Dauid, ſuſcipitque præclarum ſi-
Epheſ.5. gnaculum, & omni quam quærebat fælicitate potitur, fitque lux, qui nuper erat tenebræ, & ſubſiſtit, qui nihil erat, atque à Deo in familiarem, & filium cooptatur, à carcere, & extrema ſeruitute ad regium thronum prouectus. Hæc enim aqua aliam quidem vitam tollit, aliam efficit: & veterem hominem occidens, nouum exſurgere facit. Hoc maximè intelligunt, qui re ipſa experti ſunt. Deinde & quæ in ipſo myſterio cernuntur, hoc dant per omnia coniicere. Nam quod aquam ſubiens ſemet occultat, videtur fugere vitam, quæ hoc cœli ſpiritu alitur. Fugere autem vitam, hoc eſt emori. Rurſum, quod emergit, & in aëre ac luce conſpicitur, vitam conſectari, & adipiſci videtur. Propter hoc & Deum hîc fabricatorem vocamus, quòd iſtæc vitæ primordia ſunt, & fabricatio ſecunda, priore præſtantior: imago enim exactius quàm antea effingitur; & ſtatua in typum ſimilitudinemque diuinam expreſsius formatur. Idcirco & purius archetypum proponi

poni nunc oportebat. Etenim qui baptizant,Deum ad ſacrum fontẽ inuocantes,non eum nomine Dei appellant, quod eſt Trinitati commune, nec eo ſatis Theologicè, hoc eſt, non perſpicuè, & diſcretè diuinitas indicatur:ſed plenius, & conſummatius eum nominantes, proprietates vniuſcuiuſque ſubſiſtentiæ celebrant.

Subeſt & alia cauſſa. Etſi enim vna benignitate generi noſtro Trinitas ſalutem dedit, tamen quælibet ſacrarum *ὑποστάσεων*, proprium quiddam contuliſſe prædicatur. Pater enim reconciliatus eſt; Filius reconciliauit; Spiritus ſanctus inter amicos iam adſcriptis donum datus eſt. Et ille quidem liberauit;hic pretium factus eſt,quo liberati ſumus: Spiritus ipſa libertas eſt:*vbi enim ſpiritus Domini*, iuxta Pauli vo- *2.Cor.3.*
cem,*ibi libertas*. Et Pater quidem formauit; Filius reformauit: *Spiritus eſt qui viuificat*. Nam & prima fabricatione Trinitas adumbratur. Pa- *Ioan.6.*
ter nempe fingebat; Filius manus erat fingẽti; Paracletus ſpiritus erat vitam inſpiranti. Et quid ego iſtis immoror? In hoc diuinorum operum ſolo Deus diſcretus eſt. Nãm cum multa ſint merita quibus omni ætate Deus creaturam eſt proſecutus, nullum inuenias, quod ad Patrem ſolum, aut ad Filium ſolum, aut ad Spiritum ſanctum ſolum referatur: ſed omnia Trinitati communia ſunt,quia ſcilicet vna poteſtate,prouidentia,& fabricatione efficit omnia. In œconomia autem, qua genus humanum inſtaurauit, etiam iſta nouitas contigit, & ſalutem meam voluit quidem Trinitas communiter, & vt reſtitueretur prouidit;non tamen etiam communiter eam operata eſt. Per ſe enim nec Pater, nec Spiritus,ſed ſolum Verbum, & ſolus vnigenitus operatus eſt, qui carnem ſanguinemque aſſumere dignatus eſt, verbera, cruciatus, mortem excepit, & reſurrexit, per quæ natura reuixit, & quibus baptiſma,noua generatio,& reformatio conſtituta eſt.Itaque perſonis diſtinctum Deum in diuino lauacro appellare oportebat (in nomine ſcilicet *Patris, & Filij, & Spiritus ſancti*) eos, qui ſacram formationem,quæ ſola Deum diſcretum oſtendit,reportarent.

Quid ergo? num etiam œconomiam, & maximè in baptiſmate laudamus? Nos verò laudamus, non per ea quæ dicimus, ſed quæ facimus. Trinam enim immerſionem & emerſionem, quis non videt triduanam Saluatoris mortem, & reſurrectionem, quæ totius œconomiæ finis eſt, exhibere, oculiſque ſubiicere? Nec temerè,opinor, quod Theologicum eſt voce edimus; œconomiam autem rebus cum ſilentio exprimimus. Illud enim erat ab initio,& per vocem tantummodo in hominum notitiam intelligentiamque penetrauit: hoc factum, & humanis oculis conſpectum, & manibus contrectatum eſt. Vnde & B.Ioannes ambo hæc, hoc & illud de Saluatore gemino co-

gnoſcens, dixit quidem, *quod erat ab initio, quod audiuimus*: ſubiunxit tamen, *quod vidimus oculis noſtris, & manus noſtræ contrectauerunt de verbo vitæ*. Præterea Theologicum illud credere tantùm oportet, & probatio fidei in voce conſiſtit (quæ enim, inquit Paulus, corde ad iuſtitiam credimus, ea ore ad ſalutem confitemur) œconomia autem & imitanda omnino, & operibus demonſtranda eſt. Eius enim veſtigia ſequi oportet, qui pro nobis mortuus eſt, & reſurrexit. Idcirco Trinitas quidem in voce eſt; paſsionem autem, & mortem per aquam repræſentamus, nos ipſos ad beatam illam ſpeciem atque formam informantes.

1. Ioan. 1. *Rom. 10.* *1. Pet. 2.*

Ex dictis itaque patet, nos vndique ex his quæ circa baptiſmum conſiderantur, & ex ordine ipſo, & ex vocabulis, quibus afficitur, & ex cærimoniis, & verbis quæ in eo adminiſtrando adhibentur, illud diſcere, vitam in Chriſto à lauacro eſſentiæ ſuæ principium capere. Quid autem ſit ipſum hoc, eſſe vitam, deinceps exſequamur.

Quoniam enim alia perdimus, alia ſimus, & alia proiicimus, alia ſeruamus, ſi conſtabit quid vtrumq; horum ſit, conſtabit etiam, quid ſit ipſum hoc, *ſecundum Chriſtum ſubſiſtere*. Eſt igitur illud quidem peccatum, hoc iuſtitia; & illud vetus homo, hoc nouus. Sed accuratius hæc diſpiciamus.

Cùm peccatum duplex ſit, & in vtrumq; cadat, hoc eſt, & aliud in actione, aliud in habitu vertatur & hæreat, actio ipſa aliquando non adeſt, neque manet: ſed ſimul patrata eſt, eſſe deſinit; ſicut telum mox vt vibratum eſt, præteriit. Reliquit autem vulnus peccatum actionis, his qui illud operati ſunt, & veſtigium improbitatis, confuſionem, & reatum pœnæ. Habitus autem à peruerſis actionibus, veluti morbus quidam, corrupta voluntate animabus inditus, ſtabilis eſt, & vinculis inſolubilibus animam aſtringit, ſenſusq; & cogitata in ſeruitutem redigit, & captos tractat vt qui peſsimè, in actiones ſceleratiſsimas eos inducens, per quas ipſe conflatus eſt, & quas ſemper parit, generatus & generans ſecundùm idem, & in orbem quodammodo: vnde nullus peccandi finis, dum habitus actiones producit, acceſsione autem actionum habitus augeſcit; & ita vtriſque malis inuicem perpetuò progredientibus, peccatum viuit, ego verò mortuus ſum: ſiquidem non heri, nec nuper peccatum cœpit initium; ſed ex quo nati ſumus. Mox enim vt Adamus maligno ſua concredidit, bonumque Dominum contempſit, & voluntate diſtortus ac peruerſus eſt, & anima ſanitatem illam ac bonum habitum perdidit, etiam corpus eadem via inceſsit, ſeque illi accommodans, ſicut inſtrumentum in manu artificis, ſimul peruerſum eſt. Anima namque cum corpore propter

pter arctiſsimam coniunctionem conſpirat. Signum huius rei, rubeſcit enim corpus cum illam pudet: & cum illa angoribus obſidetur, contabeſcit. Procedente autem natura, & genere noſtro à primo illo corpore latius ſe diffundente ac propagante per corpora poſterorum, etiam prauitas, velut aliud quippiam naturale, didita eſt.

Quia verò corpus non ſolùm ex animæ motibus ſimul afficitur; ſed & ſuos cum ea communicat (gaudet enim ſimul anima, & ſimul dolet; & temperantes quidam ſunt atque ingenui, quia corpus ſic eſt affectum, & natum) ideo ſequebatur, etiam vniuſcuiuſque animam, primi Adami vitioſitatem pro hæreditate adire, ab anima quidem illius ad corpus, à corpore autem illius ad poſterorum corpora, & ab ipſis corporibus ad animas dimanantem. Et ſic eſt vetus homo, quem cum vt vitioſitatis ſeminarium à primis parentibus acceperimus, & cum eo in lucem ſimus editi, nullum diem peccato purum vidimus, nec à prauitate liberi vnquam ſpirauimus; ſed vt Propheta ait, *alienatiſsimus à vulua, errauimus ab vtero*, nec infœlici illo patrimonio, peccato videlicet, ab auctoribus generis noſtri ad nos propagato, nec hæreditate malorum contenti fuimus: ſed adeo vitiis nos inſuper inſeruimus, & infandas diuitias exaggerauimus, vt poſterioribus priora obruerimus, imitatoresque ipſis exemplaribus multò deteriores euaſerimus. Et quod maximum eſt omnium, nullæ dantur mali huius induciæ: ſed morbus aſsiduè ſerpit. Et fortaſſe propter hanc rationem genus humanum ipſum ſe curare nullo modo poterat, quod nunquam propemodum libertatem guſtauiſſet, neque, cum expertum non eſſet, vel ad deſiderium ſaltem illius pertingere, & voluntatem libertatis aſſequi, contraque tyrannidem exſurgere poſſet. Ab hiſce vinculis teterrimis, ab hoc ſupplicio, ab hoc morbo, ab hac morte fons iſte liberat; & ita quidem facilè, atque expeditè, vt nec tempore indigeat; tamque plenè ac perfectè, vt ne veſtigium quidem relinquatur. Nec ſolùm à vitioſitate liberat; ſed habitum quoque contrarium ingenerat. Ipſe enim Dominus per mortem ſuam peccati occidendi poteſtatem nobis dedit: & per reſurrectionem vitæ nouæ hæredes inſtituit. Mors ſiquidem illa quatenus hoc ipſum eſt, mors videlicet, vitam peccatis obnoxiam, & peccandi habitum interimit. Quatenus ſupplicium eſt, pœnas peccatorum tollit, quibus propter actionum peruerſitatem debebamur. Atque ad hunc modum ab omni habitus, & actionis peccato lauacrum hoc puros præſtat, quatenus nos huius viuificæ mortis participes reddit.

Pſal. 57.

Et

Et quoniam per lauationem hanc etiam reſurrectionis conſortium obtinemus, vita nos alia Chriſtus donat,& membra fingit,& facultates indit, quibus ad futuram vitam profectis opus erit. Idcirco enim & criminibus ſtatim abſoluor,& ſanitatem mox adipiſcor, maximè, quia Dei ſolius opus eſt, qui tempori & moræ non poteſt alligari. Deinde neque nunc generi noſtro benefacit ita, vt tempore egeat; ſed benefecit. Non enim nunc pœnas Dominus luit eorum quæ peccauimus; neque nunc medicinam parat, & membra format, & vires addit;ſed iam formauit,& addidit,& parauit. Ex quo enim in crucem aſcendit, ſpiritumque efflauit, & rediuiuus prodiit, hominum libertas conſtituta,ſpeciesq; & pulchritudo conciliata,& noua membra adornata ſunt. Tantum accedere,& ſeſe gratiæ offerre opus eſt. Et iſtuc in nobis baptiſmus efficit;vt nimirum mortuos cum vita,& vinctos cum libertate, informes & corruptos cum beata forma coniungat.

Perſolutum eſt pretium; nunc tantùm è vinculis eximus. Vnguentum effuſum eſt, & odoris fragrantia compleuit loca omnia: ſolùm vt id ſpiremus relinquitur. Immo ne iſtuc quidem:nam & ſpirare poſſe, à Saluatore nobis comparatum eſt:ſicut poſſe exſolui:ſicut poſſe illu-
Ioan. 3. minari. Etenim lux non ſolùm orta,& in mundum ingreſſa eſt: Sed & oculum ſui videndi creauit. Nec vnguentum tantummodo effudit; ſed eiuſdem quoque ſenſum donauit. Nunc ſanctum iſtuc lauacrum ablutos huiuſmodi ſenſibus, & facultatibus deuincit. Nam vt materia ſpecie carens, & informis in aquam hanc demergimur, & in ipſa formam quandam elegantem reperimus. Ob hæc ſubitò nobis ena-
Matth. 22. ſcuntur bona omnia:ſunt enim prius præparata. *Prandium meum paratum eſt,tauri mei, & altilia occiſa ſunt*, inquit, *& omnia parata: veuite ad nuptias.* Hoc ſolum reſtat, vt vocati,ad hoc feſtum occurrant. Occurrentibus autem quid tandem ad fœlicitatem adhuc deeſſe poterit? nihil vtique. In venturo quippe ſæculo parati ad Chriſtum accedimus: at nunc quidem cum acceſſerimus, præparamur. Tunc prorſus neceſſarium erit, omnibus rebus inſtructos accedere: in præſenti neceſſe eſt, vt poſtquam acceſſerimus, omnia quibus nos inſtrui oportet, accipiamus. Tunc fatuis virginibus ad ſponſum aditus non patebit: hîc autem ad conuiuium, & propinationes vocat. Tunc enim non dabitur mortuum reuiuiſcere,luminibus orbatum aſpicere,deformatum ac perditum denuò formari ac refingi. Aſt in hoc æui curriculo tantùm voluntas,& animi alacritas requiritur,& hæc omnia conſequun-
Ioan. 10. tur. Ait enim, *ego veni in mundum, vt vitam habeant*; Et, *lux venit in mundum.*
Ioan. 3. Atque hæc immenſa Dei benignitas eſt, omnia ipſum præſtitiſſe, per

quæ

quę è calamitatibus noſtris erepti ſumus:reliquiſſe tamen quippiam, quod ad libertatem ipſi conferremus; nempe ſalutem noſtram baptiſmo committere,velleque accedere, vt hinc nobis totum imputetur, meritorumq; ſuorum in nos collatorum gratiam nobis debeat. Proinde cum loti confeſtim fortè de vita exierimus, nihil nobiſcum pręter ſigillum afferentes,perinde ac ſi pro iſtoc regno certauiſſemus, ad coronas vocat. Quibus igitur malis, quemadmodumque animas baptiſmus abſoluat, ex dictis clarum eſt.

Quandoquidem verò & vitam quandam tribuit, per eum qui reſurrexit, age, quænam ſit illa vita inueſtigemus. Eſt igitur rationi conſentaneum, non eſſe eam, quam prius viuebamus: ſed ea meliorem, naturæque propriam. Nam ſi priorem adhuc degeremus, quid amplius etiam mori opus eſſet? Sin aliam, idem valentem, hoc nō erat reſurgere.Si angelicā,quid nobis cōmune cum illis? Homo enim lapſus eſt: lapſum autem eſſe hominem, & reſurgentem fieri angelum, hoc non eſſet hominem reformari. Quemadmodum ſtatuæ contritæ, non effigies humana, ſed alia quædam facies imponitur:& hoc eſt in aliud quodcunque formare,non ſtatuam reformare.Quam ob cauſſam ſequitur,vt vita hæc & humana,& noua,& antegreſſa honeſtior, meliorque ſit, quæ omnia in ſola Saluatoris vita reperiuntur. Eſt enim noua, quoniam veteri affine nihil habet. Melior, quantum comprehendi animo non poteſt: eſt enim vita Dei. Naturæ propria, quoniam erat vita hominis, & qui eam viuebat, ſicut erat Deus, ita verus item homo,& propter humanam naturam omni peccato vacans. Quamobrem nobis renatis Chriſti vitam exoriri planè neceſſarium eſt. Ob id quoque peccati expertes ab aqua iſta diſcedimus. Quod & hinc ſatis perſpicitur. Generatio enim in baptiſmo,futuræ vitæ principium eſt, nouorumque membrorum, & ſenſuum acquiſitio, & vitæ illius cœleſtis præparatio. Præparamur verò ad vitam illam futuram non aliter, quàm ſi Chriſti vitam hîc inchoëmus, qui pater eſt futuri, ſicut Adam præſentis ſæculi: vitæ ſiquidem pereuntis *Iſaiæ 9.* ille hominibus caput & dux fuit. Sicut namque vita hæc humana traduci non poteſt,niſi quis ſenſus Adami, & vitales facultates iſtas humanas acceperit; pari modo nec ad beatū illum mundum quiſquam viuorum peruenire poteſt,qui vita Chriſti traducenda non ſe ante eò comparauerit, & ſecundum ideam, atque imaginem eius formatus non fuerit. Aliter Baptiſmus eſt generatio: ille generat, nos generamur. Eſt autem in confeſſo, vitam generati vitæ generantis ſimilem eſſe.

Hîc porrò quiſpiam miretur. Non enim abluti modò, ſed iam e-

tiam quibus non contigit ſeſe virtute myſteriorum ad vitam immortalem præparare, & ſimpliciter homines vniuerſi, corpora non ſeneſcentia recipient, reſurgentque incorrupti. Dignum enim admiratione, reſurrectionis, quam ſola Chriſti mors in mundum inuexit, fore ſocios, qui baptiſmum non ſuſceperint, per quem viuificæ mortis communionem acquirimus. Si enim medicum fugerunt, & opem auerſati ſunt, & medicinã quæ ſola prodeſſe poterat repulerunt, quid reſtabat, quod eis ad immortalitatem opitularetur? Sanè ex duobus alterum euenire æquum & conſentaneum videtur, aut vt omnes omnibus deinceps fruantur, quorum Chriſtus nobis morte ſua cauſſa fuit, & ſimul reſurgant, atque cum eo viuant & regnent, & reliqua fœlicitate circumfluant, ſiquidem *bonorum noſtrorum non eget*: aut ſi omnino oportebat, & nos quodcunque etiam conferre, qui fidem ad Saluatorem non attuliſſent, nec in vitam reuocari.

1 Cor. 15. *Pſal. 15.*

Licet igitur illud ad hanc obiectionem reſpondere. Reſurrectio eſt naturæ inſtauratio. Iſta autem gratis dat Deus. Sicut enim fingit id non volentes; ita quoque refingit, nihil ad id commodantes. Regnum porrò illud, & Dei contemplatio, & cum Chriſto verſari, voluntatis ſunt deliciæ. Quocirca iis tantùm qui voluerunt, & dilexerunt, & deſiderarunt, eæ conceduntur. Hos enim par eſt delectari præſentibus, qui abſentia concupierunt. Aſt qui ea non voluit, hunc iis frui eſt impoſsibile. Quo enim pacto voluptatem capere, & lætari queat, iam præſentibus, quem abſentium nulla tetigit cupiditas? Cùm tunc ne deſiderare quidem, eorumque adeptioni ſtudere poſsit, quia illam pulchritudinem non videt; & ſicut Dominus ait, *quem mundus non poteſt accipere, quia non videt eum, neque nouit eum.* Cum cæcus hinc egreſſus in vitam illam deuenerit, omnique vi ſentiendi & facultate priuatus, per quas & cognoſcere Saluatorem, & amare, & velle cum eo, & poſſe viuere licet, mirum accidere nemini debet, ſi omnes quidem immortaliter, non omnes autem beatè fœliciterq; victuri ſunt. Nam diuinam circa naturam prouidentiam omnes nullo diſcrimine, & æquè ſentient; eius autem voluntatem donis ornandi, ſoli experientur ex omnibus, qui Deum piè ſanctèque coluerint. Quia nimirum Deus omnibus quidem omnia bona vult, & omnibus æquè ſua communicat, tum per quæ voluntate ſua benefacit, tum per quæ naturam reſtituit & inſtaurat. Nos verò Dei beneficia in naturam, quoniam ea effugere non poſſumus, iis, quanquam citra voluntatem, vniuerſi homines afficimur. Nam & de inuitis bene meretur, & humaniter cogit, quando beneficentiam eius amoliri quidem à nobis volumus, non tamen poſſumus. In eo genere donum reſurrectionis numeremus. Haud enim

Ioan. 14.

nim in noſtro ſitum eſt arbitrio, neque naſci à principio, neq; à mortuis excitari, aut non excitari. Quæ autem a voluntate humana pendent, puta, boni electio, peccatorum remiſsio, morum integritas, animæ puritas, erga Deum charitas, horum merces eſt ſuprema beatitudo. Atque vt vel hæc amplectamur, vel deuitemus, penes nos eſt. Vnde volentibus in promptu eſt iis frui: nolentes qui tandem frui queant? Nec enim nolentes volunt, nec volentes coguntur.

Deinde propter illam rationem. Quoniam Dominus ſolus naturam quidem à corruptione, animum verò à peccato exemit; illud primogenitus factus mortuorum: hoc pro nobis primus in ſancta ſanctorum ingreſſus; vtpote peccato iugulato, & Deo nobis reconciliato, & medio pariete diſſoluto; & ſeipſum pro nobis ſanctificauit, vt & nos ſancti ſimus in veritate, liquet, ſolos, & meritò ſolutum iri & à corruptione, & à peccato, qui & voluntate, & natura ad eum fuerint aggregati: hoc, quatenus homines, illud, quatenus aduentum eius, paſſionemque dilexerunt, & mandatis eius paruerunt, eademque cum illo voluerunt. Illi alij vnum habent; alterum non receperunt: & vt in hominibus eſſent, hoc quidem ipſis contigit: vt autem ſalutem ſuam Saluatori committerent, & cum eo qui animo voluntateque bonus eſt, communicarent, non contigit. Hos peccatorum condonatione, & corona iuſtitiæ, tanquam voluntate & ſententia diſsidentes carere conſentaneum eſt, & perire alteram libertatem: nec eſſe quidquam impedimenti, quò minus, cum eandem cum Chriſto naturam obtineant, etiam rediuiui è ſepulchris exiſtant. Etenim baptiſma ſolùm beatæ vitæ in Chriſto, non etiam vitę cauſſa eſt: quandoquidem Chriſti mors, & reſurrectio omnibus æqualiter, & ſimpliciter vitam immortalem conciliauit. Eapropter reſurrectio vniuerſis mortalibus commune donum eſt: remiſsio autem peccatorum, & cœleſtes coronæ, & regnum cœlorum iis tantummodo tribuuntur, quibus debitam conſummationem addere licitum fuit: qui hinc ſe inſtituunt, vt vitæ illi, ſponſoq; ſint idonei, geniti quidem noua generatione, quoniam Adam ille nouus eſt; decore fulgentes, & pulchritudinem à lauacro acceptam conſeruantes, *quia ſpecioſus forma eſt præ filiis hominum*; & caput erectum habentes, vt olympionicæ, quia corona eſt: aures autem, quia Verbum eſt: oculos, quia ſol; nares, quia vnguentum eſt ſponſus ille, & vnguentum effuſum; habitu autem honeſti, propter nuptias. Et hæc quidem huiuſmodi ſunto.

Coloſſ. 1. Hebr. 10. Epheſ. 2. 2. Tim. 4. Pſal. 44. Cant. 1.

Exiſtit hoc loco alia quæſtio, quam decet non negligere. Si enim velle, & committere ſe, & accedere, donorum baptiſmi compotes efficit, & hęc fugere, eſt fugere omnem beatitudinem, qui abiecta commu-

munione, & priore ſententia apud ſe reprehenſa, & Chriſto abnegato, ducti pœnitudine ſceleris ſui ad Eccleſiam redierint, cùm conſequens ſit, eos ad lauacrum ſtatim adduci, & de integro myſticas cærimonias adhiberi, vt qui totum funditus perdiderint: Sacerdos tamen auctoritate legis Eccleſiaſticæ ſacro tantum oleo corpora inunctos, citra ritum alium, ordini fidelium reſtituit. Quid ad hoc reſpondendum? An cum hæc duo pietatem noſtram erga Deum contineant, tum accepiſſe oculum à myſteriis, tum eius vſum habere, & radium illum intueri, Chriſtianiſmi proditoribus vnum periit, alterum illud manet, habitus, inquam, & facilitas ad videndum? Cauſſa hæc eſt, quia hoc quidem volentibus perdere licet: quando in noſtro arbitrio eſt, aut ſolis luce aſpicienda delectari; aut aduerſus radium eius claudere oculum: eruere autem ipſum oculum, ſtructuramque illam penitus vitiare, nobis eſt nimium quantum difficile. Si enim facultatum animæ, cum quibus nos natura genuit, diſperdere nullam poſſumus, minimè omnium illam poterimus, quam nobis regenerans ipſe Deus per ſe indidit: ſiquidem & ipſum quod in nobis obtinet principatum, quodcunque tandem eſt, format, & componit lauacrum: ſiue id rationis & mentis autonomia, ſiue aliud quodcunque exiſtimandum eſt, cui omnis animæ virtus cedit, & ad motum illius ſeſe accommodat: cui nihil imperat, quodq; mutari à nulla re poteſt. Sed nec ipſum ſemetipſum mutat, nihil enim ſe ipſo melius fieri queat. Sed neque à Deo mutari æquum eſt. Haud enim de donis ſuis vllo nos ſpoliabit:
Rom. 11. *Dei enim dona, ſine pœnitentia ſunt,* inquit Apoſtolus. In ſumma, infinitæ bonitatis cùm ſit, cupit, & dat nobis omne bonum: ita tamen vt prærogatiuam ſuam libera voluntas noſtra ſemper retineat. Tale eſt baptiſmatis bonum. Non enim mentem coarctat, neque opprimit; ſed cum ſit vis & facultas, vtentibus prodeſt; non vtentes autem manere malos, manere improbos non vetat: ſicut & ſanum habere oculum in tenebris ambulare volentibus impedimento non erit. Huius rei teſtes ſunt luculenti, qui poſtquam abluti, & omnia illius myſterij adepti fuiſſent, in extremam impietatem peruerſitatemq; præcipitarunt. Quamobrem, quia facultates inditas non depoſuerunt, vt altera formatione non egentes, ſacerdos nequaquam lauat; ſed vnctione ſpiritualem illis gratiam immittit, pietatis, inquam, & timoris Dei, & charitatis, & virtutum huiuſmodi, quæ ad voluntatem ſenſumque priſtinum reuocandum valent. Hoc enim in his qui initiantur vnguentum poteſt. Et hæc quidem hactenus; ad reliqua pergamus.

Conſtat igitur ex his quæ diſſeruimus, eos vitam Chriſti viuere, qui per baptiſmum denuo nati ſunt. Quæ ſit autem vita Chriſti, id eſt,

quæ ſit illa conditio, qua baptiſmo fruiti, & vnda ſalutifera abluti, vitæ Chriſti communicant, nondum planum eſt factum. Quod pœne totum excellentius eſt, quàm vt hominum verbis declarari poſsit. Eſt enim virtus venturi ſæculi, vt Paulus docet, & ad vitam aliam præparatio. Sicut ergò virtus oculorum, aut coloris lepos, niſi lumen acceſſerit, nō perſpicitur: nec poſſunt vigilantium res cognoſcere qui dormiunt, quamdiu dormiunt: ſimiliter nec noua membra, & facultates, quæ ſola ad futuram vitam requiruntur, in hac vita, quidnam planè ſint, & quod illis decus inſit, cognoſci poſſunt: cognato enim mundo, & lumine conueniente opus eſt. Atqui Chriſti membra ſumus, & hoc efficere, baptiſmi eſt negotium. Splendor autem membrorum, & elegantia in capite conſiſtit. Haud enim pulchra videbuntur membra, capiti non conſociata. Sed horum membrorum caput nunc latet, in futura vita apparebit; tunc etiam membra ſplendebunt, & patebunt, cum capite exiſtentia videlicet. Hoc ſignificans Apoſtolus, ***mortui eſtis***, inquit, ***& vita veſtra abſcondita eſt cum Chriſto in Deo: Cum autem Chriſtus apparuerit vita veſtra, tunc & vos apparebitis cum ipſo in gloria.*** Et beatus Ioannes, ***nondum apparuit quid erimus: cum autem apparuerit, ſimiles illi erimus.*** His de cauſsis virtutem vitæ huius nunc perfectè ne ſancti quidem ipſi cognoſcunt: ſed maximam partem ſe ignorare confitentur; in ænigmate autem, & in ſpeculo, & ex parte ſe aiunt cognoſcere. Et quæ cognoſcere poſſunt, nec illa ſaltem conſequi verbis poſſunt. Sentiunt & nouerunt ea puri corde. Quod autē impoſsibile eſt voces, aut ſermonē ad ea quæ cognita ſunt exprimenda opportunū reperire, id ipſum beati ſtatus illius ignorantibus quoddā ſignum eſt. Sunt enim quæ audiuit Apoſtolus in paradiſum, & in tertium cœlū raptus, ***arcana verba***, inquit, ***quæ non licet homini loqui.*** Sed quæ de vita illa cognoſcuntur, & dici poſſunt, & non apparentia demonſtrant, ſunt ea nimirum, quæ ab initiatis cum virtute perficiuntur.

Heb. 6. *Coloſſ. 3.* *1. Cor. 13.* *2. Corin. 12.*

Noua indoles ablutorum, qui ſtationem ſuam ſeruant. Inuſitata virtus, & humanis legibus ſuperior, cuius nec ſapientiam, nec exercitationem, nec ingenium, nec aliud quippiam vt humanum accuſare licet. Nam & anima ad talia prompta eſt, quæ nec fingere atque comminiſci hominibus facilè eſt: corpus autem alacritatem eam non cōprimit; ſed labores ſuffert tantos, & tam multos, quam animæ collibuerit. Quanquam & corporis, & animæ virtus circumſcripta eſt, & ad quemuis laborem neque hæc, neque illud durare poteſt: ſed poſſunt quidam ſuperari: in quibuſdam hæc deſperat, illud fatiſcit. Cæterùm beatas illas animas, & corpora illa nihil ſubigit: ſed quæcunque dolorum & laborum genera nec ipſa cogitatio libera conceperit,

ceperit, omnia perpetiuntur, & tam multa patienter ſuſtinent.

Nondum dico, quod eſt ſummè nouum. Quidam nec ſuſtinuerunt, nec tolerarunt. Non enim ſpe maximorum præmiorum, & vitæ melioris præſentem vitam proiecerunt, indicio quodam & ratiocinatione ad hanc audaciam aggreſsi. Et paſsi quidem ſunt, ſed non libenter; ſicut ægroti medicorum ignem & ferrum patiuntur. Sed iſtuc eſt inprimis nouum, quod quidam plagas ipſas dilexerunt, ipſos labores expetiuerunt, ipſam mortem amabilem cenſuerunt, quanquam moriendi neceſsitas nulla eſſet propoſita. Alij enim gladios, & tormenta, & mortem optarunt; & ea iam experientibus creſcebant ſpiritus. Alij per vitam dura agere & pati, proculque remiſsionibus, ac voluptatibus degere, & has delicias arbitrari, quotidie mori. Et ſequebatur corpus, & contra corporales leges dimicantibus auxilium afferebat. Atque hæc non duo, tres, aut viginti, nec viri duntaxat, aut adoleſcentes; ſed multa millia, vel potius innumerabiles, ſexus vterque, ætas omnis. Hoc verò potiſsimùm eluxit in martyribus: quorum alij & ante perſecutiones erant fideles; aliis in ipſis perſecutionibus veram vitam Chriſtus inſeruit. Simul verò perſecutoribus fidem in Chriſtum oſtendebant, & nomen eius enuntiabant, & mori cupiebant, & vno eodemque clamore carnifices prouocabant, quaſi ad aliquod bonum oblatum properantes, & mulieres, & puellæ, & viri, & pueri, & cuiuſque inſtituti;ac ſtatus: nam & hoc apponendum eſt, quia non paruum diſcrimen affert. Etenim non ſimiliter ad certamina & labores affectus eſt, qui in ſudoribus, & qui molliter atque in otio viuit, & gladium atque mortem non iiſdem oculis miles, & aulœdus aſpiciunt. Horum nihil admirabilem illum impetum repreſsit, nec retardauit, quo minus omnes æqualiter ad eundem Philoſophiæ apicem aſpirarent. Sed quia vna erat, quæ omnes parit, & format virtus, omnes extremam virtutis metam contigerunt, & bonum illud (Deum) honorarunt, & dilexerunt, ſuprà, quàm naturæ conſentaneum erat. Quidam pro eo etiam animas ſuas contempſerunt. Etenim mulieres ſcenicæ, & viri perditiſsimi & huiuſmodi hominum colluuies verbum communis noſtræ ſalutis ſuſceperunt, aliamque vitam & mores induerunt, ad pulchram harmoniam ad aptati, atq; iſtuc ita repente & facilè, quam citò & leui negotio perſonam mutabant. Compluribus etiam non ablutis in chorum hunc referri contigit, quos ab Eccleſia aqua non baptizatos, ipſe ſponſus Eccleſiæ baptizauit. Multis itaq; & nubem humidam de cœlo, & aquam vltro è terra erumpentem dedit, & ſic demum eas luſtrauit. Multos occultè reformauit.

Sicut

Sicut enim quæ deſunt Chriſto, membra Eccleſiæ Paulus, & ſi quis ei ſimilis, ſupplet; ſic nihil abſurdum, quæ deſunt Eccleſiæ, ipſum caput Eccleſiæ ſupplere. Si enim ſunt, quibus membra caput videntur iuuare; quanto iuſtius eſt, quæ membris deſunt, ipſum caput adiicere? Et hæc quidem ad iſtum modum ſe habeant. Ad priora redeundum eſt. Coloſſ. 1.

Huiuſcemodi igitur virtutem, quâ iſtæc auſi ſunt, & alacritatem tantam attulerunt, & magnanimos auſus ad finem perducere potuerunt, in natura hominum haud inueniri, verbis demonſtrare nihil attinet. Quia verò cauſſa horum gratiæ baptiſmatis neceſſariò adſcribenda eſt, quæramus iam modum, quomodo in ipſis lauacrum iſta operatur. Manifeſtum eſt igitur, labores illos & agones, amantium fuiſſe, & Chriſti iacula atque philtra ipſos ad hanc rerum nouitatem impuliſſe. Quæ porrò cauſſa amoris, & quid illis factum, vt adeò diligerent, & vnde ignem tantum ſuſceperint, age conſideremus.

Etenim cognitio amorem gignit, & procreat; nec poſsis quidquã pulchrum amare, niſi ante didiceris quàm pulchrum ſit. Et quoniam hoc ſcirè & perfectè cumulateq;, & imperfectè contingit, par fuerit amorem quoq; perinde ſe habere. Et pulchra quidem ac bona, quæ plenè cognoſcuntur, etiam plenè diliguntur, & quemadmodũ tantæ pulchritudini conuenit. Quæ autem amantibus admodum nota non ſunt, eorum quoque amor imbecillis eſt. Igitur illud fit perſpicuum, cognitionem aliquam Dei, & ſenſum ipſis à baptiſmate immiſſum, & eos bonum liquidò cognouiſſe, pulchritudinemque perſenſiſſe, & de bonitate eius guſtauiſſe, experientia, inquam, perfectiore, quam doctrina poſsit diſcentibus ſubiicere. Nam cùm rerum cognitio bipartita ſit; vna quam quis auditione haurit; alia quam per ſe ipſe conſequitur, illo modo non ipſam rem attingimus: ſed in verbis, vt in imagine quadam, non autem accuratè, in ipſius ſpeciei ſimulacro, ſeu effigie eum cernimus. Fieri enim nequit, vt ei per cuncta ſimilem in rerum natura inueniamus, qui pro exemplo ad illius cognitionem ſufficiat. Expertum verò eſſe, eſt in res ipſas incidiſſe. Vnde hìc ipſa ſpecies in animam incurrit, & deſiderium excitat, veluti veſtigium bono reſpondens. Illic ab idea ipſius rei propria deſerti, per quæ autem cum aliis communicat, obſcuram quandam, & exilem eius imaginem nacti, ea deſiderium & amorem rei metimur. Quare non amamus, quantum eſt amandum, nec patimur, quantum illud poteſt facere, cum ipſam ſpeciem non deguſtauerimus.

Sicut

Sicut enim diuerſa ſpecies naturæ cuiuslibet etiam diuerſam rationem in anima producit; ſic & amorem. Igitur ſi Saluatoris charitas in nobis nihil nouum, nec valde admirandum præ ſe tulerit, ſatis apparet, nos ſolis de eo vocibus politos; è quibus, quonam pacto bene liceat cognoſcere, cui nihil eſt ſimile reperire, neque quod illi & aliis commune ſit, nec exemplum ad quod comparetur, neque quibus ille exemplo ſit? Quomodo hinc bonitatem perſpiciemus, & vt eius bonitate dignum eſt, eum amabimus?

Qui porrò adeò amant, vt naturæ finibus egreſsi, maiora & ſtudeant efficere, & poſsint, quã homines fas eſt cogitare, hos ipſe ſponſus vulnerauit, ipſe radium pulchritudinis ſuæ oculis ipſorum immiſit. Magnitudinem enim vulneris telum, & vulneratorem amor declarat. Et hoc veteri teſtamento nouum differt, & hoc melius habet, quod tunc quidem verba erant, quæ erudirent; at nunc præſens ipſe Chriſtus ineffabili quodam modo animas tractat. Sermone enim, doctrina, & legibus homines finem exoptatum attingere non poterant. Si enim verbis potuiſſent, operibus non eguiſſent, & illis quidem excellentiſsimis, Deo incarnato, crucifixo, & mortuo. Atque iſtuc Apoſtolis, religionis noſtræ parentibus ab initio claruit. Nam cum omni doctrina, & quidem ipſius Saluatoris imbuti ac paſti, eius actionum, miraculorumque, & beneficiorum, quæ naturæ noſtræ præſtitit, ſpectatores facti eſſent, quæque hominum cauſſa ſuſtinuit, & illius in vitam reditum, in cœlos aſcenſum vidiſſent, cum, inquam, hæc omnia didiciſſent, nihil tamen nouum, nihil generoſum, nihil ſpirituale, nec vetuſtate melius oſtentarunt; donec baptiſmo tincti ſunt, quo adepto, & paracleto eorum animis illapſo, & ipſi euaſerunt noui, & vitam nouam apprehenderunt, & cæteris ſeſe duces in ea præbuerunt, Chriſtique amorem ſibi & aliis implicuerunt. Quanquam enim cum ſole verſabantur, non tamen ſpiritualis lauacri adhuc expertes, radium ſentiebant. Ad eundem modum & ſanctos deinceps omnes perfecit Deus, & cognouerunt eum, & dilexerunt; non ſermonibus nudis allecti; ſed lauacri virtute præparati, ipſo formante & aptante, qui diligitur, qui cor mundum creat, & aufert lapideum, & reponit carneum, ſtuporem eiiciens. Et ſcribit quidem, verùm vt Paulus ait, *non in tabulis lapideis, ſed in tabulis cordis carnalibus*: & non legem ſimpliciter, ſed legislatorem ipſum, ipſe ſemetipſum. Hoc in multis ſanctorum, manifeſtiſsimeque perſpectum eſt, quos cum neque verbis veritatem diſcere potuiſſent, nec miraculis abſconditi virtutem agnoſcerent, ſuſceptum lauacrum Chriſtianos præclatiſsimos ſubitò demonſtrauit.

Pſalm. 50. *Ezech.* 11. 2. *Corint.* 3.

Beatus

Beatus itaque Porphyrius, cum illis temporibus viueret, quibus Chriſti lex totum orbē ſubigebat, præconumq; ſacrorum vocē mortales vniuerſi audirent, & martyricis certaminibus trophæa vbique ſtatuerentur, quæ euidentius quàm vox ipſa Chriſto veræ deitatis teſtimonium darent, cum euangelium millies audiuiſſet, totque fortiſsimorum militum, & miraculorum ſpectator fuiſſet, nihilominus in errore permanens, mendacium veritati anteponebat. Poſtquam verò, idque per ludum baptizatus eſt, non Chriſtianus ſolùm illico eſt redditus, ſed ad ipſorum quoque martyrum ſocietatem aggregatus. Mimus enim cùm eſſet, & eam artem factitaret, non dubitauit hanc quoque audaciam audere, vt riſum conciliaret. Et baptiſmō illudebat, ſeque in theatro in aquam immergens, Trinitatem exclamabat. Ac ſpectatores quidem, quibus drama dabatur, cachinnum tollebant: aſt illi iam non ridiculum nec ſcenicum erat quod agebatur: ſed generatio reuera, & reformatio, & idipſum myſterium, quod alioqui eſt. Exiuit enim pro mimo animam gerens martyricam; corpus præclarum, velut ad philoſophiam, & labores exercitatum; linguam, quæ pro riſu tyranni iram prouocaret. Et ita ſerius fuit ille, qui per vitam actitabat ludicra, tantamq; propter Chriſtum alacritatem adhibuit, vt multis cruciatibus exhauſtis, libens moreretur, & nec lingua proderet, quem amabat.

Sic etiam Gelaſius Chriſtum dilexit, ſimiliterque cognouit, & vt apparet, vterque animo inimico, & hoſtili acceſsit. Sed poſtquam animæ oculum illi aperuit, qui oppugnabatur, ſuam pulchritudinem ei demonſtrauit, illico ſuper bonitate obſtupefactus, longe diuerſiſſimum ſenſum præ ſe tulit, & pro hoſte amiciſsimus euaſit. Erat enim amor ille ecſtaſis, quia à ſe captos extra fines humanos conſtituebat. Et hoc docens Propheta, *ſicut obſtupuerunt*, inquit, *ſuper te multi*, (quando ſuper cruce & morte Chriſtum alloquitur) *ſic inglorius erat inter viros aſpectus tuus, & forma eius inter filios hominum*. Iſaia 52.

Ardalion autem inſignis ille, ipſe quoque pro alio ludicro, quo ſpectantes iucundè recreabat, baptizatus eſt. Erat ſiquidem ridiculus, & iſtiuſmodi voluptates ad ſpectandum confluentibus præbebat. Baptizatus eſt autem, non ſymbolis, nec imaginibus Chriſtum patientem imitatus, ſed rebus ipſis. Etenim pulchram confeſsionem, & martyrum tolerantiam fictè imitabatur, & in cruce nudus, ludens à ludentibus ſuſpendebatur. Verùm vbi Chriſtum eſt profeſſus, & plagas ſenſit, repentina mutatione animæ cum voce conſpirauit, quodque ſimulabatur, mens verè complexa eſt, eratque omnino, quod ſe per ludum vocabat, Chriſtianus, plagasq; & ludentes, &

vocem fictam opus tale ſequebatur, & cum Chriſtum ſe diligere affirmaret, eodem puncto temporis diligebat, amore vt flamma ab ore ipſum cor afflante. Cumque aliis bonum de bono theſauro cordis ad *Matth. 12.* os veniat, Ardalioni theſaurus cœleſtis fluminis per os in cor venit. O virtutem Dei inexplicabilem. Non enim benefactis, non coronarum communicatione, neque ſaltem bona ſpe ſibi conciliatum, ſed plagarum, & ignominiæ conſortem vt accepit, ſic eum cepit, & occupauit, adeoque amicitia ſua dignatus eſt, vt ei perſuaderet, quæ prius vel auribus reſpuebat. Extemplo à conſuetudine, temporis longinquitate inolita & confirmata diſceſsit, animumque ad habitum penitus penitusque contrarium tranſtulit, & à re omnium peſſima, prauiſsimaque ad optimam omnium tranſiuit. Nihil enim poteſt mimo inueniri ſceleſtius, nec martyre ſapientius. Quid his commune? &, ſi naturam ſpectemus, quomodo cohæret, plagas & opprobrium parere amorem, & propter quæ Chriſtianiſmo nuntium mittere etiam fidelem par videbatur, per ea captiuum facere, & ſubigere inimicum, quibus ille hoſtis erat? Quis enim perſecutionem paſſus delectari poſsit, his amorem perſuadere, in quorum odio inimicus ante ſe exercuerit, ac pro inimiciſsimo & perſecutore amicum & ſtudioſum ſibi parare? De his igitur ita explicatum eſto.

Adhæc ſermo doctrinæ nihil videtur contuliſſe quidem, totum verò baptiſmi virtus operata eſſe. Nam verba communis ſalutis noſtræ etiam Ardalion audiuerat, multorumque martyrum, ætate ſua liberrimè ſe Chriſtianos prædicantium miracula viderat; nihilo ſecius cæcus, & lumini aduerſarius manebat; donec ſuſceptis *1.Tim.6.* Chriſti ſtigmatis, & bonam confeſſus confeſsionem baptizatus eſt. Hic enim baptiſmi ſcopus eſt, Chriſtum apud Pilatum teſtificantem, quamque ad crucem & mortem vſque patientiam egregiam adhibuit, imitari; per imagines autem, & ſymbola ſacrorum iſtorum imitari. Licet nihilominus rebus ipſis cum diſcrimine capitis, tempore vocante, religionem palam oſtendere. Multis etenim omni memoria excogitatis ægrotanti generi noſtro medicinis, ſola Chriſti mors veram vitam, & bonam habitudinem afferre potuit. Quare hoc ipſum, noua generatione generari, beatam vitam viuere, & ad ſanitatem diſponi, nihil eſt aliud, quàm pharmacum iſtuc bibere, & pro viribus confiteri confeſsionem, tormenta perpeti, & morte plecti.

Hæc nouæ legis efficacitas eſt: ſic generatur Chriſtianus: & hac via ad philoſophiam admirabilem perducitur, operibus quidem optimis deditus, fidem autem immobilem conſeruans; nõ demonſtrationibus ad fidem compulſus, neque legibus adactus mores inſtituens; ſed virtute diuina concitatus & hoc & illud ſuſcipiens, & per vtrumque ſacroſanctam Chriſti effigiem induens. *Non enim eſt regnum Dei in ſermone*, inquit, *ſed in virtute; & verbum crucis nobis qui ſaluamur Dei virtus eſt.* 1. Cor. 4. Idcirco & ſpiritualis eſt lex iſta, quia ſpiritus 1. Cor. 1. totum operatur: illa ſcripta, quoniam litterarum & vocum tenus procedebat. Quocirca & vmbra, & imago fuit: res autem & veritas quæ nunc fiunt. Verba enim ad ipſum eſſe rerum imaginis proportionem habent: quas, priuſquam apparerent, multis ante ſæ- Hierem. 31. culis lingua Prophetarum Deus ſignificauit. *Feriam*, inquit, *fœdus nouum, non ſecundùm pactum, quod pepigi cum patribus eorum.* Sed quod? *hoc erit pactum*, inquit, *quod feriam cum domo Iſraël, in domo Iuda. Dabo legem meam in viſceribus eorum, & in cordibus eorum ſcribam eam.* Non per voces compoſitam, & concinnatam: ſed ipſe ego legislator per me, abſque medio. *Non enim amplius docebit vnuſquiſque fratrem ſuum, & vnuſquiſque proximum ſuum, dicens, cognoſce Dominum; quoniam omnes cognoſcent me, à minimo vſque ad maximum.* Hanc & Dauid legem adeptus, beatam illam vocem emiſit; *quoniam ego cognoui, quod magnus eſt Dominus.* Ego cognoui, inquit, per experientiam, non vt qui aliis docentibus id audiuerim. Quò & alios inducens, *guſtate*, inquit, *& videte, quoniam bo-* Pſalm. 134. *nus eſt Dominus.* Quin etiam multis, & variis ſermonibus beatus ille Pſalm. 33. Dei bonitatem collaudauit. Sed quaſi verba rem ipſam æquare nequeant, ad experientiam eorum, quæ in Deo laudantur, audientes prouocat. Hanc experientiam baptizatorum animabus ſacer fons inſerit, & ex opificio opificem, menti veritatem, deſiderio ſolum deſiderabilem demonſtrat. Ideo & magnum deſiderium, & amor ineffabilis, & charitas prorſus ſingularis; quoniam non eſt quo egeat, & omnia conueniunt, & nihil diſſonat, & inſuper eſt omnis excellentia. Sic enim rem diſpiciamus.

Deſiderium animabus indidit Deus. Si bonum illud aſſequi debemus, & veritas intelligenda eſt, hæc duo vtique pura omnino deſideramus, bonum à malo, veritatem à mendacio. Nemo enim deceptus lætatur, nec delectatur in errorem inductus, & pro bono in malum incidens. Hæc concupiſcentibus purè conſequendi nunquam adhuc facta eſt copia: ſed quod à nobis bonum, & verum appellatur, non magis hoc eſt quod appellatur, quã contrarium. Vnde apertum

ſit, hîc neque charitatis, neque gaudij in nobis tantam vim reperiri, quanta reperiretur, ſi, quæ diligere, & quibus gaudere oportet, præſentia adeſſent. Neque amoris vinculum quantum ſit, nec magnitudo illius incendij nota eſt; quia quod amatur, nuſquam eſt. Iis autem qui Saluatorem guſtauerunt, adeſt idipſum quod deſiderant, ad quem humanus amor velut ad canonem aliquem, & finem ab initio comparatus eſt: velut theſaurus ita magnus, ita latus, vt Deum poſsit capere. Hac ratione & omnia bona in vita conſequuntur. Nulla intercedit ſacietas, nec quidquam deſiderium definit: ſed adhuc ſitimus, ac ſi nihil deſideratorum obtinuiſſemus. Animarum quippe humanarum ſitis quadam aqua infinita indiget; cui mundus iſte finitus, quî poſsit ſufficere? Et hoc eſt quod dominus tectius Samaritanæ ait, *qui biberit ex hac aqua, ſitiet iterum. Qui autem biberit ex aqua, quam ego dabo ei, non ſitiet in æternum.* Hæc enim eſt aqua, quæ animarum humanarum appetentiam ſedat. *Satiabor*, inquit, *cum apparuerit gloria tua.* Etenim oculus comparatus eſt ille quidem, vt ad lumen percipiendum ſufficiat, & auditio ad ſonum, & vnumquodque quibus congruit: animæ autem deſiderium ad Chriſtum fertur ſolum, & hoc illi diuerſorium, quia & bonum, & veritas, & quodcunque amabile, ſolus eſt. Quem qui aſſecuti ſunt, eos nihil impedit amare, pro eo quantus amor ab initio animabus eſt inſitus; & gaudere quantũ natura gaudere poteſt; & ſi quid ipſis virtus, & regenerationis aqua adiecit. In bonis enim vitæ huius, nomen mentientibus, neq; amor, neq; gaudium vigere poteſt. Nam etſi quid bonum videtur, inane veri boni ſimulacrum eſt. Hîc autẽ cùm nihil ſit quod obſtet, admirabilis & ineffabilis amor, & charitas quãtam verbis nemo deſcripſerit, oſtẽditur. Maximè cum ad ſe ipſum vtrumq; horum affectuum inſtituerit Deus, vt ipſum diligamus, eoque ſolo gaudeamus. Et eſt conſequens, vt exiſtimo, rationem quandam ad bonum illud infinitum ſeruare, & hunc, vt breuiter dicam, modum eſſe. Conſideremus igitur, quanta ſit eius magnitudo.

Ioan. 4.

Pſalm. 26.

Deinde excellentiæ & illud ſignum eſt. Omnium enim bonorum, quæ vltro nobis præbuit, ſolam compenſationem ducit amorem, quem ſi à nobis retulerit, nomina expungit. Qui ergo bonis innumerabilibus pari velut pondere reſpondet, quomodo apud Deum iudicem non ſit excellentiſsimus? Certum eſt porrò, gaudium æquare omnino charitatis magnitudinem, & amori coniunctam eſſe per omnia voluptatem, & maximum comitari maximam. Itaque humanis animabus charitatis & gaudij inſignem quandam, & admirabilem materiam eſſe repoſitam, & præſente vere

pulchro

pulchro & dilecto, efficaciſsimam eſſe patet. Et hoc eſt quod Saluator gaudium plenum vocat. *Petite*, inquit, *& accipietis, vt gaudium veſtrum ſit plenum.* Quapropter cum ſpiritus quoque veniſſet, ſuaque dona contuliſſet, fructuum inde orientium primas, charitas, & gaudium tulerunt. *Fructus enim ſpiritus*, inquit, *eſt gaudium, & charitas.* Ideo videlicet, quod in his primum ſenſum ſui ipſius animabus præbet adueniens Deus. Sentientes enim illud bonum, & amare & gaudere neceſſe eſt. Quoniam & forma aſpectabili hominibus apparens, hoc ſignum agnitionis ſuæ à nobis exigit. Et hoc docuit, & hoc ſtatim induxit: vel potius propter hoc ad ſenſum vſque ſe demiſit, & huius cauſſa totum fecit. Etenim ob hoc ſe natum eſſe, & ob hoc veniſſe in mundum ait, *vt perhiberet teſtimonium veritati.* Atqui veritas ipſe erat vtique, tantum non dicens, vt me ipſum oſtenderem. Hoc etiam nunc baptizatis adueniens præſtat, & teſtimonium perhibet veritati, bonum opinionis tantum eiiciens, veritatem contra introducens, & præoſtendens, & quod ait ipſe, ipſe ſemet illis manifeſtans. Hoc autem eſſe verum, lotos hoc lauacro Deum quodammodo experiri, ex rebus ipſis, vt memoraui, elucet.

Matth. 7. Galat. 5. Ioan. 18. Ioan. 14.

Quod ſi etiam teſtimoniis eſt opus, cùm multi ſint, & Dei amantes, & qui apud eum plurimum potuerunt, qui teſtimonium dicant, ſufficiet vnus inſtar omnium Ioannes, qui animam ſolis radio luci- diorem, & linguam auro ſplendidiorem habet. Sed enim verba ipſa huius linguæ recitemus oportet. Sed quid eſt, *gloriam Domini ſpeculantes, ſecundum eandem imaginem transformamur?* Euidentius quidem hoc declarabatur, cum ſignorum dona in Apoſtolis operabantur. Quanquam haud erit difficile hoc ipſum perſpicere & nunc, fideles habenti oculos. Simul enim vt baptizamur, etiam vltra ſolem refulget anima, ſpiritu perpurgata: ac non ſolùm intuemur in gloriam Dei, verumetiam inde recipimus ſplendorem quendam: non aliter quàm ſi argentum mundum ad radios ſolis expoſitum emittat & ipſum radios, non ex ſuapte naturà tantummodo, verùm inſuper ex fulgore ſolis. Similiter & anima repurgata, & argento facta lucidior, accipit radium à gloria ſpiritus, & hunc viciſsim ex ſe remittit. Eoque dicit, *ſpeculantes ſecundùm eandem imaginem transformamur*, à gloria ſpiritus in gloriam noſtram, quę in nobis gignitur: & quidem talis, qualem conuenit gigni à Domini ſpiritu.

2. Cor. 3.

Et poſt pauca. Vis hoc tibi demonſtrem euidentius ab Apoſtolis? Cogita Paulum, Nonne veſtes illius vim exercebant? Cogita Petrum, Nonne & vmbra illius habebat vim? Neque enim ſi regis imaginem geſsiſſent, & ſplendor illorum ſubmouiſſet ab acceſſu, tantum mira-

Act. 19. & 5.

culorum veſtes, & vmbræ illorum edidiſſent. Nam regis veſtes etiam latronibus ſunt formidabiles. Viſne videre gloriam hanc etiam per corpus relucentem? *Intuentes*, inquit, *in faciem Stephani, viderunt tanquam vultum angeli.* Verùm nihil hoc ad intus fulgurantem gloriam. Sicut enim Moſes in facie velamen habebat; ita hi in animo velamen circumferebant: immò multò amplius. Quod enim in Moſe, ſenſibus erat impoſitum, hoc autem incorporale. Quemadmodum igneſcunt à corporibus ſplendidis corpora, lucem ſuam in vicina transfundentia, atque de propria luce communicant: ſic accidit & fidelibus. Hanc ob cauſſam videlicet ſubducuntur à terris, quibus hoc contigit, nec quidquam niſi cœleſtia cogitant. Heu mihi, nam hîc par eſt etiam amaros edere gemitus, quod cum tanta fruamur nobilitate, nec ea quidem ſcimus quæ dicuntur, eò quod res celeriter nobis pereant, & ad ſenſibilia obſtupeſcamus. Siquidem hæc ineffabilis ac tremenda gloria, ad vnum vſque alterumúe diem in nobis manet. Iam verò etiam illam extinguimus, inducentes negotiorum ſæcularium hyemem, nubiumque denſitate depellentes radios. Hactenus Chryſoſtomus.

Actor.6. *Exod. 34. et 2. Cor. 3.*

Non igitur vſque ad cogitationem, & æſtimationem, & fidem tantùm baptizatis licet Deum cognoſcere: ſed & maius quiddam, & rei vicinius in aquis iſtis eſt inuenire. Fulgorem enim illum Dei cognitionem in animo collocare, & mentis lampadem eſſe exiſtimare, non videtur aliqua ratione niti. Hunc enim poſt vnum alterumúe diem, turbis & tumultibus initiatos inuadentibus euaneſcere contingit: aſt fidem qui ſollicitudine adhibita ignorauerit, & tam breui tempore, nemo eſt. Sed licet & moleſtiis conflictari, & de diuinis diſſerere probè noſſe: & quod maius eſt, perturbationibus addictum eſſe vitioſis, & ſalutis ac veræ philoſophiæ rationem non neſcire. Vnde liquet, hæc Dei ſenſum eſſe quondam citra medium radio qui inde procedit animam ipſam occultius feriente. Huius radij ſymbola ſunt, quæ in baptiſmo cernuntur. Omnia enim plena ſunt ſplendore, lampades, cantus, chori, triumphi, nihil quod non ſit hilare. Veſtis tota fulgens, & ad ſpeciem lucis parata. Quæ caput tegit, & ipſum ſpiritum habet depictum, & figuram fert, quà aduentus eius obſcurius indicatur. Etenim linguæ ſimilis eſt, prout veſtem geſtare caput, & ſchema portare poteſt, quo ſpiritus Apoſtolos à principio baptizans viſus eſt, exprimitur. Quoniam & hic partem corporis ipſorum tunc inſedit, & erat ſuper caput cuiuſque videre ignem in figura linguæ; vt ni fallor, ſpecie linguæ occaſionem cauſſamque deſcenſus indicaret, quod Verbum ſibi coæuum interpretaturus veniret, & docturus ignorantes;

Actor.1. *Actor.2.*

rantes; hoc enim linguæ munus eſt, quæ intus cogitata effert, non apparentium animi motionum nuntia. Etenim hic quidem (λόγος) eum qui generauit, generatum ſpiritus prædicat. *Ego* (inquit ad Patrem) *glorificaui te, & ille me glorificabit*, paracletus nimirum. Propterea *Ioan.16.*
igitur in hac figura illis ſe obiecit. Symbolum autem cogitationem noſtram ad illud miraculum, & diem illum fœlicem deducit, quæ prima baptiſmatis promiſsi penſionem vidit; vt ſciamus, eos, in quos primùm ſpiritus venit, poſteris communicaſſe, & illos ſuis poſteris, & ita progredientem ad nos veniſſe, nec defecturum donum, donec nobis id ipſe ſuppeditator contrahat. Tunc igitur beatis Dominus purum ſenſum ſuiipſius præbebit, cum interiecta, & luminibus officientia ſublata fuerint.

Nunc autem, vt licet, carnis craſsitie cooperti huius ſenſus inexplicabilem lætitiam, & inſignem charitatis fructum percipiunt, penes quos eſt magnitudo rectè factorum, & admirabilium operum demonſtratio, quique cum victoriis, & coronis peragrant omnia. His enim armis inſtructi, nec atrocibus, nec iucundis vincuntur. Etenim gaudium triſtibus dominatur: iucunda autem nec trahere, nec diſſoluere, tanta vi amoris coagmentatos, & conſtrictos poſſunt. Hoc eſt baptiſmatis opus, à peccatis abſoluere, homini Deum reconciliare, Deo hominem adoptare, oculum animabus aperire, diuinum radium deguſtare, & vt ſimul dicam, ad futuram vitam præparare. Itaque rectè facimus, dum ei generationis nomen, & eandem notionem habentia imponimus. Et demum Dei cognitionem in animabus initiatorum exoriri facit, quæ eſt vita, baſis, radix vitæ: partim ipſo Saluatore affirmante, æternam vitam, in cognoſcendo ſolum verum Deum, & quem miſit Ieſum Chriſtum, ſitam eſſe: partim ad *Ioan.17.*
Deum Salomone dicente, *ſcire te, radix immortalitatis*. Quod ſi & ratio *Sap.15.*
adiungenda eſt, quis neſcit, veram eſſentiam excellentiamque hominum in hoc ipſo, in ratiocinando ſcilicet, & cognoſcendo poſitam eſſe? Quod ſi ita eſt, in omnium optima cognitione vtique, & à mendacio libera poſita fuerit. Dei autem notitia (ipſo oculum animæ aperiente, & ad ſe conuertente) quæ cognitio melior, & ab omni errore purior? Hic eſt fructus baptiſmatis.

Oſtenſum eſt porrò hactenus, vitæ in Chriſto principium, eſſentiæque & vitę hominum, & præſtantię ſecundum veram vitam, myſterium baptiſmi cauſſam eſſe. Quod ſi hæc non in omnibus baptizatis cernuntur, non continuò infirmitatis damnandum eſt myſterium: ſed initiatis eius culpa damni tribuenda eſt, qui aut non bene

nentes, ſpiritualis doni ſigillum vocant: hoc enim ſuper vngendis pronuntiant.

Præterea Chriſtus ipſe Dominus, qui non effuſum in caput vnguentum accepit, ſed per Spiritum ſanctum vnctus eſt: quoniam ſpiritualis operationis omnis, propter aſſumptam carnẽ theſaurus fuit, & non Chriſtus ſolum, ſed & chriſma. *Vnguentum effuſum,* inquit, *nomen tuum*: illud à principio, hoc poſterius. Quamdiu enim non erat, cui Deus ſua impertiret, vnguentum erat, in ſe ipſo manens. Poſtquam autem beata illa caro eſt condita, quæ omnem plenitudinem diuinitatis ſuſcepit, vt Paulus ait, & cui non ad menſuram dedit Deus ſpiritum, vt Ioannes teſtatur, ſed omnes naturæ ſuæ diuitias in eam contulit, tunc in ipſam effuſum iam vnguentum, iure chriſma & eſt, & nominatur. Nam communicari, hoc ipſi & chriſma, ſeu vnguentum eſſe, & effundi fuit. Nec enim mutauit locum, nec diuiſit murum, nec tranſcendit: ſed quod ipſum à nobis arcebat, quodque ipſemet fecerar, id nullum in medio reliquit. Deus enim ab hominibus non loco diſtabat, qui implet omnem locum: ſed differentia diſtabat, & natura ſe ipſam ſibi à Deo arcebat, differendo omnibus quæ habebat, & nulla cum eo communitate conſociata. Nam ipſe quidem Deus ſolùm Deus, natura noſtra homo tantùm erat. Vbi verò caro deificata, & natura humana ipſum Deum hypoſtaticè ſortita eſt, murus ſeu paries iam vnguentum extitit, & diſcrimen illud locum de cætero non habet, quando vna hypoſtaſis, ſiue ſubſiſtentia cum illud quidem eſſet, hoc facta eſt: quæ hypoſtaſis interuallum diremptionemq; inter diuinam humanamque naturam tollit, communis naturæ vtriuſque terminus; ſiquidem diſtantium haud poſsit communis terminus reperiri.

Iſaia 61.
Cant. 1.
Coloſſ. 1.
Ioan. 3.

Sicut ergo, ſi alabaſtrum aliquo artificio queat in vnguentum mutari, & in ipſum transferri, non vltra erit aliis incommunicabile, nec intra, nec in ſe ipſo manens. Eodem modo noſtra natura in diuino corpore diuinitatem induta, quod à Deo genus humanum intercludat, nihil eſt. Vnde quo minus beneficiorum eius participes ſimus, re nulla niſi peccato impedimur. Quoniam autem murus duplex erat, naturæ, & voluntatis peruerſitate corruptæ, illum Saluator incarnatus, hunc in crucem actus ſuſtulit. Peccatum enim crux deleuit. Hinc poſt baptiſmum, qui crucis illius, & mortis vim habet, ad vnguentum, communionemque ſpiritus accedimus. Obſtaculis enim ambobus ſublatis, Spiritum ſanctum ſuper omnem carnem effundendum nihil remorabitur, quantum, inquam, in præſenti vita conceditur. Nam ad continentem cum Deo cohabitationem, mortalitas ter-

Ioel. 2.

intelligenda inepti: quoſdam florentibus annis, quibus ad flagitia conuerſi, oculum animæ excæcant.

Igitur reuera ſpiritus initiatis ſua munera largitur; *diuidens ſeorſum ſingulis prout vult.* Nec Dominus benefaciens nos relinquit, quibus cum vſque ad conſummationem ſæculi futurum ſe eſt pollicitus. Non enim eſt inanis, & ſuperuacanea hæc initiatio; ſed ſicuti remiſſionem peccatorum à diuino lauacro, & à ſacra menſa Chriſti corpus accipimus, nec iſta ante deſinent, quam ipſe horum fundamentum palàm aduenerit: eodem modo & ſacratiſsimo vngüento Chriſtianos frui conuenit, & donorum ſancti Spiritus participes euadere prorſus oportet. Quî enim conſentaneum foret, ſacrorum initiamentorum alia quidem efficientiam ſuam complecti, iſtius fructum nullum eſſe? Et in iis quidem ſecundùm Paulum arbitrari, promiſſorem fidelem eſſe, de hoc ambigere? cum aut de nullo bene, aut de aliis etiam pari a ſentire neceſſe ſit; quandoquidem eadem virtus per omnia operatur, & vna vnius agni immolatio, eiusque mors, & ſanguis perfectionem omnibus confert. Datus eſt igitur verè Spiritus ſanctus, illis, vt aliis queant benefacere, & vt Paulus loquitur, Eccleſiam ædificare, euentura prædicentes, aut myſteria tradentes, aut morbos verbo profligantes; his, vt ipſi fiant meliores, pietate, aut caſtitate, aut charitate, aut præſtanti humilitate illuſtres. Poſſumus enim animo, & moribus pudicitiam colere, & nos ad iuſtitiam exercere, & ad preces charitatemque incumbere. Aliæ item probitates conſectandæ ſunt. Præterea poſſumus à Deo excitati perturbationibus imperare, & humanitatem æquitatemque colere, & in reliqua philoſophia Chriſtiana verſari.

1. Cor. 12. Matth. 28. Hebr. 10. 1. Cor. 14.

Quemadmodum enim vitia quædam feralia ſunt in hominibus, qui à ſpiritibus malignis exagitantur: ſic contrà ipſo Deo mouente, diuinæ virtutes, & ſupra humanum captum reperiuntur. Qua ratione dilexit beatus Paulus, manſuetus fuit Dauid, & alius aliud eximium ac laudabile, & vltra modulum humanum habuit, ac demonſtrauit. Scribens enim Philippenſibus, ait ſe illos diligere *in viſceribus* IESV CHRISTI. De Dauide Deus, *inueni virum ſecundùm cor meum.* Immò etiam fides donum eſt ſpirituale, quod Apoſtoli Saluatorem poſcunt, *adauge*, inquiunt, *nobis fidem.* Et ipſemet Saluator ſanctificationem à Patre illis precatur, *ſanctifica eos*, inquit, *in veritate*; deditque Deus illi quod precabatur. *Et ipſe ſpiritus poſtulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus*, virtutem precandi ſuppeditans vti reor. Et prorſus iuxta hanc rationem Spiritus ſanctus

Philip. 1. 1. Reg. 13. Lucæ 17. Ioan. 17. Rom. 8.

ſuſtinuit, & gratiarum, quas propter carnem accepit, participes efficiunt. Cùm enim duo ſint, quæ homines Deo commendent, & quibus tota ſalus humana fulcitur, alterum vt myſteriis ſacratiſsimis initiemur: alterum, vt animum ad virtutem appellamus, humana, inquam, diligentia, nihil aliud opus fuerit, quàm data ſeruare, & theſaurum non prodere.

Relinquitur ergo, ſolam myſteriorum virtutem omnium bonorum nobis largitricem eſſe. Atqui horum alius alius effectus, & opus eſt: ſpiritus, illiusq; donorum communio à ſanctiſsima vnctione pendet. Idcirco, tametſi non ipſo initiationis tempore, ſed multo poſt, ſpirituale donum ad rem conferre quis poterit, nihilominus cauſſam, & vnde robur illud, ignorare non conuenit. Nam & baptiſmi illuminatio mox quidem ablutorum animabus immittitur: at non tunc ab omnibus cernitur: ſed à quibuſdam probis poſt interuallum cognoſcitur, qui multis ſudoribus & laboribus, & charitate erga Chriſtum oculum animæ perpurgarunt.

Propter iſtam vnctionem, domus orationis ad preces nobis auxiliantur. Vnctæ enim vnguento, hoc ipſum nobis fiunt, quod vocantur. Quoniam effuſum vnguētum, aduocatum eſt nobis apud Deum & Patrem, & ob hoc ipſum, quod effuſum eſt, & chriſma factum, & vſque ad animam noſtram effuſum eſt. Altaria autem Saluatoris imitantur manus, & panem à menſa delibuta, velut ab incorrupta illa manu, Chriſti, corpus accipimus, & ſanguinem eius bibimus, velut illi quos Dominus primos tali conuiuio accepit, poculum planè tremendum propinans. Quoniam enim ipſe idem & ſacerdos eſt, & altare, & hoſtia, & offerens, & quod offert, myſteriis rem diuiſit, & illud pani benedictionis, hoc vnguento tribuit. Etenim altare quidem eſt Saluator, & ſacrificans propter chriſma. Altare enim inde ab initio inſtitutum eſt, vt vngeretur: & ſacerdotibus hoc erat ſacerdotes eſſe, inunctos eſſe. Sacrificium autem propter crucem & mortem, qua pro Dei, & Patris gloria mortuus eſt. Mortem porrò, & immolationem illam annuntiamus, quoties, inquit, panem hunc comedimus.

Luca 19.

1. Cor. 11.

Inſuper & vnguentum, & vnctio eſt Dominus propter Spiritum ſanctum. Idcirco facere quidem ſanctiſsima omnium, & ſanctificare, at ſanctificari, & quiduis tandem pati non poterat. Hæc autem altaris, & ſacrificantis, & offerentis, non oblati & ſacrificati erant. Nam & altare ſanctificare dicitur, *altare*, inquit, *quod ſanctificat donum*. Panis verò propter carnem ſanctificatam, & deificatam, & quæ ambo hæc, tum vnctionem, tum plagas accepit. Inquit enim, *panis quem ego dabo, caro*

Matth. 23.

Ioan. 6.

mea eſt, quam ego dabo (videlicet ſacrificans) *pro mundi vita*. Ideo offertur quidem vt panis, offert autem vt vnguentum, & ſemet, carnem deificans, & nos vnctionis conſortes accipiens. Quorum typum Iacob ſuboſtendens, cum lapidem oleo vnxiſſet, Domino dedicauit, ei
Gene.28. vngendo offerens; ſiue carnem Saluatoris ſummum angularem lapi-
Epheſ.2. dem inſinuans, quatenus diuinitatis effudit vnguentum, verus Iſraël,
Matth.3. mens quæ ſola nouit Patrem: ſiue nos, quos ex lapidibus excitauit filios Abrahæ, participes vnctionis faciens. Spiritus enim ſanctus ſuper vnctos effuſus, & alia nobis, & ſpiritus adoptionis filiorum eſt. *Et teſti-*
Rom.8. *monium*, inquit, *reddit ſpiritui noſtro, quòd filij Dei ſumus, in cordibus noſtris clamans, abba pater*. Ad hæc prodeſt ſanctiſsimum vnguentum volentibus in Christo vitam exigere.

DE VITA IN CHRISTO,

LIBER QVARTVS.

Quam ei commoditatem pariat ſacroſancta Communio.

POST ſacram vnctionem ad ſanctam menſam progredimur, quæ vitæ huius, de qua agimus, finis ac meta eſt; quam cùm attigerimus, nihil iam nobis ad quæſitam & optatam fœlicitatem deerit. Non amplius quippe mortem, & ſepulchrum, & melioris vitæ communitatem, ſed ipſum qui reſurrexit: neque donorum ſpiritus quantum capi poteſt, ſed ipſum benefactorem, templum ipſum, in quo totus gratiarum orbis ſitus eſt, inde accipimus. Eſt enim in vnoquoq; myſterio, & hunc ipſum, vt ita dicam, vngimur, & abluimur: ſeu, vnctio, & ablutio noſtra ipſe eſt, & idem ipſe nobis cœna eſt. Adeſt autem his qui initiantur, ſuaq; in eos illis munera confert: non ſanè eodem modo in omnes: ſed abluens lutum vitiorum tollit, & abluto formam ſuam imponit: vngens autem, in operibus Spiritus ſancti actuoſum ac ſtrenuum facit, quorum ipſe propter carnem factus eſt theſaurus. Poſtquam verò initiatū ad menſam, ad corporis videlicet ſui dona comedenda adduxerit, totum immutat, & in habitum ſuum transfert, ac lutum de cætero non lutum (regali nimirum effigie ſuſcepta) ſed iam ipſius regis corpus eſt, quo beatius cogitari nihil poteſt. Quamobrē & myſteriorum extremum

eſt,

eſt, quoniam vltra non proceditur: nec apponi quidquam poteſt. Clarum eſt enim, primum egere medio, & hoc extremo. At verò poſt Euchariſtiam haud ſupereſt quò tendamus; verùm hic conſiſtentes, illa diſpicere oportet, per quæ theſaurum ad finem vſque conſeruare poſsimus.

Baptizatis igitur nobis Sacramentum illud quæ debet præſtat omnia: nos tamen perfecti nondum ſumus. Nondum quippe dona ſancti Spiritus habemus, quæ à ſacratiſsimo vnguento pendent. Etenim à Philippo baptizatis, propter beneficium iſtuc nondum Spiritus ſanctus contigerat; ſed inſuper Petri & Ioannis manibus opus erat. *Nondum enim*, inquit, *Spiritus ſanctus in quemquã eorum venerat, ſed baptizati tantùm erant in nomine Domini Ieſu. Tunc imponebant manus ſuper illos, & accipiebant Spiritum ſanctum.* Eo adepto, & initiatione ſuam in nobis virtutem exerẽte, gratiam quidem datam tenemus, cætera autem præſtari à benefactore noſt admodũ neceſſe eſt. Fieri enim poteſt, nos quorundam pœnas debere: nec prohibet quidquam, & data non corrumpere, & officij numeros non explere. Cuius rei multi ſunt teſtes. Et Corinthiis id, Apoſtolis etiamnum viuis accidit. Nam ex his qui ſpiritu erant pleni, qui prophetabant, qui linguis loquebantur, aliiſq; ornamentis conſpicui erant, tantùm tamen aberat, vt prorſus diuini, & ſpiritales eſſent, vt inuidia, ambitione importuna, contentione, & huiuſcemodi vitiis laborarent. Et hæc illis exprobrans Paulus, *adhuc carnales*, inquit, eſtis, *& ſecundùm hominem ambulatis.* Atqui ſpirituales erant, quod ad partem aliquam gratiarum attinet: ſed hoc eis ad omnem nequitiam ex anima eiiciendam minimè ſufficiebat. In Euchariſtia verò tale nihil eſt. In quibus enim panis vitę ea operatus eſt, per quę mortem euitarunt, & neque cœnantes vllo ſcelere obſtricti ſunt, neque vllum ſuperinduxerunt, nemo tales accuſauerit. Non enim poteſt, non poteſt, inquam, hoc myſterium per omnia operari, & initiatos à qualicunq; imperfectione vindicare. Cur ita? quoniam hoc eſt myſterium operari, quando eo affectos nihil eorum quæ adeſſe poſſunt, deficit. Menſæ enim promiſsio in Chriſto nos, & in nobis Chriſtum habitare facit. Ait enim, *in me manet, & ego in eo.*

Actor. 8.

1. Cor. 3.

Chriſto in nobis manente, quid amplius requiratur? aut quod bonum nos effugiat? In Chriſto manentes quid aliud deſiderabimus? Ille habitator noſter, & ipſa habitatio noſtra eſt. O nos tali habitatione beatos: & beatos iterum, quia eiuſmodi domus incolæ facti ſumus. Quo namq; bono egere poterunt ſic affecti & conſtituti? Quid vitioſitati, & in tanta charitate verſantibus commune ſit? Quid tandẽ mali tanto bonorũ cumulo ſe opponat? Quid enim vel præſens ſubſiſtere,

vel abſens ingruere queat, quando Chriſtus adeò familiariter nobiſcum eſt,& nos totos penetrat,& omnia interiora poſsidet,& nos cingit ac protegit? Nam tela extrinſecus iactata, ne in nos incidant prohibet, vndecunque ſe obiiciens, eſt enim domus: &, ſi quid intus vitioſum eſt, diſiicit & expellit: eſt enim incola, & domum ſuam totam implet. Non enim aliquid eius, ſed eum ipſum continemus: nec radium aliquem ac lumen, ſed ſolem ipſum in animas recipimus: vt inhabitemus & inhabitemur, vt induamur & induamus, & permiſceamur, & vnus ſpiritus cum eo euadamus. Etenim anima, & corpus, & facultates omnes repente ſpirituales exiſtunt, quoniam anima animæ, corpus corpori, & ſanguis ſanguini coaleſcit. Quid inde? præſtantiora prǫualent humilioribus, & à diuinis humana ſuperantur, quodque de reſurrectione Paulus ſcripſit, *mortale abſorbetur à vita. De cætero viuo iam non ego*, inquit, *viuit verò in me Chriſtus.*

1.Cor.6.

2.Cor 5. Galat.2.

O myſteriorum magnitudinem. Quantum eſt enim Chriſti mentem, ac ſenſum noſtræ menti copulari, & voluntati noſtræ illius voluntatem, & corpus illius noſtro corpori admiſceri? Qualis noſtra mens, diuina mente obtinente imperium? Qualis voluntas, beata illa voluntate ſuperante? Qualis terra, ab igne illo longè victa? Hæc porrò ita euenire, Paulus teſtificatur, dum ſe nec mentem ac ſenſum, nec voluntatem, nec vitam ſuam habere: ſed hæc omnia Chriſtum ſibi factum eſſe confirmat. Ait enim, *nos ſenſum Chriſti habemus.* Et, *an experimentum quæritis eius, qui in me loquitur Chriſtus?* Et, *puto autem quod & ego ſpiritum Dei habeam.* Et, *diligo vos in viſceribus Ieſu Chriſti.* Ex quo patet, ei ſummam cum illo voluntatem, conſenſionemque fuiſſe in omnibus. *Viuo autem iam non ego*, inquit, *viuit verò in me Chriſtus.* Adeò perfectum eſt hoc Sacramentum, & omni Sacramento excellentius, bonorum faſtigium, & apicem complectens: ſiquidem & omnis humanæ induſtriæ finis vltimus hic reperitur. Deo enim ipſo in ſeipſo potimur, & Deus nobis coniunctione abſolutiſsima coniungitur. Vnum enim cum Deo ſpiritum effici, quid hac conſociatione poſsit eſſe perfectius?

Lucæ 12.

1.Cor.2. & 2.3.& 1.7. 1.Philip.

Galat.2.

Quare & aliis Sacramentis perfectionem ſola Euchariſtia impertit, eaque adiuuat, dum initiant: quandoquidem ſine ea perfectè non initiant. Iuuat etiam ſecūdùm initiationem in ipſis initiatis, cum radium è Sacramentis emanantem, & peccatorum tenebris oppreſſum recuperare opus eſt. Nam deficientes, & ſceleribus extinctos ad vitam reuocare, vnius ſacræ menſǫ munus eſt. Homo quippe lapſus non poteſt humanis viribus erigi, nec improbitas hominum humana iuſtitia expiari. Nam peccare, res in ipſum Deum contumelioſa eſt. *Per*

prauari-

præuaricationem enim legis, inquit, *Deum inhonoras*. Et maior quædam, *Rom.2.*
quam pro homine virtus exigitur, quæ crimen aboleat. Minimum enim aduerſus maximum ſe iniurioſè ac petulanter gerere, immane quantum eſt facilè. Sed petulantiam hanc; & iniuriam pari honore compenſare, hoc verò nemo poteſt, præſertim ſi iniurioſus plurium illi debitor fuerit, & quidem tam inſignium, vt ne dimidij quidem vlla menſura ſit. Neceſſe eſt enim, qui crimen piare ſtudet, etiam detractum honorem læſo reparare, & plus debitis rependere, aliaq́ue reſtituere, alia quibus iniquior fuit, velut æquali pondere ſuperaddere. Quod ſi neutiquam paria conſequimur, maiora quis conſectetur?

Quapropter hominum nullus ſibimet Deum, ſuam retribuendo iuſtitiam recōciliare poteſt. Nec verò vetus lex inimicitias iſtas componere valuit; nec in gratiæ lege viuentibus, ad pacem hanc conſequendam ſtudium & diligentia ſuffecerit. Nam & hoc, & illud virtutis humanæ opera, & humana iuſtitia ſunt: ſiquidem & legem ipſam B. Paulus hominum iuſtitiam appellat. *Iuſtitiæ enim Dei*, inquit, *non ſunt* *Rom.10.*
ſubiecti, ſuam iuſtitiam conſtituere quærentes. De veteri lege loquitur. Tantum quippe duntaxat contra vitia nōſtra valebat, quantum eſt ad ſanitatem præparare, mediciq́ue manu dignos efficere. *Lex enim*, inquit, *Galat.3.*
pædagogus noſter fuit in Chriſto Ieſu. Et S. Ioannes in eum qui venturus erat *Actor.19.*
poſt ipſum baptizabat: & vniuerſa philoſophia humana, omniſq́; labor ad germanam iuſtitiam quaſi initiamenta, & præparationes quædam ſunt.

Quare quoniam per nos, & à nobis ipſis iuſtitiam hanc præſtare nequibamus, *Chriſtus ipſe nobis iuſtitia factus eſt à Deo Patre, & ſanctificatio,* *1.Cor.1.*
& redemptio, & inimicitias in carne ſua diſſoluit, & Deum nobis placat; non *Ephes.2.*
ſolùm naturæ communiter, neque ſolùm quando morte occubuit: ſed ſemper, & vnicuique hominum: tum vt cruci affixus; nunc vt epulum dans, ſi reſipiſcentes veniam rogitemus. Solus enim & vniuerſum honorem parenti refundere, & de ablato ſatis facere potuit: illud vita, hoc nece ſua. Mortem ſiquidem, quam pro gloria Patris in cruce pertulit, contumeliam à nobis illatam æquantem, maiore cumulo reponens, honorem, quem ei peccando nos abſtuleramus reparauit. Magnum vtique pretium. Vita autem omnem honorem reddidit, & quo illum honorare, & Patrem honorari conſentaneum fuit. Etenim præter multa, magnaq́ue opera quæ exhibuit, quæ Patri gloriæ maximæ fuerunt, tum vitam totam ab omni peccato puram geſſit; tum accuratiſsimè, & perfectiſsimè leges ſibi ab eo datas exſecutus eſt: non tantum iis quas ipſe ſeruauit (etenim *Patris mei præcepta ſeruaui*, inquit) *Ioan.15.*
ſed etiam quas hominum vitæ præſcripſit, ſolus cœleſtem philoſo-

phiam terræ præmonſtrans & inſerens. Præterea miraculis ipſis, quorum cauſſam & auctorem Patrem prædicauit. Præter hæc omnia, quis non videt, hoc vno ſolo, cum hominibus verſatum eſſe, & adeò integrè carni implicitum fuiſſe, quò clementiam & benignitatem mittentis ſe pleniſsimè, & manifeſtiſsimè demonſtrauit, gloriam, quam omnes ei conuenienter tribuere debebant, conciliatam eſſe? Si enim bonitas eius benefactis metienda eſt, & generi humano per œconomiam Deus adeo benefecit, vt eo pertiuentium nulli parceret: ſed omnes diuitias ſuas naturæ humanæ includeret (etenim *in ipſo habitat*, inquit, *omnis plenitudo diuinitatis corporaliter*) perſpicuum eſt, nos in

Coloſſ. 1.

Saluatore ſupremã, & extimam benignitatem eius cognouiſſe, & per ea quæ præſtitit, ſolus homines erudiuit, quantopere Deus mundum dilexerit, quantaque ſit eius erga genus noſtrum cura & ſollicitudo. Vnde & Nicodemum ad Patris humanitatem agnoſcendam hinc inducit, & illuc bonitatis eius ſufficiens indicium eſſe vult. *Sic Deus dilexit mundum*, inquit, *vt filium ſuum vnigenitum daret, vt omnis qui credit in ipſum, non pereat, ſed habeat vitam æternam.*

Ioan. 3.

Si enim pater maiora & meliora beneficia in naturam collocare non potuit, quam in filij ad nos deſcenſu collocauit, planum eſt, filium ei maiorem gloriam bonitatis & humanitatis parere non potuiſſe, quam hinc eſt conſecutus. Hac de cauſſa iſto modo Saluator per ſe ipſum, vt ſe, & genitore dignum eſt, eum honorat. Quid enim aliud Dei honor ſit, quàm excellentem eius bonitatem demonſtrari? Atque hæc eſt gloria, quæ iam pridem ei debebatur, & à mortalium nemine perſolui poterat. Hinc, *ſi pater*, inquit, *ego ſum, vbi eſt honor meus?* Soli namque filio omnia conſentanea erga Patrem præſtare licuit. Itaque hoc ipſum oſtendens, ſe ſolum potuiſſe hoc negotium conficere, poſtquam opus omne abſoluit, Patrem honore affectum his verbis alloquitur; *ego te clarificaui ſuper terram, manifeſtaui nomen tuum hominibus.* Rectè. Eſt enim Verbum, & genitoris expreſſam fert imaginem, *ſplendor gloriæ, & figura ſubſtantiæ eius.* Et quoniam quia carni copulatum eſt, cum ſenſu viuentibus euaſit intelligibile, omnem mentis quę ipſum genuit, bonam voluntatem nuntiauit. Ad quod & illud ſpectare opinor, quod Philippo Patrẽ videre cupienti ait. *Qui videt me, videt & Patrem.* Et hinc eſt apud Iſaiam, *vocabitur nomen eius magni conſilij angelus.* Sic igitur nihil ad gloriam Patris prætermittẽs, ſolus medium parietem inimicitiarum deſtruit, & hominem criminibus abſoluit.

Malach. 1.

Ioan. 17.
Hebr. 1.

Ioan. 14.
Iſaia 9.
Epheſ. 2.

Quoniam verò ſecundùm alteram naturam, noſtram, inquam, & humanam duplici natura conſtans Ieſus Patrem honorauit, & de corpore & ſanguine ſuo admirabilem illam coronam ei nexuit, idcirco

ſolum

ſolum Chriſti corpus remedium aduerſus peccatum eſt,& vnica peccatorum abolitio ſanguis eius. Nempe ob hanc quoq; cauſam à principio conditus eſt, vt Patrem glorificaret, ſicut ipſe confitetur, ſe ad hoc natum eſſe,& ad hoc veniſſe in mundum;& per omne tempus deinceps, tantummodo quidquid huc faceret egit, huius vnius rei gratia etiam atq; etiam maioremque in modum laborauit. Hoc namque corpus plenitudinis diuinitatis theſaurus fuit, & omnis peccati expers erat, omnem iuſtitiam implebat, generis conſortibus (hominibus) Patrem quem ignorabant, promulgabat, tum per ea quæ loquebatur, tum per ea quæ patiebatur. Immolatum eſt nimirum in cruce, & quæ immolationem præceſſerunt, pauidum, anxium fuit, ſudore diffluxit, proditum, comprehenſum eſt, iudicium iniquum ſubiit, ſub Pontio Pilato teſtimonium perhibuit, bonam confeſsionem, vt Paulus inquit, pœnasq; confeſsionis huius in cruce moriens dedit. Et flagella tergo, manibus & pedibus clauos, latere lãceam excepit. Flagris coopertum doluit, & confixum clauis cruciatum eſt. Hic ſanguis è vulneribus erumpens ſolis lumen obſcurauit, & terram concuſsit, & aërem ſanctificauit, & mundum vniuerſum à peccati ſordibus lauit. Itaque ſicut ſcriptæ legi omnino ſpirituali lege opus fuit, imperfectæ perfecta, ei quæ non potuit perfectum facere ſeruientẽ, ea quæ poteſt: eodem modo qui poſt baptiſmum in gratiam peccauerunt, ſuppliciumque deprecantur, illorum laboribus, ſudoribus,& lachrymis ſanguine noui Teſtamenti,& immaculato corpore opus eſt; vtpote citra hæc illis nihil valentibus.

Ioan.18. *Matth.3.* *Hebr.9.*

Diuinus porrò Dionyſius & ipſas initiationes ritè peragi, & munus ſuum facere poſſe negat, ſi ſacra cœna non acceſſerit: multò minus laborem & iuſtitiam hominũ, peccata emaculare,& alia efficere poſſe credendum eſt. Deinde & hoc vnum eſt de Sacramentis, de peccatis pœnitentes, & ſeipſos ſacerdotibus aperientes, ab omni pœna apud Deum iudicem eximere, qua efficientia ſimiliter potiri nequibunt, qui ſacris epulis non accubuerint. Quocirca quanquam ſemel inuitamur, ſæpius tamen ad hanc menſam accedimus: quandoquidem homines natos ſemper Deum offendere contingit, noxis autem exire conantes, pœnitentia, laboribus & triumpho quodam de peccato indigent. Atque hoc contra peccatum facient, ſi, quod ſolum eſt aduerſus hominum peccata medicamentum, adhibitum fuerit.

Sicut enim oleaſtrum ſibi inſertum oliua hortenſis mox in ſe conuertit, & fructus poſtea neutiquam oleaſtro conuenit: ita & humana iuſtitia ipſa quidem per ſe ipſam ad nihil conducit: ſed in his qui Chriſto copulati fuerint, carniq; & ſanguini eius communicauerint,

continuò bona ampliſsima progenerat, peccatorum remiſsionem, & hæreditatem regni, qui iuſtitiæ Chriſti fructus ſunt. Vt enim à ſacra menſa Chriſti corpus accipimus, & quod præſtantius eſt, corpus noſtrum longè vincit: ita ſequitur hîc, vt iuſtitia noſtra Chriſti iuſtitiæ ſpeciem vultumque in ſe capeſſat. Corpus enim ſolum nominari exiſtimemus licet, multo autem iuſtius animæ & actioni eius hanc com-
1. Cor. 6. munionem tribuendam: quandoquidem *qui adhæret Chriſto, vnus ſpiritus eſt cum eo*. Quibus verbis declaratur, hanc communionem & coaleſcentiam in anima, & mente potius conſiſtere. Ideo non corpus ſolum, ſed animam quoque, & mentem, & voluntatem, & quæcunque humana aſſumpſit, vt nobis totis vniri poſſet, noſque totos peruaderet, & in ſeipſum reſolueret, cum omnibus omnia, noſtris ſua conglutinaſſet. Vnde peccantibus adaptari, & cohęrere non poteſt; quoniam hac tantum ratione nulla nobis cum illo conſociatio. Nam cætera omnia & humaniter à nobis ſuſcepit, & ſua nobiſcum humanius coniunxit. Illud erat Deum in terras deſcendiſſe: iſtuc nos hinc in cœlum ſubuexiſſe. Illud ipſum hominem factum eſſe: hoc hominem Deum euaſiſſe. Et illud quidem naturam probris ac dedecore penitus liberat, quia in vno corpore, & vna anima peccatum deuicit: hoc vnumquemque hominem à peccato vindicat, Deoque commendat. Hæc porrò illis humanitate præſtant. Quoniam enim nos aſcendere, & bonorum eius participes fieri non valebamus, ipſe ad nos deſcendit, noſtramque conditionem ſubiit: adeoque perfectè iis, quæ aſſumpſit, coaluit, vt per quæ nobis quæ à nobis ſumpſit, reddit, per ea ſeipſum communicet, & carne, ſanguineq; humano conſtantes, Deum ipſum animabus ſuſcipiamus, & corpus & ſanguinem, & animam & mentem ac voluntatem Dei ęquè vt hominis. Oportebat ſiquidem & aliud eſſe, & aliud fieri ægritudinis meæ medicinam. Sic enim Deus eſſet tantùm, non ita vniretur. Quî enim nobis cœna fieret? Si autem eſſet tantùm quod nos ſumus, nobiſcum non ſic egiſſet. Nunc cum vtrumque ſit, hoc quidem hominibus, vt homo iungitur, & coaleſcit: illo naturam extollere & excitare, & in ſeipſum transferre poteſt. Facultates enim potentiores, ſi in infirmiores inciderint, conſiſtere eas in iiſdem non patiuntur. Et ferrum igni impoſitum, nihil ferri retinet. Terra item & aqua in ignem coniecta, igni mutantur. Quod ſi facultatum cognatarum validiores ſic in imbecilliores agunt, quid de illa ſingulari, & admirabili facultate exiſtimabimus?

Conſtat igitur Chriſtum infundere, & miſcere ſe nobis, mutare nos, & in ſe tranſmutare, tanquã aquæ guttam modicam infuſam immenſo vnguenti pelago. Tantum quippe incidentibus in ſe vnguentum,

tum iſtuc præſtat, vt non ſolum planè odoratos, nec vnguentum ſpirantes tantummodo, ſed fragrantiam ipſam habitu, & bonum odorem ipſius vnguenti propter nos effuſi reddat: *Chriſti enim bonus odor ſumus*, inquit. Hanc vim & gratiam apud communicantes cœna habet, ſi quidem omni labe carentes cum acceſſerimus, nihil poſtea noui ſceleris conſciuerimus. Sic enim affectis, & paratis nobis, nihil perfectam Chriſti coniunctionem nobiſcum retardabit. *Sacramentum hoc magnum eſt*, copulam iſtam efferens, beatus Paulus ait. Hæ ſunt enim nuptiæ laudatiſsimæ, quibus caſtiſsimus ille ſponſus Eccleſiam vt virginem ſponſam ducit. Hic enim Chriſtus chorum ſibi affixum alit. Hoc ſolo myſterio *caro ſumus de carne eius, & oſſa de oſſibus eius*. Hæc ſunt, quibus Apoſtolus nuptias definiens, Chriſtum eſſe ſponſum docet, & eum ſponſam habere Ioannes, huius connubij auſpex & conciliator ait. Hoc ſacramentum lumen eſt iam purgatis; in his autem, qui etiamnum purgantur, purgandi facultatem habet, contraque malignum & turbulentas animi motiones decertantes, ſicut athletas in gymnaſticis certaminibus vngit. Illis namque nihil reſtat aliud, quàm velut pulſo ab oculis vitio, lumen mundi admittere. Qui autem vnde purgari queant, adhuc indigent, eos quidnam aliud quæſo purget? *Sanguis enim filij Dei emundat nos ab omni peccato*, inquit Ioannes Chriſto chariſsimus.

Cant. 1. *2. Corin. 2.* *Ephes. 5.* *Geneſ. 2.* *Ioan. 3.* *1. Ioan. 1.*

Victoriam porrò contra malignum, à Chriſto ſolo dependere quis neſcit? cuius ſolius corpus trophæum aduerſus peccatum erexit, & per hoc oppugnatis afferre auxilium poteſt, in quo ipſo paſſus eſt, & tentatus vicit. Quoniam enim carni cum vita ſpirituali nihil rei eſt, quam etiam hoſtiliter odit (*concupiſcit enim*, inquit, *caro aduerſus ſpiritum*) ob id excogitata & inuenta eſt caro contra carnem, contra terrenam ſpiritualis: & lex carnis abrogatur, & caro cedit ſpiritui, & aduerſus legem peccati fert ſubſidium. Quia namque caro iſta beata nondum compacta & coagmentata erat, vitam ſpiritualem viuere nemini omnium concedebatur: quando nec ipſa lex ſeruabatur: tametſi non admodum recondita & abſtruſa; nec efficiebat quidquam in hominibus, cum natura noſtra deteriora ſequeretur. Infirmabatur enim lex per carnem, & alia carne opus habebat, quæ robur eius tueri poſſet. Nam *quod impoſsibile erat legi*, inquit, *in quo infirmabatur per carnem, Deus mittens filium ſuum in ſimilitudinem carnis peccati, & de peccato damnauit peccatum in carne*. Quam ob cauſſam carne hac ſemper egemus, & crebro his dapibus nos reficimus, vt lex ſpiritus in nobis operetur, & vitæ carnis locus nullus relinquatur, neque occaſionem inueniat in terram deuergendi, ſicut grauia corpora,

Galat. 5. *Rom. 8.*

adminiculis & ſuſtentaculis deſtituta. Eſt enim ſacramentum perfectum ſecundùm omnia; neque requirunt aliquid qui eo impertiuntur, quod non eximiè ſuppeditet.

2. Corin. 4. Quia verò materiæ noſtræ vitioſitas ſigillum immotum manere non ſinit (*habemus enim theſaurum iſtum in vaſis fictilibus*) ob id non ſemel, ſed aſsiduò medicinam capeſsimus, figulumque luto ſemper aſsidere oportet, & confuſam effigiem iterum iterumque reparare, & frequenter ſentire nos manum medici, qui materiam fatiſcentem redintegret, & labantem voluntatem erigat, ne mors imprudentibus obrepat. *Nam cùm eſſemus mortui peccatis, conuiuificauit nos in Chriſto.* *Et ſanguis Chriſti emundat conſcientias noſtras ab operibus mortuis, ad ſeruiendum Deo viuenti.* Veram namque vitam ſacræ menſæ virtus à ſacro illo corde in nos deriuat; & vt Deo pariter ſeruiamus, inde nobis conceditur. Si enim hæc eſt ſincera Dei ſeruitus, ſubiici, obtemperare, ipſo mouente & impellente facere omnia, non video, quomodo magis Deo ſubiici poſsimus, quàm ſi eius mẽbra fiamus. Quid enim tandẽ magis cuipiã imperet, quàm caput membris? Sanè quidẽ, vt membra Chriſti ſimus, in hoc myſterio perfectius, quàm in quouis alio, ipſe panis vitæ nobis largitur. Quemadmodũ enim propter caput, & cor membra viuunt: ſic, *qui manducat me*, inquit, *& ipſe viuet propter me.* Viuit etiam propter alimentum: at verò ſacramentum aliam rationem habet. Nam nutrimentum, vtpotè quod ipſum vita caret, vitam nobis à ſe ipſo inſerere non queat: ſed quia vitam corporis quam inuenit ſuſtentat, comedentibus vitæ cauſſa videtur. Aſt panis vitæ ipſemet viuit, & propter illum verè viuunt, quibus illum communicarit. Vnde alimentum in eum qui alitur, transmutatur, & piſcis, & panis, & quidquid aliud cibariorum eſt, in ſanguinem hominis conuertitur. Hìc prorſus fit còntrarium. Panis enim vitæ ipſe mouet eum qui paſcitur, & transfert, atque in *ſeipſum* mutat; quodque meritò cordis & capitis eſt, & mouemur & viuimus, quantum in ipſo eſt, vt ipſe mouetur & viuit. Hoc idem indicans, videlicet, non inſtar eſcarum ſe vitam noſtram alere; ſed quam ipſe habeat, eam vltro nobis inſpirare, & veluti cor, aut caput membris vitam impertiri, & viuum panem ſeſe appellauit, &, *qui manducat me*, inquit, *& ipſe viuet propter me.*

Epheſ. 2.
1. Ioan. 1.
Ioan. 6.
Ibidem.

Ioan. 4. Planum eſt igitur, Deum in ſpiritu & veritate adorare, & illi ſincerè ſeruire, ſacræ menſæ deberi: non ſolùm quia vt Chriſti membra ſimus, & hac ratione ſimilitudinem quandam illius conſequamur, ab hiſce myſteriis habemus; verumetiam, quia mortui ſeruire viuenti non poſſemus. Cæterùm viuere, & ab operibus mortuis immunem eſſe impoſsibile eſt, niſi quis hanc cœnam frequen-

quentiſsimè ineat: Sicut enim Deum, *cum ſit ſpiritus, in ſpiritu & veritate oportet adorare*: ita viuos eſſe decet, qui viuum colere ſtatuerunt. *Non eſt enim*, inquit, *Deus mortuorum, ſed viuorum.* Luca 20.

Secundùm rectam rationem porrò viuere, & cum virtute commercium habere, etiam Deo ſeruire eſt. Sed hoc ſeruorum quoque officium atque opus cenſeatur. *Cum enim feceritis hæc omnia*, inquit, *adhuc dicite, quia ſerui inutiles ſumus.* Hæc autem latria (ſeruitus ſiue cultus) à filiis duntaxat præſtatur: & nos nō in ſeruorum, ſed in filiorum ordinem, & locum vocamur: ob id carnem & ſanguinem eius participamus. *Pueri enim*, inquit, *carni & ſanguini communicarunt.* Quemadmodum namque ipſe, vt pater noſter fiat, & verba illa promere queat, *ecce ego & pueri mei, quos dedit mihi Deus*, carnis & ſanguinis conſors nobis factus eſt: ſic & nos, vt illius filij euadamus, neceſſe eſt viciſsim carnis & ſanguinis eius participes eſſe. Atque iſto modo non ſolum ei per ſacramentum hoc membra reddimur: ſed inſuper filij, vt libentes ei, & animo volente inſtar filiorum pareamus. Diligenter item, quemadmodum membra ſcilicet. Sic enim ſeruitus fit admirabilis, & eximia prorſus. Quocirca & hæc, & illa, filiorum, inquam, & membrorum imago inducenda eſt, quando vna ad rem ante oculos pōnendam ſatis non eſt. Quid enim admirationis habet, nullo per ſe motu præditos, velut membra, à Deo ceu à capite moueri & incitari? Quid ſingulare, velut patribus carnis Patri ſpirituum ſubiici? Aſt vtrumque ſimul, naturam excedit, cum arbitrij libertate retenta, vt filij, ſubeſſe poſſumus tanquam membra.

Luca 17.

Heb. 2.

Iſaia 8.

Et hæc eſt illa prædicanda filiorum adoptio, non in voce & appellatione conſiſtens, vt in rebus humanis; nec vſque eò honorabilis. Nam inter nos, adoptati cum adoptantibus nomine ſolo communicant, & eo vſque illis communis eſt pater, nulla intercedit generatio, nulli partus: hîc autem & generatio eſt reuera, & communio cum vnigenito, non tantum nominis, ſed rerum quoque ipſarum, ſanguinis, corporis, vitæ. Quid enim præſtantius, quam cum ipſe Pater vnigeniti ſui membra in nobis agnoſcit? cum ipſam filij formam in vultibus noſtris intuetur? *quos prædeſtinauit*, inquit, *conformes fieri imaginis filij ſui.* Rom. 8.

Et quid ego iſtam humanam adoptionem memoro? cùm hîc ipſa naturali generatione aſtrictius quiddam, magiſq; cognatum ſit, & ita nati magis Dei filij ſint, quam eorū, qui ipſos ſecundùm corpus procrearunt: idq; eo amplius, quanto amplius illorū, quā materiæ ad cōceptū ſuppoſitæ ſunt. Quid enim eſt, quod veros patres nobis facit?

quòd

quòd ex ipſorum carne carnem hanc habemus, & è ſanguine illorum vita nobis conflata eſt. Hoc verò & in Saluatore acquirimus. Caro enim ex eius carne & oſſa ex eius oſsibus ſumus. Sed vtriuſque communionis haud mediocre interuallum eſt. Nam in naturalibus qui nunc eſt ſanguis filiorum, parentum iam non eſt; ſed illorum fuit, priuſquam filiorum eſſet. Atque hæc eſt origo generis, quia qui ſanguis nunc eſt horum, antè illorum erat. Ex ſacramento autem iſtoc ſanguis quo viuimus, etiam nunc ſanguis Chriſti eſt. Et caro, quam nobis coagmentat, corpus Chriſti eſt, & communia inſuper membra, communis vita.

Atque hæc eſt vera communio, cum ambobus idem eodem tempore adeſt. Nam ſi vterque habet, iam hic, iam ille, hoc non potius fuerit communicare, quàm diſsidere ac diſcrepare. Non eſt enim quod coniungat, quoniam non habent ſecundùm idem ambo, quod vteruis ſolus habet. Quocirca nec verè mutuùm in vllo communicant, nec communicarunt. Sed quia idem eſt, quod prius erat huius, nunc eſt illius, ſpecies quædam communionis, & imago, dicenda eſt magis, quàm communio. Sicut enim non eſſet quis contubernalis ei, cum quo eandem domum habitaret, ſi poſt illum habitaret; nec magiſtratus & reipub. curandæ ſocius alicui, qui magiſtratum poſt illum occœpiſſet: ſed qui, præterquam quod eodem modo ædes eaſdem incoleret, & iiſdem quoque rebus cum imperio præeſſet, etiam eodem tempore præeſſet: tali modo ſe res hìc habet. Nam carne & ſanguine non admodum cum parentibus nos, nec eodem tempore in his nobiſcum ipſi communicant. Chriſto autem reuera communicamus, cum quo ſemper & corpus, & ſanguinem, & membra, & omnia hæc habemus communia. Quod ſi hoc filios efficit, communicare carne & ſanguine, nos maiore cognatione cum Saluatore per ſacram menſam deuinctos, quam per naturam cum parentibus ipſis, manifeſtum eſt. Iam verò, non cum ſemel nos viuos procreaſſet, formaſſetque, vt illi, ſe remouit: ſed nunquam non adeſt, & vnitus eſt, & hoc ipſo quod adeſt, nos viuificat & format. Et ſeiunctos quidem à parentibus nihil vetat ſupereſſe: à Chriſto autem ſeparatis, præter mortem nihil exſpectandum eſt. Sed cur maius quiddam non dico? Fingere ipſis in ſemetipſis filios, qui à parentibus non dirimantur, haud conceditur. Sed quia alij generarunt, alij generati ſunt, hoc eos prorſus dirimit, ac ſeiungit. Eſſe autem filios in myſteriis, in commercio & communicatione poſitum eſt, & ſeparari ac ſeiungi, hoc eſt non amplius eſſe, ſed omnino periiſſe.

Itaque ſi nomen cognationis communionem aliquam ſignificat,

& eos

& eos indicat, opinor, qui communitate ſanguinis copulati ſunt, ſola erit ſanguinis communio, ſola cognatio, & filiatio, ſecundùm quam cum Chriſto communicamus. Itaque & naturalis generatio in his obſcuratur. *Quotquot autem eum receperunt*, inquit, *dedit eis poteſtatem filios Dei fieri.* *Ioan.1.* Non ſunt nati ex ſanguinibus, tametſi nati ſunt, & qui eos genuerunt, carnem induti fuerunt, & partus ille hunc præceſsit. Sed vetuſtiorem recentior tot partibus vicit, vt illius neque veſtigium, neque nomen ſuperſit. Et ita ſacer panis nouum hominem introducens, radicitus veterem eiicit; nam & iſtuc ſacræ menſæ quoddam munus eſt. Etenim qui receperunt eum, inquit, non ſunt nati ex ſanguinibus. Quoties autem ipſum recipimus, toties verbum hoc experimur; & in quo myſterio dictum ſit hoc, *accipite*, inquam. Certum eſt in cœna nos hac voce inuitari, in qua Chriſtum & manibus verè accipimus, & ore ſuſcipimus, & animæ admiſcemus, & corpori copulamus, & ſanguini immergimus. Et iure quidem. Sic enim Saluatorem & accipientibus, & vſque ad extremum vitæ retinentibus, ipſe caput idoneum & cònueniens eſt, & ipſi eidem membra decentia: Eadem autem generatione membra capiti generari æquum erat. Non enim è ſanguinibus caro illa, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri; ſed ex Deo Spiritu ſancto extitit. *Quod enim in ea natum eſt*, inquit, *de Spiritu ſancto eſt.* *Matth.1.* Et membra iſto modo naſci conſentaneum eſt, quandoquidem & ipſa capitis generatio beatorum iſtorum membrorum generatio eſt. Hoc enim eſt conſtituta eſſe membra, natum eſſe caput. Quod ſi etiam cuique principium vitæ eſt generatio, & vitam inchoaſſe, eſt natum eſſe, quoniam vita ipſi adhærentium Chriſtus eſt, ipſi Chriſto vitam hanc ingreſſo, natoque nati ſunt.

Tantus bonorum àceruus è ſacra menſa nobis exoritur. A pœna liberat, pudorem ex peccato orientem exterit, pulcritudinem reparat, Chriſto ipſi arctius alligat quàm naturalia vincula queant alligare. Vt ſimul & ſemel dicam, quouis myſterio excellentius vero Chriſtianiſmo perfectos reddit.

Hìc multis venit in mentem àdmirari ſuper hoc ſacramento, quomodo cum ſit excellentiſsimum omnium, ipſoque baptiſmo maius, in criminibus tamen eluendis minus eo poſſe videatur. Ille enim nihil exigit laboris; hoc antecedere labores debent. Et purgatorum quidem ibi, ab iis, qui maculam nullam prorſus contraxerunt, nullum eſt diſcrimen: ad cænam autem ventitantium, multis peccatorum inſunt veſtigia. Et vt diſtinctius pleni-

usque dicamus, cum tria iſta in peccatis conſiderentur, peccantis peruerſa actio: pœna ob eam luenda: inde iniecta animæ procliuitas, ab actione peccatorem ipſum per ſe diſcedere oportet, factoq; ſine ad lauacrum venire: cætera baptiſmus nihil quoquã moliente ſimul & ſemel è medio tollit, & pœnam videlicet, & morbum. Itaque & ipſum qui peccauit interimere quodammodo creditur. Etenim aquis immoritur, & nouus homo eſt, quem lauacrum producit. Sacer autem panis, quem mœſtum acceperit, & pro eo ac dignum eſt de peccatis dolentem, à crimine liberat, animæ prauum habitum abolet: non autem occidit, non enim de integro reformare ſolet, & hunc ſolum peccati terminorum immobilem relinquit, & manere ſinit, non quidem crimini obnoxium amplius, audacem tamen. Sunt porrò qui notas adhuc morbi ferunt, vulnerumque priſtinorum cicatrices, ſi minus quàm par eſt eorum ſanandorum ipſis cura fuerit, & virtuti medicinæ non æqualem animæ præparationem attulerint. Et purgatio iſta hoc ab illa differt, quod non mortificare, & refingere dicitur peccatorem, & quod manentem peccatorem cum purget tantummodo, ne hoc quidem nobis citra laborem. Hæc autem nihil ad Sacramentum, ſed ad ipſam rei naturam pertinent, vt intelligamus, oportere criminibus irretitos hìc quidem initiatos, illic ſacram cœnam obeuntes purgari.

Et quidem de laboribus requiſitis illud dico. Baptiſmus nondum formatos, nec ad bonum curſum currendum vlla virtute præditos accipiens, non temerè in nobis hæc omnia gratis operatur, & à nobis nihil requirit; vtpotè qui conferre nihil poſsimus. Menſa autem propoſita formatis iam, & viuentibus, & valentibus nobis ipſis ſufficere, viribus, datiſque armis vti ſinit, & bonum perſequi, non iam portatos, neque tractos; ſed ipſos ſponte ac per nos concitatos atque commotos, velut iam gnaros currere. Quid enim referebat facere vt acciperemus, quibus vtendum non erat? Quid corroborare & armare domi dormiturum? Si enim neque primò naſcentibus, neque poſtea purgari volentibus certandum & laborandum eſt, neſcio quando nobis ipſis commodemus. Iam, quod hominis opus, ſi virtutis curriculum auferas? Immo verò quid opere noſtro deterius, ſi nihil eorum quæ laudantur, facientes, in improbitate animam continenter occupatam habeamus? Itaque locum operum hominibus, opportunitatemque certaminum concedere oportebat, qui quidem vt perfecti viri eſſent, à myſteriis iam accepiſſent, poſſentque opus na-

turæ

turæ conueniens operari, & illuceſcente die, quem fecit dominus, non dormire de cætero: ſed ad opera incumbere, & vt Dauid inquit, *ad opus ſuum, & ad operationem ſuam exire vſque ad veſperam*. *Pſalm.117.* *Pſalm.103.*

Sicut enim poſt hunc diem venit nox, quando nemo poteſt operari; ſic & ante hunc diem nox erat, quando ſumma erat operandi imbecillitas, & quò ambulandum eſſet, nemo ſciebat, cum adhuc nox terras teneret, in qua (vt eſt in Euangelio) *qui ambulat, neſcit quo vadat.* Sole autem exorto, radiiſque per ſacramenta vbique diffuſis, nullam operum laborumque humanorum dilationem perpeti par eſt: ſed comedi panem hunc in ſudore vultus (noſtrum, quia pro nobis fractum; præterea quia ſolis ratione vtentibus deſtinatus eſt) & quod ait dominus, operari cibum, qui permanet; quod eſt iubentis, ne otioſi, nec inefficaces ad hanc cœnam veniamus. Si enim otioſos Pauli lex etiam menſa intereunte excludit (*ſi quis laborare non vult*, inquit, *nec manducet*) quibus operibus ad hanc menſam vocati egebunt? *Ioan.9.* *Ioan.11.* *Geneſ.3.* *Ioan.6.* *2.Theſſ.4.*

Sic igitur ſacra donā attingenda, & ob hoc ante ſacramentum per ſemet purgare ſe oportere, ex dictis liquet: quod non inferioris modò, ſed etiam potentioris myſterij eſſe, inde apparet. Primum enim, ſi melioribus Deus maiora donat, qui miſericordiam ſtatuit, & iuxta Prophetam in pondere & iuſtitia omnia facit, multò magis melioribus nobis, vtpotè iam per ſacramenta initiatis, & ob virtutem iam luctatis benefacit, quam prorſus non ablutis. Relinquitur ergo & gratiam hanc illi præſtare, & initiatos donis ſecundis meliora conſequi. Eſt autem illud baptiſma, hoc cœna ſacra, quam tanto perfectiorem exiſtimare conuenit, quanto eam obire volentibus maiore præparatione opus eſt. Haud enim æquum eſt, maius volenti cuilibet, minus per certamina, aut ſacramenta purgatis contingere: quin contrarium potius hinc conjectare fas eſt, putareque, illud eſſe perfectius, quod niſi multis & generoſis laboribus non emitur. *Iſaiæ 28.*

Deinde & hoc ſciendum, Chriſtum, qui præbet epulum, certaminis noſtri ſocium, & adiutorem eſſe. Adiutor autem manum porrigit non iacentibus, non ægrotantibus: ſed à robore & audacia firmis, & aduerſus aduerſarium animoſè, beneque dimicantibus. Ipſe enim Chriſtus nobis operans, in vnoquoque ſacramento omnia fit, plaſtes, aliptes, opitulator, & abluens, & vngens, & nutriens. Ibi enim à principio membra fabricatur; hic ſpiritu corroborat;

in menſa verò adeſt perfectè,& vnà certamen ſuſtinet. Defunctis demum certamine munerator erit, & ſanctis iudex ſedebit laborum, quorum ipſe pars magna fuit. Adhæc cum victores redimire oportebit, idem quoque corona erit. Ad agones igitur pro philoſophia audendos,& ad excellentiam conſequendam,fingens & vngens confert omnia: ſimul certans, non omnia: & tempore quidem certaminis nihil. Nec enim alipten, & plaſten licitum quidquam prætermittere, quæ athletam parare ac diſponere poſſunt; neque commilitonem communis ratio ſinit in ſe omnia recipere, & alium quidem delicias facere perpeti, ipſum ſolum ad certamen aggredi. Atqui nec ipſum qui certaminis præmia proponit, aut qui ipſemet corona eſt, vngere certatores, aut formare, aut medici partes agere decet: nec ad victoriam, aut fortitudinis, aut roboris, aut virtutis cuiuſcunque alterius quidquam athletis apponere: ſed ſolum quæ eſt, & enituit,eam condecorare noſſe. Eſt autem fortibus melius coronari, quàm certando vincere; & melius vincere, quàm formari atque vngi. Hæc enim propter victoriam fiunt, victoria propter coronas quæritur. Quod ſi hoc ſignum eſt imperfectæ, inferioriſque fortis, non ex omni parte purgare, nec præparare, ac fingere, extremus beatitudinis terminus minus ad felicitatem valeret; puta, Deo coronante potiri, & ſub velamine, in ſacra menſa eius participem fieri; quaſi menſa & præparationem quandam, & purgationem haberet, coronarum verò ex his neutrum. Quæ cum ita ſint, mirandum non eſt, ſi cœnæ myſterium quamuis perfectius, minus tamen purget.

Inſuper etiam præmium eſt hoc donum. Huiuſmodi autem præmia non conſtituunt, neque faciunt fortiſsimos; ſed oſtendunt, & ornant.Non enim in cœna purgatio tantùm,& auxiliator, ſed & præmium eſt Chriſtus,quod certamine perfunctis reportādum eſt. Quid enim aliud ſanctis pro laboribus in hoc æuo toleratis dignius rependatur,quam Chriſtum accipere,& cum eo eſſe? Et Paulus emigrationem poſt curſum illum in hoc extremum deſinere ait, nempe cum Chriſto viuere & verſari. *Diſſolui*, inquit, *& cum Chriſto eſſe,multo magis*
Philip.1. *melius*. Quod hæc menſa præſtat inſigniter. Etſi enim in aliis quoque myſteriis Chriſtum inuenire licet; ſed eatenus,vt præparationē inde feram*, quò cum eo eſſe poſsimus. Hic aūt, vt iam purè eum accipiamus,& cū illo ſimus. Vbi enim in aliis reperias vnū corpus,& vnū ſpiritum,& manere in ipſo,manentemq; viciſsim habere in ſe ipſo? Pro-
Ioan.6. pter hoc,vt arbitror,etiā Chriſtus ipſe beatitudinē iuſtorum cœnam
Luca 12. nuncupauit,in qua ipſe miniſtraret. Sic igitur panis vitæ primùm eſt.

Quoniam

Quoniam verò donum iſtuc ſuſcipientes terram adhuc calcant, & vt viatores, puluere inquinantur, & pedibus offendunt, graſſatorumq; manus timent, pro præſenti neceſsitate ipſis planè ſufficit hic panis, & vires ſuſtentat, & dux eſt, & purgat, donec diuertant, vbi ſecundùm Petri verba bonum eſt hominem eſſe, vbi aliis nullus locus, in regione à negotiis moleſtiis libera iam manentibus, ſolus autem corona ipſis Chriſtus eſt, cum eis familiariſsimè verſans. Igitur vt purgandi vim habens, & ad hoc à principio inſtitutum, inquinamento omni liberat. Vt autem nos in certaminibus adiuuat, quorum ipſe Chriſtus dux fuit ante, primus ad ea aggreſſus, robur aduerſus oppugnantes largitur. Quia verò etiam præmium eſt, labores quibus debeatur poſtulat. Qui igitur cœnam vt præmium, & vt ſupremam beatitudinem habet, quomodo cæteris minus poſſe nihilominus coniiciet? *Matth. 17.*

Idem de altero decernendum, exiſtimandumque perfectioni myſterij non repugnare. Non enim quia non multum poteſt, peccatis perditum non refingit: ſed quia cum primam formationem, ſeu characterem adhuc ferat, alio inſigniri nequit; ſicut antè dictum eſt; quē delere, & ex animabus ſemel baptizatorum eradere; nec extremę quidem improbitatis eſt, nec id poterunt, quamuis pactam communi Domino ſeruitutem abnegare non dubitauerint, quem illis nec ſumma philoſophia, nec nuda confeſsio imprimere potuit. Deinde quia vniuersè melius eſt hominem eſſe, quàm mortuum & contritum eſſe, ſine quo non datur refictio (etenim mors eſt veteris monetæ, & hic eſt qui mori poteſt, quem puluis produxit. *Securis enim*, inquit Euangeliſta, *ad radicem arboris poſita eſt.*) Ablutus autem, iam nouum hominem portat. Quomodo igitur morietur, Adamo adhuc coniunctus, qui amplius non moritur? Et pro quo tandem moreretur, cum pro quo accipiendo mori oportebat, eum adhuc in anima geſtet? Hoc autem nec ab ipſo lauacro conſequi licet. Quî ergo hoc myſterio illud ſit melius, in eo, quod æquè in neutro inuenitur? Nec enim ea baptiſmi vis eſt, vt iam extantes, & formatos denuò generare queat: & ſacra lex neminem idcirco bis abluit, neque id diſciplinæ & ordinis gratia; ſed quod bis in eodem generari ſit impoſsibile. *Matth. 3.*

Atqui, occurret aliquis, hic eſt baptiſmus, ſi religionem coram perſecutoribus confeſſus moriare. Quid igitur multi aquis initiati, & hoc ſtadium decurrerũt, & alterum hoc lauacrum ſuſceperunt? Huic quæſtioni ita occurremus. Qui ad Chriſtum ſe adiungere, & vnà cum eo viuere inſtituerunt, eos commendat, quod illius manu præclarè ficti formatique ſunt. Commendat etiam, quod per virtutem ipſi per ſemetipſos, & per laudatos agones acceſſerunt. Aqua igitur baptizari,

hominem fingit, & id vnum poteſt: mors pro Chriſto oppetita, ſine dubio vtrumque poteſt, & quod aqua dare valet, & quod à nobis præſtandum eſt. Proinde nondum initiatis propoſitum eſt quidem baptiſma, & fictio, teſtimonium de Chriſto, & ſepultura cum Chriſto, in quibus baptiſmi finis & ſcopus eſt. Propoſita eſt item virtus, ſudoribus pro bono illo ſupremo adipiſcendo, & extrema tolerantia laborum plena. Initiatis porrò primum non contingit, qui iam ficti formatique ſunt, & viuunt: ſecundum contingit. Etenim exercitationem pietatis, & virtutem, & an Chriſtum nouerimus, & amemus ſuper omnia quæ amari poſſunt, & firmiſsimam ſpem in illum, hæc, inquam ferrum, & ignis, & grauiſsima quæque tormenta manifeſtè oſtendunt. Horum cauſſa baptiſmate ſemel initiatos, eodem rurſus vti minimè fas eſt, cùm donare non plus queat, quàm quod inde acceptum retinemus. At martyrium ſubire etiam atque etiam fas, quod non ſolùm generare & formare, ſed etiam coronas ob facta generoſa plectere nouit: & propterea profanis adhuc ambo, initiatis alterum tribuitur. Nihil enim nouum, cum quid ad vtrumque eſt vtile, eos qui vtroque non indigent, propter alterum vti, & id ſolum quo egebant adipiſci: ſiquidem & ſacræ menſæ dona purgare, qui ea nondum ſuſceperunt, & iam purgatos illuminare conſueuerunt. Et tamen nihil obſtat quin ob alterum ad myſterium accedant, qui prius obtinuerunt. Et de his ſatis.

Sed vnde huc delapſa eſt oratio, quod perfectam hominum erga Deum communionem operatur, ſiue rem illam latriam, ſiue filiorum adoptionem, ſiue vtrumque velimus appellare, ſacra cœna eſt; quod nos Chriſto arctiore cognationis vinculo aſtringit, quam parentibus ex ipſis natos eſſe. Neque enim exile quoddam corporis initium, & modicam ſanguinis materiam nobis præſtruit: ſed corpus ſanguinemque perfectè nobis communicat. Neque tantum eſt vitæ cauſſa, vt parentes: ſed etiam vita ipſa. Neque ideo dicitur vita, quia vitæ
Matth. 5. cauſſa ſit, quo modo Apoſtolos lucem nominauit, quia luminis duces auctoreſque nobis fuerunt: ſed quia quo verè viuere licet, ipſemet eſt, ipſa vita, quando & ſibi adhærentes ac deditos ſanctos ac iuſtos facit, non ſolum inſtituens ac docens, quæ oportet, & animam ad virtutem exercens, quamque illa facultatem ad veram rationem habet,
1. Cor. 1. in opus educens: ſed & ipſe illis factus à Deo iuſtitia, & ſanctificatio. Tali enim maximè modo hoc ipſum ſanctis, nempe beatos & ſanctos eſſe, contingit, quod adeſt illis ſanctus & beatus, propter quem ex mortuis viuentes, ex ſtultis ſapientes, ex ſeruis improbis atq; ſceleſtis ſancti & iuſti euadunt. A ſeipſis namque, & humana natura ſtudioque nihil

nihil illis ſuppeditat,vnde propriè ſic appellentur:ſed & ſancti dicun-
tur propter ſanctum,& iuſti, & ſapientes propter eum, qui cum ipſis
eſt iuſtum & ſapientem. Et abſolutè, ſi quis verè inter homines ma-
gna hæc, & veneranda audire dignus eſt, inde hæc cognomenta adi-
piſcitur: præſertim quando domeſtica, & quæ ab illis præſtari poſſunt
tantùm abeſt vt iuſtos eos ac ſapientes efficere queant, vt illorum iu-
ſtitia mera improbitas, & ſapientia euidens ſtultitia ſit.

Deinde etſi virtus inprimis venerabiles redderet, & ornaret, quo-
niam tamen iuſtitiam,& ſapientiam quæ ex Deo eſt familiarius,& ſtu-
dioſius amplectimur quam humanam,ab illa potius quàm ab iſta no-
minari nos decet. Sicut enim ab extraneis & alienis nomē non trahi-
mus;ſed à propriis, & in natura noſtra inſitis & afficimur, & vocamur
(non enim domus, aut veſtis ad hos vel illos mores nos finxerit: ne-
que vitij aut virtutis nomen imponat) ita illa diuina magis animos
noſtros temperant, & nomen commune efficiunt, quæ magis noſtra
ſunt. Quæ autem ſunt Chriſti, noſtra magis ſunt,quàm noſtrametip-
ſorum. Noſtra ſunt enim,quia membra,& filij facti ſumus,eiq́ue car-
ne,ſanguine & ſpiritu communicamus. Propius autem noſtra non iis
tantum quæ ab exercitatione,ſed iam etiam iis,quæ à natura veniunt;
quandoquidem, vt docuimus, interior nobis cum ipſo quam cum
parentibus cognatio eſt. Hac de cauſſa nec humanam philoſophiam
inuexit,nec iſtorum certaminum tenus nos progredi voluit:ſed hanc
in Chriſto vitam nouam viuere, & illam exhibere iuſtitiam obliga-
mur omnes; quod non feciſſet, niſi hæc vita nobis foret aptior, offi-
cioq́ue noſtro præclarè conueniret. Ob hoc enim *Chriſto per baptiſmum* Rom.6.
conſepulti ſumus, vt in nouitate vitæ ambulemus. Et ad Timotheum. *Appre-* 1.Tim.6.
hende vitam æternam. Et, *eſtote ſancti iuxta eum qui vocauit vos ſanctus.* Et mi- Leuit.19.
ſericordes,non miſericordia humana: ſed *ſicut pater veſter cæleſtis miſeri-* Luca 6.
cors eſt. Et, *diligite inuicem, ſicut ego dilexi vos:* quo amore Paulus dilexit, *in* Ioan.13.
viſceribus Ieſu Chriſti. Vnde & Saluator ipſe diſcipulos pacem agitare iu- Philip.1.
bens,ſuam ipſius pacem illis immiſit. Ait enim, *pacem meam do vobis.* Et Ioan.14.
ad Patrem, *vt,* inquit, *dilectio qua dilexiſti me, in ipſis ſit.* Et planè, ſicut ge- Ioan.17.
neratio diuina quædam,& ſupra naturam eſt; ſic & vita,& viuendi in-
ſtitutum,& philoſophia,& omnia hæc,noua & ſpiritualia ſunt. Atque
hoc ſignificans Saluator Nicodemo, *quod natum eſt ex ſpiritu,* inquit, *ſpi-* Ioan.3.
ritus eſt. Vnde & Paulus, *vt inueniar in illo, non habens meam iuſtitiam, quæ ex* Philip.3.
lege eſt: ſed quæ ex fide eſt Ieſu Chriſti, quæ ex Deo eſt iuſtitia in fide.

Docet autem Scriptura,hanc eſſe regiam veſtem: nam noſtra ſer-
uilia ſunt. Libertas porrò & regnum, ad quod feſtinandum eſt, quo-
modo ſeruorum præmia erunt? neque enim regno digni apparebunt,

1 Cor. 15. ſi nihil niſi ſeruorum virtutem præſtiterint. Sicut enim *corruptio incorruptionem non poßidebit, oportet autem corruptibile hoc induere incorruptionem,* Ibid. *& mortale hoc induere immortalitatem*; ita nec ſeruorum opera ad regnum illud nobis queant ſufficere; ſed iuſtitia ex Deo requiritur. Hæredem enim oportet eſſe filium, non ſeruum. *Seruus enim*, inquit, *non manet in* Ioan. 8. *domo in æternum: filius autem manet in æternum.* Quamobrem vnumquemque eorum qui ad hanc hæreditatem cernendam venerunt, prius abiecta conditione ſerui, filium ſe oſtendere oportet. Quod eſt formam, & faciem vnigeniti indutos, cum hoc decore & elegantia genitori nos ſiſtere. Et hoc eſt à filio Dei omni ſeruitute liberari, vereque liberos eſſe: quod Iudæis Chriſtum dicere voluiſſe intellige, cùm dicit, *ſi filius* Ibid. *vos liberauerit, verè liberi eritis.* Liberat enim, & qui ſeruierant, filios Dei efficit: quoniam ipſe cum ſit filius, & omni peccato vacet, & corpus ipſis, & ſanguinem, & ſpiritum, & ſua omnia communia facit. Hac enim ratione nos & refinxit, & liberauit, & deificauit, germanum, & liberum, & verum Deum ſeipſum nobis admiſcens. Et ſic Chriſtum, qui vera eſt iuſtitia, noſtrum bonum, ſupra quam ipſa naturalia, ſacra cœna nobis facit. Itaq; & gloriamur bonis eius, & quaſi noſtra eſſent rectè facta, celebramur, indeque nominamur, ſi in communione permanemus. Et ſi quis verè ſanctus & iuſtus, & quodcunq; tandem laudabilium audit, appellationem ex iis quæ à Chriſto ſortitus eſt, accipit. *In Deo*, inquit, *laudabitur anima mea.* Et, *benedicentur in eo omnes gentes.* Pſal. 33. Gene. 22. Vnde humanum nihil, ſed quæ Chriſti ſunt poſcimur; vt ea in animas noſtras cum importauerimus, cùm iis hinc diſcedamus, & ante coronas hanc Philoſophiam omni modo, & has nouas diuitias exhibeamus, nullo ſuperaddito falſo numiſmate, quoniam hanc ſolam ad promerendum regnum cœlorum apportare poſſumus.

Quia enim prǽmium, quod pugna defuncti accipere debent, Deus ipſe eſt, neceſſarium videtur ſanè, præmio reſpondere, & diuinos eſſe etiam agones, Deumq; athletis non ſolùm alipten eſſe, certaminumque auſpicem, ſed & ipſum in ipſis virtutis munere fungi. Et ita finem qui quǽritur, cum prǽparatione, & prǽparationem cum fine congruere. Sicut enim in has terras nos mittens, nihil nobis fecit, nec exegit, quod vltra naturam eſſet; ſic ex his terris nos dimittens, atq; ad Deum adducens, nihil nos humanum habere permiſit: ſed ad omnia quibus nobis opus fuit, ſe accommodauit, & quæ ad finem illum commodare poſſent, nihil in ſe otioſum reliquit. Siue enim morbum quis hoc malum noſtrum, & negotium medicum dicat, non ſolùm ipſe ad ægrotantem venit, eumque aſpectu ſuo, & tactu dignatus eſt, & quibus ad curationem egebat, per ſe illi miniſtrauit, ſed & ipſa medicina, &

diæta, & quodcunque aliud ad ſanitatem recuperandam prodeſſet, ipſe factus eſt. Siue refictio eſt, ex reipſa, & corpore proprio, quod deerat reſarſit, quodque pro perdito reſtituit, ipſe eſt. Non enim vnde finxit, ab eadem materia refinxit. Sed illud quidem fecit, puluerem è terra accipiens; pro altero autem ſuum ipſius corpus tradidit; vitamque reparans, non animam in natura conſiſtentem pulchriorem facit, ſed ſanguinem ſuum in corda initiatorum effundens, ſuam ipſius vitam ipſe oriri facit. Tunc enim inſpirauit ſpiritum vitæ, vt legimus: nunc autem ſpiritum ſuum nobis communicat. Etenim *miſit Deus*, inquit Paulus, *ſpiritum filij ſui in cordibus noſtris, clamantem abba pater*. Siquidem & cum luce opus eſſet, tunc dixit, *fiat lux, & facta eſt lux*. Sed iſta tanquam ſeruis. Nunc Dominus ipſe *illuxit in cordibus noſtris, qui tunc de tenebris dixit lumen ſplendeſcere*, Pauli vox eſt. Et vt ſimul dicam, prioribus temporibus per creaturas haſce aſpectabiles generi noſtro bene faciebat, mandatisq́; & legationibus, & legibus hominem regebat, partim angelorum, partim hominum reuerendorum vſus opera. Nunc citra adminiſtrum, ad omnia ſemetipſo vtitur.

Geneſ. 2.
Ibid.
Galat. 4.
Geneſ. 1.
2. Cor. 4.

Conſideremus rem altius. Ad ſaluandum genus humanum non angelum miſit, ſed ipſe venit. Diſcere oportebat homines qua de cauſa veniſſet, non itaque in regione certa ſubſiſtens, audituros accerſiuit: ſed ipſe oras peragrans quæſiuit, quos ſermonum ſuorum participes faceret, ampliſsimaq́; bona in lingua portans, beneficiis egentium domos intrauit. Quin & ægrotantes ſic ipſe adiens, manuque contrectans, bonæ valetudini reſtituit. Et oculos fecit cæco nato, lutum illinens, quod ipſe cum in terram ſpuiſſet, & digito ſubegiſſet, ſuſtulit, & alleuit. *Et acceſſit*, inquit, *& tetigit loculum*. Et venit ad monumentum Lazari, vocemque cominus emiſit. Quanquam & procul, ſi voluiſſet, & verbo, & nutu ſolo & hæc, & his maiora omnia operatus eſſet, qui cœlum quoque hoc modo condidit. Verùm hoc eius potentiæ argumentum euidens fuiſſet: illud benignitatis fuit indicium, quam demonſtraturus venerat.

Marc. 1.
Ioan. 9.
Luca 7.
Ioan. 11.

Atque etiam apud inferos vinctos exſolui cum oporteret, (partes eas non Angelis, aut Archangelis commiſit; ſed ipſemet in carcerem deſcendit. Cumque captiuos non gratis, ſed pretio recipere libertatem æquitas poſtularet, ſanguine perſoluto eos eripuit. Hoc modo inde vſque ad extremum diem à peccatis liberat, pœnam dimittit, & ſordes animarum noſtrarum eluit. Etenim ipſe eſt qui purgat. Quod Paulus indicans, *per ſeipſum*, inquit, *purgationem peccatorum faciens, ſedet ad dexteram maieſtatis in excelſis*. Propter hæc & miniſtrum eum appellat, & ipſe ſemet miniſtrantem, & à Deo patre miſſum in mundum, vt mini-

Hebr. 1.
Rom. 15.
Luca 12.
Matth. 20

ſtraret. Quodque præcipuum eſt omnium,non in hac vita duntaxat,
Ioan.3. quando cum humana infirmitate viſus eſt, & venit, non vt iudicaret mundum, tum quæ ſerui ſunt præſtitit, & quæ Domini ſunt, abſcon-
Matth.16. dit omnia: ſed iam etiam in futuro, quando cum virtute adueniet, & cum paterna gloria apparebit,in oſtenſione,in regno ſuo, *Præcinget ſe,*
Lucæ 12. inquit, *& faciet illos diſcumbere, & tranſiens miniſtrabit illis.* Meritò, per
Prouerb. 8. quem reges regnant, & principes imperant. Hoc quippe modo germano, veroque regno ſibi regnauit, ipſe ſibi ad regnum ſufficiens, & ſic rexit, quorum principatum obtinuit, hilarior quidem in amicos,ſeuerior in principes,& maiore amore quam pater, & vt ſe magis cognatum quàm membrum membris, & corde ipſo magis neceſſarium declararet. Non timori cedens,non mercede capi ſe patiens: ſed ipſemet ſibi potentia regni ſui,& ſolus ipſe ſibi ſubditos obſtringens. Timore enim, aut mercede accepta regnare ,profectò non eſt ipſum regnare;ſed ſpes & minę de exacta obedientia accuſandę ſunt.Quemadmodum igitur non legitimè regnat,cui regnare eſt aliunde; ſic neque verè Deo ſeruimus, ſi aliquo dictorum modorum ſubiecti ſumus.

Quia verò neceſſe erat ipſum ſincerißimo imperio regnare, (nec enim erat fas alio) inuenit quo pacto id perficeret. Et hic modus erat admiratione dignißimus.) Contrariam quippe viam tenuit. Et vt verus Dominus eſſet,naturam ſerui ſuſcepit,& ſeruis miniſtrauit,vſque ad mortem crucis. Et ſic animas ſeruorum cepit,& voluntatem nullo adminiculo in poteſtatem redegit. Huius rei gratia & Paulus, ſciens
Philipp.2. hoc miniſterium eſſe cauſſam regni, *quia humiliauit ſemetipſum,* inquit, *factus obediens vſque ad mortem, mortem autem crucis. Propter quod & Deus ex-*
Iſaiæ 53. *altauit illum.* Et Iſaias: *Propter quod ipſe hæreditabit multos,& fortium diuidet ſpolia:pro eo quod tradidit in mortem animam ſuam,& cum iniquis reputatus eſt.* Propter primam enim fabricationem,Chriſtus naturæ noſtræ Dominus eſt. Propter nouam autem creaturam voluntatem ſubegit, quod verè eſt inter homines regnare,quando arbitrium rationis, & voluntatis libertatem, quæ hominem faciunt, hic vinxit, & ſubacta duxit.
Matth.28. Hinc, *data eſt mihi omnis poteſtas*, inquit, *in cœlo & in terra*. velut nouum quiddam ſibi accidiſſet ante ſæcula mundi Domino, quoniam cum cœleſtibus etiam humana natura communem Dominum agnouit.
Pſal.46. Quin & illud Dauidis, *regnabit Deus ſuper gentes,* hoc regnum innuit,ſe-
Epheſ.3. cundùm quod gentes concorporales ſunt, & comparticipes, vt Paulus ait. Nam quod corporibus & animabus ſimul & ſemel ita vnitus eſt, hoc non corporum modò, ſed animarum quoque,& voluntatum Dominum fecit,obtinetque verè ſufficiens,& integrum regnum,ipſe

illud per ſe, ſicut anima corpus, & caput membra gubernans. Reguntur enim, qui hoc iugum complectendum exiſtimarunt, quaſi non cum ſua ratione viuerent, nec voluntate libera vterentur. Ait enim, *vt iumentum factus ſum apud te.* Et hoc eſt aliquem odiſſe, & perdere animam ſuam, & quia perdit ſeruare, quando ita dominata fuerit noua creatura, & nouus Adam omnimodis veterem oppreſſerit, nihilque generationis, nihil vitæ, nihil mortis, nihil veteris fermenti relictum fuerit. *Pſal.72.* *Ioan.12.* *1.Cor.5.*

Etenim veteri quidem Adamo è terra corpus coagmentatum eſt: nouus autem ex Deo, inquit, natus eſt. Et vtriuſque vitæ vtraque menſa teſtimonium eſt. Illam quidem tellus ſubmittit; nouum autem hominem cœleſtis de ſua carne alit. Quare & cùm diſſoluuntur, ille in terram redit, ex qua prodiit; hic ad Chriſtum vadit, vnde aſſumptus eſt, & vterque dignitati effectoris ſui finem congruum facit. *Qualis enim*, inquit, *terrenus, tales & terreni: & qualis cœleſtis, tales & cœleſtes*: nec propter animam tantùm, ſed etiam propter corpus ipſum, nam & ipſum cœleſte, quomodo vtrumq; ibi ſimul terrenum. Et anima quippe in manibus habitat cœleſtis; & corpus eſt membrum illius. Et animam quidem non habet, at ſpiritu viuentis plenum eſt, & poſt finem prioris vitæ, fœlicius viuit quàm dici poſſit: ſiquidem nec verè mortuum eſt omnino. Ait enim Salomon, *viſi ſunt mori*; nec id ſapientibus: ſed, *inſipientium oculis.* Sicut enim *Chriſtus reſurgens ex mortuis, iam non moritur, mors illi vltra non dominabitur:* ſic Chriſti membra mortem non videbunt in æternum Quomodo enim guſtarent mortem, quæ à corde ſemper viuente pendent? *1.Cor.15.* *Ibid.* *Sap.3.* *Rom.6.* *Ioan.8. & 11.*

Quod ſi nihil eſt præter puluerem quod videtur, nihil mirum. Diuitiæ enim ſunt intus. *Vita enim veſtra abſcondita eſt*, inquit. Et theſaurus eſt in vaſe fictili. *Habemus enim*, inquit, *theſaurum hunc in vaſis fictilibus.* Vnde quibus quæ foris ſunt apparent tantùm, illi lutum tantummodo cernunt. Chriſtus autem cum apparuerit, etiam ipſe puluis ſua pulchritudine conſpicuus erit, quando vt membrum illius fulguris conſpicietur, & ſimilis erit ſoli, pariq; claritate coruſcabit. *Fulgebunt iuſti*, inquit, *ſicut ſol in regno patris eorum:* regnum Patris vocans radios illos, quibus ipſe ſplendens, viſus eſt Apoſtolis, ipſum regnum Dei quod venit in virtute, ſicut ipſe ait his, qui eum viderunt. Fulgebunt autem & iuſti in die illo vna claritate, & gloria; his quidem ſuſceptione, ipſo autem communicatione micantibus. Panis enim hic, corpus hoc, quod hinc ab hac menſa eo portantes venient, hoc eſt, quod ſuper nubes tunc omnium oculis *Coloſſ.3.* *2.Cor.4.* *Matth.13.* *Matth.24.*

conſpicietur, orientiq; & occidenti inſtar fulguris, pũncto temporis pulchritudinem ſuam demonſtrabit. Cum hoc radio viuunt ſancti, & à mortuis lux non recedit: lumen enim iuſtis ſemper adeſt, & ad vitam illam hoc illuſtrati perueniunt, quo cum ſemper fuerũt, ad illud tunc currentes. Quod enim cuique tunc reſurgentium eueniet, vt oſſa, & partes, & membra cum capite ad integritatem corpori illuſtrandam conueniant, hoc item Chriſto Saluatori, communi omnium capiti continget. Etenim ſuper nubes tantùm coruſcans, propria vndecunque membra recipiet, Deus in medio deorum, ſpecioſus ſpecioſorum agminis coryphæus. *Pſal. 81.*

Et quemadmodum onera elata, vinculis cohibentibus diruptis in terram tendunt, mediumque locum, ſeu centrum ſtatim petunt: ſic & corpora ſanctorum terræ affixa ſunt illa quidem, & corruptioni alligata, tyrannidi ſubiecta manent: & idcirco ingemiſcimus, inquit, in hoc habitaculo. *1. Cor. 5.* Cùm autem libertas affuerit, impetu incredibili ad Chriſtum ferētur, vt proprium locum recipiant. Quare Paulus oſtendens curſum illum cohiberi non poſſe, vocat raptum. *Rapiemur*, inquit, *in nubibus obuiam in Chriſto in aëra.* *1. Theſſ. 4.* Et Saluator ait ſe illos ſuſcepturum. *Matth. 24.* Tunc, inquiens, *duo erunt in agro, vnus aſſumetur, & alter relinquetur.* Illud ſignificans, nihil eſſe humanum, nec in ipſis ſitum, vt moræ locus ſit aliquis: ſed ipſe trahet, ipſe rapiet, qui non poteſt ſeruire tempori. Sicut enim ab initio non exſpectauit, vt quæreretur; ſed ipſe aberrantes quæſiuit, demonſtratoque itinere, deinde ambulare non valentes, ipſe ſublatos in humeros portauit, *Luca 15.* & labentes reparat, & inertes corrigit, & abſcedentes aduocat, & omnino de ſalute illis inſtare non deſinit: ſic etiam tunc extremum curſum ad ipſum currētes, ipſe excitabit, & volantibus ipſe alas faciet. Ideo & aquilas nos nominat ad corpus congregatas. *Matth. 24.* *Vbicunque enim erit corpus*, inquit, *illic congregabuntur & aquilæ.* Etenim à menſa ad menſam venient, ab abſcondita adhuc ad manifeſtā: à pane ad corpus. Nunc enim panis illis eſt Chriſtus, adhuc vitam humanam viuentibus, & phaſe; *Exod 12.* tranſeunt enim hinc in cœleſtem ciuitatem. *Iſaia 40.* Quando autem *mutabunt fortitudinem, & aſſument pennas, ſicut aquilæ*, iuxta Iſaiam, tunc ipſi corpori à velamentis nudo inſidebunt. Quod ſignificans & B. Ioannes ait, *videbimus eum ſicuti eſt.* *1. Ioan. 3.* Nec enim panis Chriſtus eſt illis, quando vita in carne iam finem habet: nec phaſe iam manentibus. Corporis autem paſſi ſigna multa fert. Etenim cum ſtigmatis cernuntur manus; & veſtigia clauorum pedes habent; & nota infixæ in latus lanceæ adhuc extat. Hæc cœna ad corpus illud fert: ſine qua impoſſibile eſt illud adipiſci, perinde atque erutis oculis lumen intueri. *Ioan. 6.* Si enim nōn habent vitam in ſemetipſis,

qui

qui hanc cœnam non cœnant, qui immortalis eſt, mortuorum mem- *Ioan.6.*
brorum quomodo poteſt eſſe caput? Vna eſt enim menſæ virtus; v-
nus qui conuiuium in vtroque mundo apparat. Et hoc partim qui-
dem eſt thalamus; partim ad thalamum præparatio; partim ſponſus
ipſemet. Vnde qui non cum his donis ad vitam hinc abierint, nihil
conſequentur. Quibus autem gratiam accipere, & ſeruare contigit,
& in gaudium Domini ſui intrarunt, & cum ſponſo in cubiculum nu-
ptiale conuenerunt, & aliis perfruiti ſunt in cœna deliciis, non tunc *Matth. 25.*
ea adipiſcentur; ſed quod apportantes venerunt, Christo conſpecto
liquidius ſentient. Et hæc eſt ratio, ſecundum quam regnum cœlo- *Luca 17.*
rum intra nos eſt.

DE VITA IN CHRISTO
LIBER QVINTVS.

Ad ſacrorum, diuinorumq́; myſteriorum abſolutionem altare etiam neceſſarium eſſe.

SACRORVM myſteriorum vis & ratio hęc eſt, & ad veram vitam hunc in modum nos excolunt pręparantque. Cęterùm quia altare omnis initiationis, & conſecrationis principium eſt, ſeu ſacra cœna vſurpanda, ſeu vnctio accipienda, ſeu ſacrificium faciendum, ſeu quæ in baptiſmo præcipua participanda ſint, ſi inſuper de ipſo, & ritu quo conſecratur, comparaturque, pro virili noſtra egerimus, nihil nos vel curioſum, vel ſuperuacaneum facturos equidem exiſtimamus. Perfectius autem conditionem eius explanabimus, ſi tanquam de myſteriorum baſi, aut radice, aut quo alio nomine appellari debet, diſſeramus. Quare & quæ conſecratoris manibus fiunt, & quib. altare conſtet, indicemus; omnibuſque ordine expoſitis, ſingula deinde quid occultæ ſignificationis habeant, inquiramus.

Primùm hierarcha, ſeu Epiſcopus brachia, & corpus reliquum linteatus. & cinctus, Deo ſuper humo (quanquam non nuda) ſe proſternit, precatuſque vti ſtudio ſuo propoſitum ac deſideratum finem conſequatur, ad operam reſurgit, poſitamque menſam prehendens,

eam aptè locat, ac ſtabilit; non id tantùm aliis iubens; ſed ipſe quoque manus admouens. Ita fixè locatam vbi calida abluit, cum precibus, vt ea non ſolùm ſordes apparentes, ſed etiam contagionem à dæmonibus illi aſperſam purgandi vim habeat, mox eandem vino notæ optimæ, & oleo roſaceo, vt arbitror, perfundit. Secundùm hæc ſacrum vnguentum adhibet, vngendoque crucis figuram tertium exprimit, ac Deo canticum illud propheticum, & celeberrimum accinit. Poſtmodum candido illam linteo obuelat, & ſtragula veſte pretioſa exornat, aliaque lintea ſuper iis expandit, quæ quidem ſacro vnguento, quemadmodum menſa, delibuta, & ad extremum menſæ ſuperiniecta, ſacris tabulis proximè ſubeſſe oportet. Hac cærimonia functus linteo ſe exuit, indutuſque ſtolam hierarchicam in vicinam aliquā ſacrarum ædium egreditur: vbi acceptis ſanctorum martyrum oſsibus, ad hoc ipſum paratis, & ſuper altera altaris tabellarum repoſitis, in quo venerabile donum collocat, & operiens, quibus illud operit, admodum reuerenter tollit, ſupraque caput portans, ad domum quæ ſanctificatur, ſiue dedicatur inter lampades, cantus, ſuffimenta, quibus eum incedentem multi cohoneſtant, progreditur. Ita procedens, vbi templum attigit, ante ianuas
Pſalm.23. clauſas conſiſtit, iubetque ipſis Dauidis vocibus eos qui intus ſunt, portas regi gloriæ aperire, & viciſsim audit, quæ ille, Saluatore cælum conſcendente angelos angelis contrà reſpondentes introducit. Portis iam patentibus, ingreditur, ſacrum vas illud coopertum ſupra caput habens. Simul ad altare, & ad ipſam menſam acceſsit, ſuper ea deponit, tegumentumque remouet, iacenteſque in vaſe diuitias tollit, & thecæ, quæ capacitate reſpondeat, imponit. Poſt hæc vnguento ſacratiſsimo illis ſuperfuſo, ſub ſacra menſa condit. His ita
Lucæ 19. confectis, domus iam domus orationis, menſa verò ad ſacrificium, idonea, & parata eſt, & ſacrificatorium prorſus eſt. Rationem autem propter quam his cæremoniis illa fiant, hiſque à ſacerdote peractis, quorum domus & menſa nos moneant, nunc ſingula conſiderantes doceamus.

Amictus igitur, & quod ſic ad cærimoniam, conſecrationemúe al-
Pſalm.50. taris obeundam accedit, altaris humani typum refert. Iniquitatem quippe omnem abluiſſe, & ſuper niuem dealbatum eſſe, vt Dauid loquitur, ſeſe contraxiſſe, in ſemet conuoluiſſe, in ſe deſcendiſſe, Deum perfectè habitare in anima, & cor altare facit. Horum indicia, huius, albus & nitidus amictus: illius, quod totus ad Deum eſt conuerſus, & ei corpore prono ſupplicat. Et ita cum, per quæ poteſt, in ſeipſo altare prius effecerit, deinde templo manum vltimam impo-

nit:

nit: maximè cum & in artificibus, & omnino in quibuſuis opificibus, ante operam manuum cogitatio in ſeipſa opus componat, & quod compoſuit, illud pro regula manibus præſcribat, quam illæ in materia ſubiecta exprimunt. Quin etiam pictores archetypum pingunt, artemque à tabulis, quas imitantur, ducunt. Poſſunt etiam memoria, & ſimulacris quæ animo retinent pro exemplis vti. Hoc porrò non pictoribus duntaxat, ſed ſtatuariis quoque, & architectis & opificibus demum vniuerſis vſu venire certum eſt. Et ſi quo artificio poſſet anima artificis iſtis oculis videri, in ea aut domum, aut quoduis operum ſine materia videremus.

Deinde hierarcham exemplar altaris non hoc ſolum facit, quod harum rerum ipſe actor eſt, ſed quòd verè templum Dei & altare eſſe, ſola ex rebus quæ ſub aſpectum cadunt, humana natura poteſt. Itaque manibus hominum fixum & locatum, imaginem & typum huius ſeruat. Ex quo oportebat rem ante imaginem in ſchemate hoc apparere, & veritatem formis antecedere. Qui enim dixit, *nunquid domum tu ædificabis mihi ad habitandum? habitabo*, inquit, *inter vos, & inambulabo*. 2. Reg. 7. Leuit. 26. & 2. Cor. 6.

Illud item ſignificat, opinor, volentem aliis commodare, ante ſibimet debere prodeſſe: & rebus inanimis tantam virtutem immittere poſtulantem, ſibi prius hæc vtilia reddere (ſicut & Epiſcopum Paulus æquum cenſuit vrbi & populis profuturum, à domo ſua incipere) & bene adminiſtraturum domum, ſeipſum ſecundùm rectam rationem prius regere. Opus eſt autem Deo ad hoc opus: ſine cuius ope, nec aliud quidquam, nedum myſteria, in quibus totum opus illius ſolius eſt, peragere queat. Quia verò communis eſt dominus, non per ſubſidiarios conſuluit ſeruis ſuis, nec curatores miſit: ſed ipſemet venit, & omnia quæ ſalus noſtra requirebat, per ſe ipſemet præſtitit. Quam ob cauſſam hierarcham illius ſe diſcipulum oſtendentem, ſua manu altare ſtatuere, & firmare conueniens eſt, vnde omnes nobis ſalutis occaſiones profluunt. Et hæc agit Pſalmum in ore habens, *exaltabo te Deus meus, rex meus*, qui gratiarum actionem erga Deum, & memoriam eius mirabilium complectitur. Si enim Pauli lex gratias agere præcipit in omnibus, quãto iuſtius, in eo quod eſt bonorum ſumma, & caput? Poſt hunc alium pſalmum adiungit. *Dominus regit me, & nihil mihi deerit*, in quo non ſimpliciter Dei benignitas laudatur; ſed eius ipſa hæc præſentia beneficia attinguntur. Nam & baptiſmatis illic mentio, & diuinæ vnctionis, & poculi, & menſæ ſacrũ panem afferentis. Baptiſma autem, & aquam requiei, & locum herbæ quietis vocat, atque à Deo bene paſtus, in hoc ſe habitaturum

[Margin notes: 1. Tim. 3. (beside "Paulus æquum"); Pſalm. 144. (beside "ore habens"); Epheſ. 5. (beside "li lex gratias"); Pſalm. 22. (beside "bonorum ſumma")]

adex-

ad extremum affirmat. Et quoniam peccatum & labores audacibus peperit, & nobis terram ſpinis repleuit, aqua peccatum eiiciens, aduerſus labores aqua requiei, aduerſus ſpinas & tribulos locus herbæ virentis haud abſurdè, vt puto, nominatur. Diuerſorium poſtremò, quia bonum vltimum quod quærimus, & in quo quieſcimus, Deum hîc eſt accipere. Dici autem & illa de cauſſa aqua requiei poteſt, quia concupiſcentiam naturæ ſedat, & quieſcere facit. Quod *multi Prophetæ & reges voluerunt videre*, inquit.

Luc. 10. Cur porrò Deo procidens, & preces concipiens templi ſolum non contingit? An quia conſecrationem nondum adeptum nec ad myſterium eſt idoneum? Et nondum facta domus orationis, quomodo orantem immediatè ſuſtineat? Siquidem & contrà, Moſen terram *Exod. 3.* ſanctam calcaturum, calceamenta ſoluere neceſſe erat, nihil medium ad colloquium afferentem: ſicut & tunc Deo addictum populum *Exod. 12.* Hebræorum terram Aegypti in calceamentis calcare oportebat.

Hoc facto, aqua luſtrali menſam abſtergit. Quoniam enim hominem dominum omnium, quæ viſu percipiuntur, communis tyrannus in ſeruitutem redegit, poſtea in omnia ſenſibilia, ceu in palatium rege proſtrato irruit, & inuaſit. Quamobrem aſſumpta inde materia in vnoquoque myſterio, quodam purgatiuo, aduerſus maligni vires opus eſt: ſicut & aquam, qua initiatorem neceſſe eſt baptizare, ſacerdos vbi precibus ab omni diabolica malignitate purgauit, ſic demum carmen rituale, & initiatorium pronuntiat. Eadem ratione menſam prius aquis malorum depultricib. abluit, & ſimul modum demonſtrat, quo ad bonum ſit currendum, qui eſt declinare *Pſalm. 30.* prius à malo. Itaque & ſuper malis hominibus cantatum pſalmum in hac expiatione recitat. *Aſperges me hyſſopo & mundabor: lauabis me,* *Pſalm. 50.* *& ſuper niuem dealbabor.* Et poſt hoc Deo gratias agit, eum veneratur, quod in omnibus conſecrationibus facit: omnia quippe ad Dei gloriam adminiſtranda ſunt, præcipueque myſteria, quanto omnibus conducibiliora, & Dei ſolius ſunt.

Cæterùm quia ante diuinam gratiam non ſolùm deprimere ſe, ſed etiam virtutes ipſi conſociabiles, quantum poſſumus, præſtare oportet, quod aliter ſuppeditatorem gratiæ non acquirimus (Deus enim optata largitur non dormientibus, ſed precantibus; & certantem vngit; & caſtitatis donum dat, caſtitatem exercenti, per quæ exercenda eſt. Et vniuersè vbique, deſiderium eius quod quæritur, non votis ſolùm, ſed etiam ipſis operibus demonſtrandum eſt) ideo ante diuiniſsimum vnguentum, quod altari gratiam à Deo appotare cõſueuit, his quæ apud nos bene olent, menſam humectat, vino & oleo roſarum:

roſarum : ex quibus hoc voluptatem tantùm nobis generat : illud etiam vitæ prodeſt; vt humanis omnibus illatis doceat, quòd cum vitam noſtram repleant quorum alia neceſſaria, alia iucunda ſunt, ſe amborum offerre primitias. Nam & ipſe cum veniſſet, & vitam dedit, & amplius addidit, non modò in vitam nos reuocans, & vincula mortis abrumpens; ſed & reges conſtituens, & immortales delicias nobis impertiens, & adhuc myſterium adiiciens, quod cum omnem myſterij vim contineat, ad ipſum quoque ſacrificium planè pertinet.

Et quia his duobus ipſum ab initio Saluator confecit, *cum accepiſſet panem*, inquit, *& benedixiſſet*, manum illam, & vocem quærimus. Vocem igitur ſacerdotes mittunt; ea eſt efficax, vtpotè illius iuſſu. Inquit enim, *hoc facite in meam commemorationem*. Pro manu eſt vnguentum. Etenim ipſum Ieſum inducit vnguentum, ait diuinus Dionyſius. Sed Apoſtoli quidem etiam manus ſuas addebant; etenim & hanc gratiam habebant. Eorum ſucceſſores hac initiatione egebant, voce potentes tantum. Primis quippe ſacerdotibus altare erant manus. Eorum ſucceſſoribus per ipſos Chriſtus domus, myſtas recipientes ædificauit. *Matth. 26.*

Dum autem vnguentum menſæ affundit, nihil quale ante verborum adiicit; ſed hoc ipſum tantummodo carmen Deo canit, vocis hebrææ ſyllabis paucis definitum, ſenſu autem ſanctiſsimum, chori ſanctorum Prophetarum. Etenim licet laudare, longo ſermone, facta cum virtute enumerantes: & licet verbis paucis incluſa laudatione, eum qui laudatur quaſi coronare. Conuenit autem, vt arbitror, primùm laudandis operibus vel præteritis, vel adhuc futuris, vt contemplantibus eorum loco ſint voces. Alterum puto eſſe inſtantium, & eorum quæ fiunt, quando rebus per ſemet apparentibus, verborum prædicantium vlla eſt neceſsitas, niſi quantum ad voluptatem, & admirabilitatem demonſtrandam facit. Sicut & Prophetæ vſque ad Ioannem prophetarunt. Nam tempus ſecutum, quid nuntiis indigebat, cum adeſſet, qui nuntiatus fuerat? Nihil enim niſi illum proclamare, & honorare reliquum erat. Quod & angelis videbatur, quibus primùm viſus eſt, cum in terras veniſſet, quorum, *gloria in altiſſimis Deo* circum ipſum choros ducentium vox erat. Sic ergo hierarcha, poſtquam vocatum benefactorem in ipſis operibus agnouit, nec recitat quidquam priorum precum, nec opera benignitatis recenſet, cum ante oculos verſentur; ſed hoc ſolùm facit, carmine myſtico exultat. *Matth. 11.* *Luca. 2.*

Quia verò altaris virtus vnguentum eſt, huic virtuti & ſubiectam

materiam congruere oportet. Sic enim aget melius; ſicut & ignis, & lux, vt exiſtimo, per idonea corpora. Quoniam & nomen ipſum Saluatoris, quod inuocatum poteſt omnia, non in omnium ore, æquè vim & potentiam ſuam oſtendit. Proinde quærens conſecrator, quid corporis vnguento congruum ſubiiciat, martyricis oſsibus aptius nihil inuenit. Hæc vbi vnxit, & inunƈta menſæ impoſuit, myſterium perficit. Nihil enim Chriſti myſteriis propinquius & cognatius eſt, quàm martyres, quibus cum illo & corpus, & ſpiritus, & ſchema mortis, & omnia cõmmunia. Qui & viuis aſsiſtebat, &
Pſal. 33. morientium corpora non relinquit: ſed animabus coniunƈtus, aliquo modo etiam ſurdo huic pulueri adeſt, & commiſcetur. Et ſi alicubi in hiſce rebus, quæ oculorum ſenſum mouent, Saluatorem inuenire & habere licet, in his oſsibus licet. Ideo ad templum veniens, quò illa inferenda ſunt, iiſdem vocibus portas illis aperit, quibus ſi Chriſtum ipſum inferret. Et ad cætera quod attinet, æquè vt ſacra dona honorat. Præterea Dei templum verum, & altare ſunt oſſa hæc: hoc autem manu conſtruƈtum, veri templi imitatio. Igitur decebat illud huic apponi, & ad perfeƈtionem huius illud aſſumi; ſicut in legibus nouam, ad perficiendam veterem.

Poſtquam ritus omnes iam abſoluit, & ad ſacrificium atque ad preces domum parauit, lucerna ſuper altare accenſa, exit. Primùm quidem, vt reor, tempus oſtendens, quo à principio eſt editum. Circa veſperam ſcilicet, ad prima lumina. Deinde vt hæc lucerna illam
Lucæ 15. lucernam in memoriam nobis reducat, quam accendit, qui drachmam perdidit; quam terra multa & tenebris obrutam inuenit, vtpotè ſub terra apud inferos iacentem. Hoc enim ſibi vult, credo, verriſſe domum, omnia retexiſſe videlicet, & in lucem eduxiſſe, qui & infernum ingreſſus lumine ſuo impleuit.

DE VITA IN CHRISTO, LIBER SEXTVS.

Quo pacto eam à myſteriis, ſacramentiſue acceptam conſeruare oporteat.

QVAE igitur vitæ in Chriſto ad Chriſtum ipſum referuntur, quæque ad illum duntaxat pertinent, hæc ſunt. Quoniam verò prima vitæ iſtiuſmodi conſtitutio ab vnica Saluatoris manu pendet, ſemel autem conſtitutam depactamque conſeruare, in eaque perſiſtere, etiam ſtudij ac diligentiæ noſtræ opus eſt, & omnino hic quoque humanæ partes officiique noſtri labor requiritur, ne acceptam gratiam corrumpamus: ſed ad exitum vſque noſtrum ſartam tectam retineamus, & theſaurum inde comparatum in manibus habentes hinc abeamus, quibus rebus id effici poſsit, reſtat vt in hoc negotio deinceps inueſtigemus. Et meritò ſanè diſputationis noſtræ de vita in Chriſto hanc quoque partem facimus. Sicut namque in rebus humanis rationi conſentiens eſt, & fieri conſueuit, vt vitam accepiſſe non ſatis habeamus, neque ideo inertiæ ac ſomno nos dedamus, quaſi iam omnia ſuppeditent; ſed inſuper quibus eam modis ac viis tueamur circumſpiciamus, ita ſe in hac tractatione res habet, & quæ prius à nobis diſſerendo tradita ſunt, iis ſequentia coniungenda. Cumque docuerimus vnde, & quomodo, & quid nobis fieri ſuſtinentes, vitam adipiſcamur, ſequitur iam, vt quid agendum ſit, ne adeptam fælicitatem prodamus, demonſtrandum videatur. Hoc verò aliud nihil eſt, niſi virtutem colere, rectæque rationi conuenienter viuere. Quæ argumenta veteres multi, non pauci item recentiores totis libris perſecuti ſunt: nec quidquam quo dicto opus fuiſſet, prætermiſerunt: & periculum eſt, ne inutiliter operam conſumamus. Quia tamen quæ ab initio nos ad ſcribendum excitarunt, eadem de his verba fieri poſtulant, & niſi ea addamus, non eſt integra futura diſputatio, omiſsis quæ ſeparatim cuique generi vitæ humanæ congruunt (multa autem ſunt genera) iiſque tantum conſideratis, quæ communiter omnes Deo debemus, pro facultate dicendum eſt. Neque enim eandem virtutem quiſpiam dixerit

eſſe oportere rempub. adminiſtrantiũ,& priuatorum: neque eorum qui aquis tincti ſalutaribus nihil nouum Deo promiſerunt; & qui vitam in ſolitudine agitantes, caſtitatem,& paupertatem ſibi profitendas delegerunt: & in aliena vſquè adeò dominari nolunt, vt ſua ipſorum abiiciant.

Quod autem omnium à Chriſto nomen trahentium commune debitum eſt,ſicut ipſa appellatio, quodque omnes æquè præſtare oportet, cuius negligentes, quidquid prætendant, non poſſunt ſupplicium deprecari, ſiue ætatem opponant, ſiue artem, ſiue fortunam & conditionem quamcunque, ſiue morbum, ſiue corporis habitudinem, ſiue vltimos locorum receſſus, ſiue ſolitudinem, ſiue vrbes, ſiue tumultus, ſiue aliud quoduis rerum omnium, ad quæ accuſati perfugere ſolent, vtpotè cui obſiſtere nihil queat, quod demum vniuerſis licet, eſt Chriſti voluntati non repugnare; ſed latas inde leges quàm diligentiſsimè ſeruantes, ad arbitrium illius vitam moreſque inſtituere. Neque iſtuc maius viribus humanis dicendum; non enim legirupis pœna eſſet propoſita;& Chriſtianorum nemo eſt prorſus, qui ad omnia ipſo opere exequenda obligatum ſeſe ex ipſa conſcientia ſua non intelligat. Qui à principio cum ad eum ſe adiungerent, pollicitì ſunt omnes æquè, ſe planè per omnia ipſum imitaturos: & poſtquam ſemet hoc fœdere obſtrinxerunt, ita demum myſteriis ſunt donati. Sic autem mandata Chriſti communia debita fidelibus omnibus cum ſint, & iam volentibus ſeruatu poſsibilia, & ſummopere neceſſaria ſunt, & ſine iis ad Chriſtum non perueniunt, quia ab eo maxima, & pulcherrima parte, voluntate nimirum conſilioque diſcrepant. Neceſſe eſt enim voluntate cum eo conſpirare, cum quo communem habemus ſanguinem; non partim concordes, partim diſcordes illic amare, hîc bellum contra gerere: & filios quidem eſſe, ſed reprehenſione dignos: & membra quidem,ſed mortua, in quibus nihil conducit tanquam palmitem genitum eſſe, & coa-
Ioan. 15. luiſſe, cum in vera vite non manſeris. Qualis palmes tandem in ignem exteriorem mittitur.

Quapropter qui vitam in Chriſto traducere apud animum ſtatuit, ſequitur vt à corde, & capite illo aptus ſit atque dependeat; non enim aliunde viuimus. Quod quia non poſſunt, qui non eadem volunt, eademque nolunt, ad CHRISTI voluntatem noſtra voluntas, quantus hominis captus eſt, aſuefacienda & exercenda eſt, & ita inſtituenda, vt eadem appetat, iiſdemque gaudeat. Pugnantia ſiquidem inter ſe deſideria ex vno corde exoriri nequeunt. Malus enim homo, inquit, de prauo corde ſuo non

aliud

aliud quàm prauum proferre nouit,&bonus bonum. Et quemadmodum fidelibus in Palæſtina, propter conſenſionem voluntatum erat cor vnum,& anima vna;eodem modo,ſi quis vna mente &ſententia ſe cum Chriſto non coniunxerit: ſed via præceptis eius contraria inceſſerit, cor ſuum cum eo non eodem dirigit: ſed ab alio corde ſuſpenſum eſſe liquet. Etenim è diuerſo ſecundum cor ſuum inuenit Dauid, quia, *legem tuam*, inquit, *non ſum oblitus*. Quod ſi vita deſtituuntur, qui à corde illo non pendent,& pendere non poſſunt,qui non eadem volunt, vt viuere queamus, quo pacto eadem quæ Chriſtus amare, iiſdemque cum ipſo gaudere poſsimus, age videamus. *Matth.12.* *Actor.4.* *1.Reg.15.* *Pſal.118.*

Eſt igitur omnis actionis initium deſiderium ſiue appetitio, appetitionis autem cogitatio. Quare enitendum inprimis,vt oculum animæ à vanis rebus abducamus, & bonis cogitationibus cor ſemper plenum habeamus:vt ne aliquando vacuum,improbarum cogitationum ſedes ac domicilium fiat. Cùm ſint porrò multa, quibus meditandis animam occupari, & mentem cum voluptate ſtudium impendere conſentaneum eſt,omnium & ad loquendum,& ad cogitandum ratio myſteriorum iucundiſsima, & fructuoſiſsima videtur, indeque diuitiæ noſtræ manarunt. Cogitemus ergo licet,quales eramus antequam initiaremur;quales poſt initiationem facti ſimus;& qualis fuerit prius ſeruitus;qualis qua nunc potimur libertas,& regnum;quantaque nobis bona iam præſtita, quanta ſint repoſita. Et ante hæc omnia,quis nobis cuncta iſthæc largiatur,quãta eius pulchritudo,quam bonus, quomodo genus humanum dilexerit, quam ingens etiamnum illius erga nos amor. Nam ſi hæc mentem præoccupauerint,animamque obtinuerint,non facilè cogitatio aliorſum reſpiciet,nec deſiderium à tam bonis tamq; delectabilibus rebus aliò transferet. Beneficia enim Dei multitudine & magnitudine excellunt:& amor quo ad hęc tribuenda eſt impulſus,humanum captum pręſtantia ſua longè vincit.

Sicut enim amor humanus,ſi modum excedat,& maior ſit, quàm vt capiatur, amantes de ſtatu mentis deiicit; ita amor erga homines Deum exinaniuit. Haud enim in loco ſuo manens, ſeruum quem diligebat ad ſe vocauit; ſed ipſemet deſcendens quæſiuit, & opulentus ad pauperis diuerſorium deuenit, acceſsit, amorem ſuum per ſemet indicauit,& redamari concupiuit,contemptusque non receſsit, & ad contumeliam non eſt indignatus, & repulſam paſſus, foribus aſſedit, & quo amorem ſuum demonſtraret, nihil non egit, cruciamentaque pertulit, & mortem denique obiuit. Cùm enim duo ſint, quæ amantem produnt, & de eo quodammodo triumphant, omnibus rebus, *Philip.2.*

quibus licet, benefacere amato: & atrocia eius cauſſa perpeti, doloreſque excipere, ſi res poſtulet, poſterius longè maius amicitiæ indicium eſt, quàm prius. Deo autem ab omnium malorum ſenſu remoto cum pati non liceret, poſſet verò vt humanus homini benefacere, ſuſtinere pro eo verbera, tolerare cruciatus nequaquam, & charitas eſſet infinita, nec ſignum ad eam declarandam ſuppeteret, nec tamen ignorari oporteret, quam vehementer amaret; ſed ſummæ charitatis documentum nobis dandum eſſet, & ſupremus amor oſtendendus, huiuſcemodi exinanitionem machinatur, & molitur, & efficit, per quæ dira pati, & dolores ſentire poſſet: & ita ex iis quæ ſuſtinuiſſet eximium amorem ſuum teſtatum reddens, ad ſe conuerteret, qui, quod ſe odio haberi crediderat, bonum illum Dominum fugiebat.

Quod autem omnium maximè nouum eſt, non ſolùm crudeliſſima paſſus, & ex plagis ac vulneribus mortuus eſt: ſed etiam rediuiuus, & corpore incorrupto excitato vulnerum horum veſtigia adhuc ſeruat, & ea in corpore ſuo portans, cum iiſdem ab angelis conſpicitur, eaq; ſibi ornamento ducit, & lætatur cum ſe immania pro nobis paſſum hac ratione oſtendit. Et alia quidem quæcunque ſunt corporis huius abiecit, habens corpus ſpirituale, in quo nec grauitatis, nec ponderis, nec craſsitiei, nec vllius alterius huiuſmodi affectus corporei quidquam relictum eſt. Notas vulnerum nequaquam abiecit, nec ipſa prorſus extriuit: ſed propter amorem erga hominē ea ſibi amanda, & retinenda exiſtimauit; quià per hæc perditum inuenit, & vulneratus cepit quem amabat. Alia enim de cauſſa adhuc cōſtare vulnerum monimenta in corpore immortali quomodo cōſentaneum fuiſſet, cùm ea aliquando in mortalibus & interitui ſubiectis ars & natura obducant atque deleant? Verùm, vt apparet, pro nobis ſæpius excruciari cupiebat: quod quia non poterat, quod corpus eius corruptionem ſemel effugiſſet, & ſimul percuſſuris ſe hominibus parcere volens, ſaltem notas ſuæ necis in corpore ſeruandas, & veſtigia vulnerum, quæ ſemel cruci affixus accepiſſet, perpetuis ſiculis geſtanda cenſuit: vt pateret omnibus, pro ſeruis crucifixum, & lancea latus ſibi eminus apertum eſſe, & cum ſplendore illo ineffabili etiam hæc regem condecorarent. Quid cum hoc amore comparabimus? quid ſimiliter aliquando dilexit homo? Quæ mater tam tenere, & ardenter ex ſe genitos, quis pater adeò complexus eſt filios? aut quis tandem quodcunque bonum tam inſano amore eſt proſecutus, vt propterea quod diligebat, ab eo ipſo percuſſus quod diligebat, id æquo animo non ſuſtineret ſolum, & amorem ſuum erga ingratum non mutaret: ſed ipſa quoque vulnera maximi faceret?

Pſal. 15.
Actor. 2.

Quan-

Quanquam hæc non tantum impenſè amantis, ſed mirabiliter etiam honorantis ſunt: ſiquidem iſtuc ſummi honoris eſt, naturæ noſtrę infirmitates non erubeſcere; ſed cum ipſis vulnerum veſtigiis, quę vt homini, & infirmo contigerunt, in regali throno conſidere. Neque verò naturam vniuersè tam eximiè cohoneſtauit, aſt ſingulos neglectum iuit: ſed ad hoc diadema omnes inuitauit, ſeruitute exemit, filios reddidit, cœlum omnibus aperuit, viaque commonſtrata, & quomodo eò ſubuolare liceret, inſuper alas dedit Nec his contentus, ipſe nihilominus præit, & ſuſtentat, & deſides adhortatur.

Nondum attuli quod maius eſt. Non tantùm horum tenus cum ſeruis eſt Dominus, quæque eorum ſunt participat, neque manum duntaxat, ſed ſeipſum nobis quantus quantus dedit. Quocirca templum ſumus Dei viuẽtis, & membra hæc, Chriſti membra ſunt. Membrorum iſtorum caput Cherubim adorant. Hi pedes, hæ manus ab illo corde reguntur ac pendent. *1 Cor. 3. & 6.*

Hæc animo ſecum volutare tam vtile, tamque iucundum eſt, vt nihil ſupra. Hæc enim nobis perpendentibus, & hiſce commentationibus in anima inualeſcentibus, primùm quidem nulli prauæ cogitationi aditus patebit. Deinde perſpectis beneficiis amorem erga bene meritum cumulare licebit. Cùm ſic mirificè dilexerimus, etiam mandatis eius obtemperabimus, & velle noſtrum ad illius arbitrium aggregabimus. Ait enim, *ſi quis diligit me, ſermonem meum ſeruabit.* Ad hæc dignitatis noſtræ excellentiam agnoſcentes, eam difficulter prodigemus; nec ſeruire ſeruo fugitiuo ſuſtinebimus, vtpote regni adepti nobis conſcij. Os ad ſermones cum ſcelere coniunctos non aperiemus, ſi menſæ recordabimur, & qualis ſanguis linguam hanc purpurauerit. Oculos illicitis quînam adiiciemus, per quos myſteria tremenda hauſimus? Ad malum pedes non mouebimus, non manus extendemus, ſi in his mentem animi ſeſe exercentem habebimus. Sicut igitur Chriſti membra, hæc & ſancta ſunt, & tanquam phiala illius ſanguinẽ continent; vel potius totum ipſum Saluatorem induta ſunt, non vt veſtimẽtum, nec tanquam pellem agnatam; ſed tanto penitius, quanto hoc indumentum indutis plus quam ipſæ compages, ipſa oſſa coagmentatur & coaleſcit. Nam hæc vel nolentibus quis amputauerit: Chriſtum autem ſemel indutos, nemo neque hominum, neque dæmonum inuitos ac nolentes exuerit. *Non inſtantia,* inquit Paulus, *non futura, non altitudo, neque profundum, neque aliqua alia creatura,* quantacunque virtute excelluerit. *Ioan. 14. Rom. 8.*

Martyrum Chriſti pellem detrahere, & mutilare malignus tyrannorum manibus, membra concidere, oſſa comminuere, inteſtina effundere,

fundere, viſcera diſtrahere potuit ille quidem: hoc autem veſtimentum eripere, & Chriſti ſanctos nudare, tantoperè eius inuenta fefellit, vt per quæ illos ſe arbitrabatur poſſe exuere, per ea ipſa imprudens magis indueret. Quid igitur hoc corpore ſanctius, cui Chriſtus magis quàm vlla concretio naturalis inhæreſcit? Hanc eius maieſtatem & ſanctimoniam venerabimur, & cuſtodiemus, ſi claritatis eius tam admirandæ conſcij, animo eam omni tempore intuebimur. Si enim templa, & vaſa, & quodcunque dedicatum, quando hoc ipſum, eſſe dedicatum videlicet, cognoſcimus, omnimodis tutum à prædonibus ſeruamus, multo minus nobiliora prædæ exponemus. Nihil enim ſanctius homine, cuius naturæ diuinitas ſeſe copulauit.

Philip. 2. *Matth. 24.* Cogitemus enim, cui *flectatur omne genu, cæleſtium, terreſtrium, & infernorum.* Et quis venturus ſit in nubibus *cum virtute & maieſtate multa,* incomparabili ſplendore præditus. Homo hic erit, perinde vt Deus. Et vnuſquiſque noſtrûm ſole clarius fulgere reuera poterit, ſupra nubes tolli, ſpectare corpus illud Dei ad ſe panſis brachiis accedere, placideque intueri. Apparentem enim Dominum bonorum ſeruorum corona circumfundet, illoque fulgente, ipſi pariter fulgebunt. Quale ſpectaculum, innumerabilis multitudo luminum ſupra nubes, homines ſublimè elati & volantes? celebritas, cuius nullum extat exemplum: Populus deorum circundans Deum: Pulchri circum ſpecioſum; famuli circum Dominum, non inuidentem illis ſplendoris communionem, nec arbitrantem gloriam ſuam imminutum iri, ſi multos regni ſui ſocios accipiat, quod faciunt, qui hominibus imperitant, qui ſubiectis, quanquam omnia dederint, ne per ſomnium quidem ſceptri ſocietatem concedunt. Non enim vt ſeruos tractat, nec ſeruorum eos loco habet: ſed amicos numerans, & ipſius amicitiæ legem illis ſeruans, quam ab initio ipſe conſtituit, communia facit omnia: neq; hoc aut illud tantum; ſed ipſum regnum & diadema eis præmium dat. Quid enim aliud ſibi volens B. Paulus, hæredes quidem Dei eſſe dicit, cohæredes autem Chriſti, & regnare cum Chriſto, qui cum eo grauia pertulerunt? Quid tam iucundum, vt poſſit cum huius ſpectaculi iucunditate contendere? Cœtus eſt beatorum, populus lætantium. Et ille quidem coruſcans in terram è cœlo deſcendit: terra verò ſoles alios ſoli iuſtitiæ viciſsim producit, & omnia lumine complentur. Hinc, qui exercitatione, afflictione, & laboribus, & contribulium ſollicitudine ſtudium & alacritatem ſuam Chriſto probauerūt: inde qui morientem imitati, gladio, igni, morti ſeſe tradiderunt, cicatricibus in corporibus fulgidis conſpicui, & veſtigiis vulnerum, vt trophæorum quadam inſcriptione triumphantes, corona fortiſsimorum,

Pſalm 81. & 41.

Rom. 8.

Malach. 4.

rum, vulneribus illuſtrium, iuxta regem, qui, quòd occiſus eſt, vicit, & quod Paulus ait, *propter paſſionem mortis*, gloria & honore coronatum. *Hebr.2.*

Hæc commentandi argumenta nobis ſumentibus, & omni tempore cogitantibus, tum naturæ noſtræ dignitas, tum Dei benignitas nota fiet. Hoc maximè à prauitate nos arcebit. & ſi fortè labemur, facilè reparabit. Cùm enim multa ſint, quæ ſalutem noſtram impedire queant, præcipuum eſt, quod peccato quocunque admiſſo, non illico ad Deum conuerſi, veniam rogitamus; ſed erubeſcentes, & metuentes, viam ad illum moleſtam ac difficilem, illumque iratum nobis & inimicum, & ad eum accedere volentibus ſingulari præparatione opus eſſe opinamur. Humanitas porrò Dei huiuſmodi cogitata ex anima funditus expellit. Nam qui probè cognouit, quàm manſuetus ſit, & illud non ignorat, *adhuc te loquente dicet, ecce adſum*, quid eum remoretur, quin ſtatim vt peccauit, eum adeat? Hæc enim communis hoſtis aduerſum nos machinatio, & dolus eſt, dum ad peccatum ſollicitat, confidentiam & audaciam excitare; teterrima iam auſis, prolapſiſque, pudorem ac timorem abſurdum iniicere: vt cum illo modo cadere fecerit, hoc reſurgere non ſinat: ſeu potius, illo à Deo abducat; hoc ad eum reuerti non permittat: atque ita viis contrariis in vnum barathrum pertrahat. *Iſaia 58.*

Sed hæc omni diligentia cauenda ſunt, nempe ante peccatum audacia, & poſt peccatum pudor ac timor, nihil enim commoditatis habent. Non enim timor iſte calcar; ſed ſtupor quidam ac torpor animabus eſt: nec erubeſcimus vulneribus, vt auxilia curationemque inueniamus: ſed vt oculos Saluatoris effugiamus; ſicut Adam ſe abſcondit, propter vulnus manum medici fugiens (propter quod eum quærere debebat, ne peccatum de ipſo triumpharet) vxorem autem obiiciens, vt quantũ in ipſo erat, mollitiem animi ſui tegeret ac velaret. Et ſicut poſt illum Cain, quærens latere, quomodo ſe poſſe latere putabat, eum cuius oculis patent omnia. Conducit enim & timere, & erubeſcere, & macerari animo, & corpus ſubmittere, cùm hæc ad Deum nos expedire potuerint. *A fructibus enim eorum*, inquit, *cognoſcetis eos.* *Geneſ.3.* *Geneſ.4.* *Hebr.4.* *Matth.7.*

Et quoniam non modo pudor ac timor, ſed grauis item triſtitia peccatum excipit, etiam hæc Dei humanitatem optimè cognoſcentibus nihil nocuerit. Nam etſi ſceleſtiſsimorum facinorum ſibi ſint conſcij, non idcirco ſpem veniæ proiicient: ſcientes, nihil adeò indignum eſſe venia, vt Dei clementiam vincat. Triſtitia autem afficientur ſalutari, & curabunt, vt eam amplificent: illam alteram, bonas ſpes labefactantem, fugabunt. Geminam itaque ſuper peccato perpetrato

triſtitiam & dolorem eſſe, & alterā ad emendationem pertinere, alteram ea affectis exitium parere teſtes luculenti ſunt; prioris nimirum B.Petrus: poſterioris nefandus Iudas: quorum illi bonam voluntatem mæſtitudo ſeruauit, Chriſtoque amaræ lachrymæ æquè commendatum & charum reddiderunt, atque ante negationem fuerat: hunc
Actor.1. ad laqueum adegit, & abiit vincula portans, quando omnibus libertas conciliabatur, ſua vnius hominis expiatione deſperata, quando quod mundum vniuerſum expiaret, effundebatur. Cæterùm vt multo ante gnari illam admittamus, hanc fugiamus, vtriuſque perturbationis diſcrimen conſideremus; altera enim hoc habet, vt nobis bene, altera vt malè faciat. Quoniam enim quoties peccamus & Deo, & nobis ipſis nequam ſumus, de offenſa in Dominum dolorem capere, nec vllum detrimentum afferet, & per quam opportunum fuerit. De nobis verò ipſis cum nimis glorioſa ſuffragia tulerimus, deinde ea refutata viderimus, quia quæ fas non erat conſequi, iis exciderimus, ideo contriſtari, & plangere, & acerba pœnitudine in medullis cruciari, quaſi iam vita vitalis nō ſit, quoniam in talia mala inciderimus, hanc triſtitiam, vt mortis matrem haud dubiam, & ad inferos ducentem auerſari ac repellere oportet. Iſtam quippe arrogantia, & quod noſmet magnis quibuſdam rebus dignos exiſtimamus: ſuperiorem amor ſingularis erga Dominum excitat, & euidens cognitio, quanta ab eo beneficia acceperimus, & quam multis nominibus cum illi obſtricti ſimus, nec vnum tamen perſoluamus; ſed inſuper malis bona compenſemus. Quemadmodum igitur arrogantia crimen eſt; ita & dolor eius cauſſa ab anima ſuſceptus, crimini affinis eſt. Et rurſus tum charitas erga Chriſtum ſummè prædicanda eſt; tum eius iaculis conuulneratos dolere, macerari, & colliqueſcere, prudentes ſummæ beatitudinis loco ducunt.

Quoniam verò triſtitia diuinæ gratiæ plena à charitate procedit, charitas autem in cogitationibus Chriſtum, illiuſque benignitatem complectentibus poſita eſt, operæ pretium fuerit, eas memoria & animo verſare, & ab huiuſmodi opera nunquam feriari: ſed de induſtria & per ſemetipſos hæc meditari, ſecumque reputare: & in conuentibus ſermonis delicias, colloquiorumque materiam facere, & conari inſuper, vt nullo negotio diſtracti ac diſtricti, ſtudium iſtuc aſsiduò, quoad vita ſuppeditauerit, ſi fieri poſsit, tractemus: ſin minus, at longo tempore, vt animæ altiſsimè imprimantur, & cor penitus poſsideant. Neque enim ignis in quæ inciderit in ea quidquam aget, ſi ea continenter non contingat: neque cogitatio intermittens, animam ad quamcunque affectionem aptauerit: ſed tempus multum, continuatumq; requiritur. Cogi-

Cogitationes igitur à bonis & iucundis ſenſibilibus cupiditatem accendentes, quia ſenſus à principio iſi nobis operantur, & illas inde oriri contingit, contubernales noſtræ, & coæuæ ſunt, & perſuadent facile quæ voluerint; tum quia iucundæ ſunt; tum quia multo iam tempore nobiſcum ſunt. Qui autem mentis rationes, illiusque philoſophiam ſerius attigerunt, his multa diligentia eſt neceſſaria, vt in breui tempore, & aſsidua conſuetudine ad bonum afficiantur: quod non repente arrepit; ſed ſerò valde, multiſque iam aliis plenos ingreditur. Vix enim contenta, & acri exercitatione diuturnũ cum illis aliis commercium præcidentes, vera opinatorum, & bona ſolida iucundorum loco inducere poſsimus. Vnde nec mirandum, ſi cogitationes optimę haud vbique malas ſuperent, & melioribus deteriores nihil concedant apud eos, qui ratione vtuntur. Nam iure optimo ſufficere ſentio, vt bonus eſſe poſsis, non hoc ipſum ſi didiceris, quid nobis bonitatem perſuadeat; ſed ſi, quod neceſſe eſt, in eo etiam meditando immoreris, & cogitando inſiſtas; & cùm rectam rationem cognoueris, non eam ſolum intra te habeas; ſed ea quoque vbi opus eſt vtare: ſicut & cibus, & arma, & medicina, & veſtis, non ſimpliciter quibus adſunt, quique ea poſsident, commodum ferunt, verùm vtentibus ipſe vſus commodat. Quod ſi prauæ cogitationes incumbentes mentem detineant, bonæ tantummodo guſtatæ ſentiantur, deteriora vincunt, & prauæ quidem actuoſæ cum ſint, animæ regionem inſident, aliæ vt victæ & otioſæ prorſus exturbantur. Nihil igitur nouum, non ædificare architectum, aut medicum non ſanare, aut opificem quemcunque non ſuum munus obire, quamdiu artem non adhibet; nec illud mirum, ſi quis rectam rationem habens, agentem porrò non habens, nullum diligentiæ fructum capit. Vtatur enim quiſpiam armis contra inuadentes, quatenus conuenit eos interficiens; arte autem, ſecundùm ipſam agens. Nos verò cogitationibus optimis ſicut conſiliariis vtimur, mentem aduertentes, non vt cum didicerit quæ oportet, nouerit; ſed vt cum cognorit, perſuadeatur, vereque bonorum amorem concipiat: quod ſedula meditatione eget, quando contrà in malis occupari, & immorari, animę exitioſum eſt: ſimpliciter autem eorum notiones, nihil habent mali. Quamobrem quomodo hìc fugienda, ita illic conſectanda eſt meditatio.

Velle igitur bonum difficultatem non habet, nec res iſta ſtudio creditur indigere. Ad accipiendum autem conſeruandumque cum labor ſit neceſſarius, ſtudio ac via quadam opus eſt, qua ad certamina hæc volentes aggrediamur; quandoquidem haud facilè talis labor capeſsitur. Quod autem vbique ad certamina velut athletam vngit,

amor eſt eorum, pro quibus certamus. Hic enim labores, etſi admodum cruciabiles ſuauitate condit. Amorem autem honeſtorum nihil aliud accēdit, quàm attendere illis animum,& eorum elegantiam perſpicere. Et hic eſt ignis, qui ex meditatione Dei in anima Prophetę
Pſal. 38. exarſit. *Et in meditatione mea*, inquit, *exardeſcet ignis*. Qui alibi oſtendens, circa quid meditatio verſetur, & cuius viri ſit opus, hoc quidem ait
Pſal. 1. beati viri, illud Dei legem. Beatus vir, inquit, dies & noctes in lege Dei meditabitur.

Iam verò ſi meditatio circa literam legis hunc ignem accendere poteſt, quid facturam exiſtimabimus legem ſpiritus? quæ ſola verum Dei amorem hominibus inſeruit,& rogum quendam amoris inflam-
Rom. 8. mauit, quam nulla res poterit extinguere, non aſpera, non iucunda, non inſtans, non futura. Quam ob cauſſam cœlo demiſſus linguis igneis apparuiſſe mihi videtur, quoniam charitatem, inſtar ignis omnia depaſcentem intulit: ſiquidem & primùm legiſlatorem ipſum charitas in terras apportauit,& ipſum legiſlatoris corpus, humanitatis eius pignus ac fructus eſt:& pręterea ipſius lex tota amore ſcatet;& hunc omnibus quibus poteſt modis oſtendit, hunc introducit, hunc ſuadet, hunc à nobis ſi retulerit, ſufficienti munere ſibi ſua in nos merita compenſata arbitratur. Non enim quaſi ſeruis obligatis imperat: ſed quaſi multis propter ipſum defatigationibus perfunctos, longaque conſuetudine & amore deuinctos, ſtatim vt ad eum ſe contulerint, ad communionem rerum ſuarum vocat. Ego quidem pro regno decertaui, inquit, multiſque laboribus coronam nexui, quam vos citra laborem accipietis. Pro his aliud nihil exigo, niſi vt me ametis.

O inexplicabilem bonitatem, non ſolum tam eximiè diligit, ſed etiam amari à nobis tanti æſtimat: quod vt conſequatur, nihil omittit. Nam quid aliud fuit cur cœlum, terram, ſolem, & aſpectabilem mundum conderet? Eius verò qui non cernitur, qualis pulchritudo, & quomodo ab eo nutu ſolo conſtitutus ſit, & omnem quam in hæc inferiora curam conferat, non alio fine docet, quàm vt ad ſe conuerſis amorem ſui ſuadeat. Et omnino, ſicut in amore feruentes, ſapientiam, bonitatem, & artem demonſtrat, vt iniicere nobis ſui amorem poſsit. Proinde rei huius tantam rationem ducit, & adeo magni eam æſtimat, vt cum pro ea feciſſet omnia, quæ Dei natura patiebatur, non quieſceret: ſed ad aliam naturam ſe daret, qua ad idem æquè vteretur, vt quæ perſuadere non poterat, eo quod Deus eſſet, ea homo factus poſſet, & per vtraque, tum domeſtica, quæ veniens afferebat, tum extranea quæ aſſumpſerat, charum ſibi ad amicitiam ſuam adiungeret.

Sic

Sic lex ſpiritus, iurè lex eſt amicitiæ, indeque ad beneficia agnoſcenda nos exercet. Quare ſtudioſè in eam incumbendum eſt.

Primùm quidem, quoniam neque ſudor hîc vllus, nec labor eſt, nec ſumptus, nec infamiam, aut probrum parit, nec ob aliud illius quippiam viliores ſumus: ſed & artes tractare nihilominus licitum eſt, & quodcunque ſtudium ſectàri nihil vetat. Et dux exercitum ducet, & agricola terram colet, & opifex vrgebit opus, & hac quidem de cauſſa nihil eorum quæ facere conſueuit, præter mittet. Non in remotiſsima loca abeundum, nec inſueta alimonia adhibenda, nec permutanda veſtis, nec corrumpenda valetudo, nec aliud audendum facinus: ſed licet domi ſuæ manentem, nihilque ſuarum facultatum amittentem, cum hiſce cogitationibus quotidianum habere commercium. Quid ergo talia bona fieri prohibet, pro quibus etiam labores perferre æquum erat, ſi ita res tuliſſet? Si enim homines natos, & vi cogitandi præditos, quidquid tandem, & qualecunque cogitare oportet, quomodo non optima quæque cogitanda ſunt? Et, ſi inania abiectaque, & ex quibus cogitantes vtilitatem nullam conſequuntur, nunquam exiſtimata ſunt fortunam, aut artem, aut copias, aut quodcunque ad vitam conferens vlli deteriora effectura, minimè omnium bonas cogitationes in hoc crimen vocare, & quod bonum eſt, pro malo accuſare par eſt. Atqui iſto modo bellare nemini expedit. Porrò nihil prorſus inſuauitatis, ac moleſtiæ habent, non magis, quàm ipſum gaudium, quod verè appellari poſſunt. Siue enim optimis lætamur, nihil melius fieri poterit cogitationibus, quæ Chriſtum, & illius benignitatem complectuntur: quoniam neque ipſarum rerum, in quibus eſt vltimus bonorum finis: neque proprium quidquam ſuaue & amicum, quamuis multo labore quæſitum inuenias, quod nobis præ iſtis conueniat. Non enim ſecundùm ſanguinem tantummodo genitis, nec ipſis genitoribus ſimpliciter, ſed iam etiam nobis ipſis cognatior Chriſtus eſt, vt antea docuimus. Hinc animæ cogitatrici nihil peculiarius quam in ipſo occupatam eſſe. Itaque & per quæ familiaris & cognatus nobis eſt, & quæ optima eſt omnium iucundior eſt conſuetudo baptizatis animabus, quam alia quæcunque tandem: intelligo autem poſt lauacrum non valde ſqualentibus; ſicut Hebræi, quos admirabilis ille Stephanus incircumciſos corde & auribus nominabat. Nec damnum igitur vllum humanæ vitæ propter iſtas cogitationes importari, & in iis gaudium ac voluptatem ineſſe, ex dictis patet. An verò vtilitas quoque inſit, & iuuent, contineantque pulcherrima & opportuniſsima omnium, id quoque iam patuit, & ap- *Actor. 7.*

parebit deinceps euidentius, cum accuratius de ipſis differemus.

Primùm enim bonis cogitationibus animam diſtineri, hoc ipſum malarum cogitationum ceſſationem & otium inducit. Huic conſequens eſt, radium, ſeu lucem myſteriorum à vitio purum ferre, quod nobis citra laborem bonorum omnium cumulum affert. Deinde neceſſe eſt & ipſas cogitationes medicinis à ſemet depromptis officium ſuum præſtare, & cor quam optimè afficere: ſicut à prauis cogitationibus malæ affectiones naſcuntur: nam virtutem eodem modo ex bonis exoriri rationem habet. Planè enim in omni negotio vt hanc vel illam voluntatem ſuſcipiamus, hoc illudúe dicamus, aut faciamus, aut patiamur, aut quidquid tandem illud eſt eligamus, cogitatio & ratio nobis auctores ſunt. Et hoc modo magiſtri virtutis diſcipulis ſuis opportunè cogitationes optimas ingenerant; & contra, mali dæmones fœda ſimulacra intus excitant, vt iſta via hi ad turpiſsima, illi ad honeſtiſsima agunda prouocent.

Eſt igitur cuiuſque laudatæ meditationis, videre, quomodo actiones ex virtute proficiant: Chriſtum autem meditari, & quæ is pro mea ſalute amanter laborauit, cogitationibus percurrere, apertè vitam à nobis quæſitam continet, perque omnia beatos reddit. Et vt iſtuc manifeſtè cognoſcamus, conſideremus, illæ ſanctimoniæ, propter quas earum cultores Chriſtus ipſe beatos prædicauit, an non omnes ab hiſce cogitationibus proficiſcantur. Quos ergo tandem, qui ſolus & verè beatus eſt, beatos iudicat? Pauperes ſpiritu, lugentes, mites, eſurientes & ſitientes iuſtitiam, miſericordes, mundo corde, pacificos, perſecutiones, & omne probrum propter iuſtitiam, & promptum Chriſti ſtudium ſuſtinentes. Hi ſunt qui beatam vitam apprehenderunt. Si igitur ab his cogitationibus hunc chorum pulchrè formatum, & coronas inde cõtextas inueniemus, omnibus planè conſtabit, operam & meditationem in hiſce rationib. collocatam, viam ſecuram, & tranſitũ, & gradum, & quo quis nomine appellet, ad beatam vitam eſſe.

Matth. 5.

Rom. 12. Paupertas in ſpiritu, *& non ſapere*, vt Paulus ait, *plus quàm oportet; ſed ſapere ad ſobrietatem*, quorumnam ſit, niſi Ieſu paupertatem ſcientium, qui & naturã, & conuictu cum ſeruis communicauit, cum eſſet dominus: & factus eſt caro, cum eſſet Deus; & diues elegit egeſtatem, pertulitque ignominiam rex gloriæ; & circumductus eſt vinctus, qui genus noſtrum vinculis ſoluit; accuſationem violatorum legis in ſe ſuſcepit, qui legem impleturus venerat; & iudices paſſus eſt, inſanienti populo ac cædis auido gratificantes, *cui omne iudicium dedit pater.* Hæc, quem faſtum non deprimant?

Matth. 5. *Ioan. 5.*

Adhæc,

Adhæc, ſuperbia à bonis operibus (quando viſa fuerint excellere) excitata, actiones Chriſti meditatus, ſciet, non ſolùm nihil ſe magnum cum virtute præſtitiſſe; ſed neque ad ſeruitutis ſuæ iugum à ceruicibus deiiciendum quidquam præſtare potuiſſe, qui nec adeptam libertatem conſeruare ſartam tectam potuerit. Ille enim ſanguine ſuo nos emit, & ita magno acquiſitam libertatem nobis donauit. Quis porrò liberatorum in his quæ accepit permanſit, ſpiritualeſque diuitias vſque ad finem à prædonibus tutas retinuit, ac non hanc magnam ſanctimoniam ſuam reputauit, leuia aduerſus gratiam peccare? In quo igitur nobis malè conſciis licebit gloriari, quibus propria virtus ipſa propter ſeipſam ad nihil eſt vtilis? In qua ſi quid ineſt boni, Deus id abſque labore noſtro indidit. Ac neque ipſas extrinſecus ſaltem diuitias nobis donatas, inanimati theſauri inſtar tutò ſeruare contigit, adeo nequam ſumus. Poſt nouam enim creaturam, & ſepulturam in aqua, & menſam ignis plenam vſque eò ad virtutem imbecilles reperiuntur etiam ſapientiſsimi homines, vt illis ſacra menſa crebro ſit opus, & ſanguine purgatorio, & ſuperna manu, ne in extremam improbitatem præcipitent. Et horum teſtes ſunt non obſcuri, qui pro honeſto & virtute quéuis laborem aggreſſi, poſtmodum omnia nefanda committere ſunt auſi. Qui montibus ſe mandauerant, & omnem tumultum, vitamque communem ceu peſtes fugerant, vt Deo ſoli vacarent, & omnia ſanctitatis officia (quantum in homine ſitum eſt) cum laude expleuerant, vt & omnium maxima apud Deum poſſent, quia paulùm de ſpe erga ipſum remiſerant, nec amplius omnia illi ſincerè committebant, in primis nefanda perpetrarunt, & improbitati nihil reliqui fecerunt. In quo igitur efferemur? In rectè factis? atqui nihil eximium fecimus. In magnis noſtris? Atqui noſtra non ſunt. An quia ſeruauimus quæ accepimus? Immò prodidimus. Sed ſignaculum Chriſti ferimus. At hoc ipſum ſignaculum ſic non ferimus; ſuperbis enim nihil cum illo negotij, qui *mitis eſt, & humilis corde.* Et contingit propter huiuſmodi cogitationes ſuperbiam ipſam in ſe corruere, & vtrinque morbum euaneſcere. Siue enim ſapimus, quæ oportet, non magnum ſapimus: ſiue magnum ſapimus, hoc ipſo Chriſtum procul abeſſe à nobis ſentientes, & nos nullius pretij eſſe, intelligentes, ſuper nobis ipſis, vt abiectis, nihil egregium ſapiemus. *Matth. 11.*

Quin etiam ſequitur vt lugeant, & fleant, qui Chriſti acta meditantur. Si quis ſecum reputet videlicet, quæ pro ſalute noſtra,

ſit, ſeu aliquid per nos ipſos agendum, vbique æquitati conſulimus, & oblatam occaſionem libenter arripimus, & omnino, conſuetum, æquum, iuſtum, & huiuſmodi nomina vbique & multum in ore noſtro verſantur: ſolùm autem de iis quæ verè noſtra ſunt, quo pacto ea vt decet cuſtodiamus, & per quæ nobiſmet ipſis quod iuſtum eſt reddamus, ſollicitudine nulla tangimur, quodammodo cæteris omnibus indigniores nos ducentes. Si non aliud, ſaltem ad rerum nouitatem conuerteremur, quæ omnia concuſsit, & traduxit, in qua quæ ſuper cœlos erant, ima terræ viderunt: terra autem ſupra ipſum cœlum aſcendit. Et victus quidem eſt communis mundi tyrannus; qui victi erant, eius caput conculcant. Et Deus geſtare corpus viſus eſt, idque plagis & vulneribus cedens, & ſanguinem, quem in cruce profudit. Præterea, corpus mortuum hominis, terræ ſolum concuſsit, & mortuos excitauit. Quorum munus aliud nullum erat, niſi Dominum agnoſcere, & è terra reſurgere, & cœlum reſpicere: qui poſtquam hæc facta ſunt, adhuc dormiunt, & tanquam ſtatuæ à tonitribus nihil afficiuntur, quo non miſeriores?

Quomodo autem non iuſtum eſt, vniuerſum vitæ ſpatium luctus tempus exiſtimare? Quæ enim flemus, obſecro? Morbum? An verò in nobis non ægrotat, quod eſt præſtantiſsimum? Paupertatem? Atqui peius iſta, quam pauperes ipſi conflictamur, quanto hìc magis neceſſariæ, & multò meliores ſunt diuitiæ. Et paupertas quidem neceſſariò cum præſenti vita definit: hanc autem calamitatem mors tollere non poteſt: quin potius, vt nobis longè ignominioſior ſit in futuro, neceſſe eſt. Sed inſania eſt miſerabilis. Quid? an nõ malus dæmon animum noſtrum furenter exagitat, in quem tantam amentiæ vim effudit? Si enim ſuper enſes ambulare, ſeſe præcipitem dare, amicos præterire, & maleuolentiſsimis ſupplicem fieri, ſi hæc, inquam, inſanientium ſunt, nónne amantem fugimus? nónne hoſtem aſciſcimus? nónne ad gehennam currimus, dum omnia, quæ eò impellunt deſignamus? Quare omnium ſcelerum conſcientia impeditos & oppreſſos, flere & lugere nos conſentaneum eſt. Atque vtinam horum conſcientia nobis contingat, & quæ ſunt, eſſe arbitrari: & non etiam in hoc infelices ſimus, vbi malorum verſemur ignorantes, ſi bonam animæ habitudinem, & diuitias, & ſanitatem neſciamus, quæ nobis à Chriſto præparata, citra laborem, nihil niſi voluntatem afferentibus conſequi licet. Valde enim triſte ſit, cum felicitate perfrui liceat, eligere miſeriam, & cum poſsimus in luce viuere, non recuſare in tenebris ſedere.

Hæc verò non ſolùm inertibus lachrymas poſſunt elicere, ſed probiſsimis etiam, & his maximè, quanto & maius ſentiunt detrimentum.

 tum.

non depoſuit, vt Patrem rogaret, ne ſcelerati facinoris in eius vnigenitum commiſsi pœnam vllam exigeret. Nec modò veniam eis rogauit: ſed inſuper defendit, ea voce, quæ flammantem charitate, & miſeratione plenum animum facilè indicaret. Ait enim, *Pater dimitte illis, quia neſciunt quid faciunt.* Et tanquam pater filios amans vnicè, & ob ætatem illorum imprudentiæ miſertus correctorem illis mitigauit. Ac tunc quidem cum iſtis vocibus expirauit: poſtquam autem reſurrexit, & feſti conſortes accipere oporteret amicos, in quibus perdurabat bona voluntas, immemor iniuriæ, quod ſe in mediis periculis turpi fuga deſeruiſſent, diſcipulos conuocauit, expreſſoque loco, quo profecti ipſum conuenirent, vbi affuit, non fugam obiecit, nec quippiam huiuſmodi meminiſſe viſus eſt. Et poſtquam ad communicandum morti eius, & ad extrema quæq; perferenda, quorum prius abſentium adhuc nec ſpeciem tulerant, eos confirmauit, pace & Spiritu ſancto, & aliis huiuſmodi donis impertitos, toti orbi præfecit, & ſuper omnem terram principes conſtituit. *Lucæ 23.* *Matth. 28.*

Et hæc quidem toti choro communiter fecit. Coryphæum autem, qui, cuius amorem & charitatem ſingularem ſæpius expertus fuerat, eum prodiderat, qualia præſtitit? Non modò enim negationem eius in medium non protulit, nec pacti commonuit, quo ſe cum magiſtro in mortem iturum affirmarat (quod ille ſtatim, nec breui intermiſſo tempore violauerat) ſed & nuntiis reſurrectionis ad eum ante alios miſsis, ſic eum honorauit, & congreſſus amanter appellauit, & num ab eo plus, quàm ab aliis diligeretur percunctatus eſt. Cumq; Petrus reſpondiſſet, ſe diligere, adhuc idem interrogat: auditoque iterum, amo te, denuo quærit an ab ipſo diligatur. Atq; vt mihi videtur, quæſiuiſſet crebrius, niſi Petrus contriſtatus reſpondere recuſaſſet, quod is qui noſſet omnia, ad cognoſcendum amorem ſui multa verba exigeret. Quanquam iſta nec amicum ignorantis, nec ignorantem ſe fingentis erant; quorum alterum fuiſſet errare, alterum decipere, neutrum ſinceræ veritatis. Sed volebat ſic oſtendere, ſe iniuriæ propter priora pacta contempta planè oblitum, non enim denuo ea poſtulaſſet; quod fuit amorem in Petro accendere, qui iam propemodum extinguebatur. Talia enim ſciſcitari, & ad talia reſpondenda prouocare, ad amicitiam plus omnibus valet, & rerum ad amorem pertinentium memoria atque ſermo non ſolum amicitiam augere, ſed & nondum extantem generare potuit. Atque hæc quidem huiuſmodi ſunto. *Marci 16.* *Ioan. 21.*

Saluator ergo hunc in modum in operibus ſuis ira vacauit; quo docente, & leges ferente, quid mitius ac lenius? Sanè & preces ipſas, & ſacrificium non ſe admiſſurum ait, ſi cum ira aut ſacrificemus, *Marci 11.* *Matth. 5.*

aut precemur; & remiſsionem peccatorum, commune omnibus donum, quod ſecum de cœlo apportauit, mutuò iraſcentibus nunquam daturum: tametſi omnem lapidem moueamus, & flumina ſudorum lachrymarumq́ue fundamus, etſi ipſum corpus gladio & igni obiiciamus. Tanti fecit ille manſuetudinem, & qui eius vitam meditantur, eos ita mitem animũ erga eos à quibus offenſi ſunt, gerere ęquum eſt. Quod etiam indicans, ſi meam manſuetudinem noſſetis, inquit,

Matth.11. etiam cor veſtrum manſueſceret. *Diſcite à me,* ait, *quia mitis ſum, & humilis corde, & inuenietis requiem animabus veſtris.*

Præterea ſic meditationis de Chriſto manſuetudo materia fiet. Non poteſt enim ſacræ menſæ deſiderio, & amore non incendi, qui in huiuſmodi cogitationibus vitam conſumit: quam cum cuilibet iniuriarum memori contingere nefas ſit, reſiſtet irę, & ab odio purã ſeruabit animam. Hic enim ſanguis ad reconciliationem à principio effuſus, meritò iracundiæ furoriq; feruientes auerſatur. Et quanquam

Geneſ.4. ad Patrem clamauit ſuper interfectoribus, ſicut Abelis ſanguis à Caino effuſus, non tamen apud eum ſceleratos accuſauit: nec, vt ille, de fratre vindictam popoſcit: quin contra abſoluit, & vox occiſi veniam occiſoribus conciliauit.

Quin etiam excellentiſsimè iuſtitiam excolunt, qui in his commentationibus ſunt aſsidui: ex quibus apparet, mundi Dominum adeò honoraſſe iuſtitiam, vt verſaretur cum ſeruis, cum damnatis, cum occiſis, cum mortuis, vt omnibus quod deberetur redderet. Ac Patri quidem gloriam & obedientiam, quæ illi pridem debebatur, perſoluere nemo poterat: nec tyranno vincula, contemptum & dedecus, cui iniquum ademit imperium, & ſpurium inuaſorem à nobis iudicio & iuſtitia deturbatum expulit.

Miſericordiam autem, & dolentium dolere vicem, & aliena mala ſua ducere, vndenam potius, quàm ex huiuſcemodi cogitationibus quiſpiam adipiſcatur, in quibus cernimus nos ipſos minimè miſericordia dignos, præter omnem exſpectationem miſericordiam conſecutos, & captiuitatem, & ſeruitutem illam, vincula illa, & furorem eius, qui nos captiuos duxit? Et ille quidem affligendi nos finem nullum faciebat, quem immitiorem, & immaniorem ſemper experiebamur. Nos autem vndique conſilio egebamus, quiq́ue manum nobis dare poſſet, nullus reperiebatur. Ac illi quidem quæ volebat in nos licebant, velut empta mancipia raptabamur; nobis autem malorum nullum ſolatium, nec remedium vel à nobiſmetipſis, vel aliunde ſuppeditabat, non ab iis qui ſupra nos, non à naturæ ſociis: ſed æqualiter omnibus hominum generi commodare difficile erat. Et quid dico reme-

remedium? quibus nec meminiſſe medici prorſus, neque eum rogare licebat. In hac miſeria confli&antes, non legatus, non nuntius, ſed ipſe Dominus,cui rebellabamus,& in quem frangendis imperiis eius contumelioſi eramus, ipſe eſt miſeratus, miſericordia inſueta, & verbis inexplicabili, & ſupra quam conueniebat. Non enim tantum libertatem nobis cupiuit: neque dolorem noſtrum ſuum duxit: ſed à nobis in ſe dolores noſtros aſciuit atque tranſtulit; & placuit ei ſors miſeranda, vt nos beatos efficeret. Etenim *in diebus carnis ſuæ*, vt Paulus ait, multis viſus eſt miſerabilis. Et miſerationi ſanè fuit iniqua morte moriens. *Plangebant enim*, inquit, *& lamentabantur eum*, cùm ad mortem duceretur. Nec id ij ſolùm, qui tum viuebant, & ſpectabant, fecerunt: ſed & Iſaias multo ante cum præuidiſſet illud ſpectaculum, non temperauit lachrymis; ſed tanquam ſuper mortuo lamentans, vocem miſerabilem emiſit. *Vidimus eum*, inquit, *& non habebat ſpeciem neque decorem: ſed ſpecies eius inhonorata, & deficiens, præter filios hominum*. Quid cum hac compaſsione conferri poteſt? Siquidem non cogitatione & voluntate ſola miſerorum mala ſentit: ſed rebus ipſis: nec moleſtorum eſſe particeps ſatis habet; ſed in ſe ipſum totum ſuſcipit, noſtraque morte moritur.

Hebr. 5. *Luca 23.* *Iſaia 53.*

His rationibus ad miſerandos homines natura nobiſcum coniunctos, quid magis nos impellat? Si enim prius aſperum quiduis perpeſſum eſſe, recens eadem paſsis conciliat, dum in iis ſuas calamitates recognoſcunt, quid non paſsi ſumus? Nónne amiſsionem patriæ verè noſtræ? nónne paupertatem? nónne morbum? nónne ſeruitutem indigniſsimam? nónne inſaniam extremam? Et his omnibus *per viſcera miſericordiæ Dei noſtri* liberati ſumus. Igitur & nos miſereamur, ſi quis quocunque horum incommodorum iactatur, & miſericordiam conſeruis rependamus, quam nobis communis Dominus ante præſtitit. Et hoc monens Saluator, nempe erga proximum oportere nos induere manſuetudinem, pro exemplo diuinam benignitatem intuentes, *eſtote*, inquit, *miſericordes, ſicut & pater veſter cæleſtis miſericors eſt*.

Luca 1. *Luca 6.*

Mundare autem cor, animamque ad ſanctitudinem exercere, cuius contentionis aut diligentiæ, aut quorum ſudorum potius, aut cogitationum, & meditationis opus ac materia fuerit? Imò quod quis accuratius rem conſiderans, non opus meditationis de Chriſto, ſed ipſam ſine dubio meditationem dixerit. Primum enim in optimis cogitationibus verſari, eſt à malis cogitationibus diſcedere: hoc autem eſt cor purum eſſe. Cùm enim duplex ſit nobis vita, dupliciterq; naſcamur, vna ſpiritualis, altera corporea, & ſpiritus in his quæ concupiſcit, aduerſus corpus pugnet, corpus aduerſus ſpiritum, cum *Galat. 5.*

contraria fœdus inire & conſpirare impoſsibile ſit, omnibus eſt apertum, vtra concupiſcentia per memoriam cogitationes obtinuerit, ab ea alteram profligatum iri. Deinde ſicut carnalis vitæ, & generationis memoria, & occupatio animi in talibus perditiſsimam cupiditatem, & inde exiſtentem contaminationem affert: eodem modo lauacri generationem, & congruentem eidem alimoniam, & alia huius nouæ vitæ aſsidua memoria vſurpantes, à terra in ipſum cœlum transferre ſit conſentaneum.

Epheſ.2. Quoniam autem *Chriſtus eſt pax noſtra, qui fecit vtraque vnum, & medium parietem maceriæ ſoluit, inimicitias in carne ſua*, qui pacis cauſſa omnia molitus eſt, quid pace præſtantius apud eos, quibus ſtudio eſt res eius
Rom.14. animo voluere ac reuoluere? Nam & ipſi pacem ſectabuntur, Pauli iuſſu, vt nihil æquè: & ea colenda aliis præibunt; & odium inutile deponent, fruſtraque belligerare deſinent, ſcientes, pacem adeò pretioſam, vt Deus ipſe diues, & omnium Dominus, cùm in terras veniſſet, vt eam hominibus compararet, nec inueniret quidquam dignum, ſuum ipſius ſanguinem pretij loco impenderit. Quia enim iam productorum, & extantium nihil videbat quæſitæ paci, & reconciliationi conferendum, aliam nouam condidit naturam, ſanguinem ſcilicet ſibi ſuum, quo dato mox reconciliator, & princeps pacis fuit. Sangui-
Iſaia 9. nem igitur illum adorantes, quid tandem aliud cum virtute coniunctum conſectantes rem ſuam ſe putabunt agere, quam vt reconciliationis, & pacis hominibus auctores ſint?

Quod ſi vniuerſam iuſtitiam, virtutem, inquam, quantum ſit bonum, & qualis eius pulchritudo, in moribus & vita vnius Saluatoris eſt videre, vtpote qui ſolus ipſam contrariorum puritatem perfectè oſtendit (etenim peccatum non fecit; nec princeps huius mundi veniens, & inuidos oculos circumferens inuenit, in quo animam illam
1.Pet.2. accuſare poſſet, nec in quo eius pulchritudinem reprehenderet) cer-
Iona.14. tum eſt, amorem erga Chriſtum, & erga virtutem, eius vitam meditantes adepturos, quamuis aliud nihil faciant, aut incipiant. Sic enim abundè licebit & virtutis, & Saluatoris pulchritudinem intelligere, & intellectam amare, quando in omni re intelligentia ſiue cognitio amorem procreare conſueuit: ſiquidem & Euam fructus ligni, idque
Geneſ.3. vetiti, hoc modo peſſundedit. *Et animaduertit mulier*, inquit, *quod bonum eſſet lignum ad veſcendum, & pulchrum oculis, aſpectuq́ delectabile.*

Amorem Chriſti & virtutis ſic adeptos, etiam perſecutiones propter hæc ſuſtinere conuenit, & cùm res poſtularit, fugam non recuſare, & probroſiſsima quæque audire, idque cum lætitia, vtpote maximis pulcherrimiſque præmiis in cœlo repoſitis. Amor enim certantium

tium erga præſidem, remuneratoremq; certaminis etiam hoc poteſt, & de præmiis nondum viſis, facit ei fidem habere!, & iam nunc futurorum ſpem ſolidam gerere. Sic Chriſtum ſemper cogitantes, meditantesq; & moderatos reddit, & humanæ infirmitatis gnaros, vt lugeant, eoſdemq; & mites, & iuſtos, & humanos, & modeſtos facit, & pacis concordiæque interpretes, adeoq; Chriſto, & virtute circumſeptos, vt pro iis non ſolum patiantur: ſed gaudeant etiam iniuriis multari, & in perſecutionibus exultent. Et, vt ſummatim dicam, bona ampliſſima, & quibus beatitas conſtat, ex cogitationibus iſtis percipere poſſumus: & ita in eo qui ſummè bonus eſt, mentem cuſtodire, ſolitam pulchritudinem ſeruare, animam meliorem reddere, acceptasque à myſteriis opes tueri, & regalem tunicam non rumpere, nec ſordidare. Et idcirco, quemadmodum mentis compotem eſſe, & ratione vti humanę naturę proprium eſt; ſic res Chriſti contemplari, opus eſſe cogitationis exiſtimandum eſt. Maximè, quia exemplar, ad quod hominibus reſpiciendum eſt, ſiue opus eſt agere aliquid ipſos in ſeipſis, ſiue aliis in officio præeundum, ſolus eſt Ieſus, qui & qua propria noſtra, & qua in conſuetudine conuictuque poſita, primus, medius, vltimus, verã hominibus iuſtitiam oſtendit. Deinde & præmium ipſe eſt, & corona eſt certantibus auferenda. Itaq; ille ante oculos ponẽdus, & quę illius ſunt, accuratè perpendenda, & quatenus licet, ad eorum intelligentiam enitendum, vt ſciamus, quomodo laborandũ. Præmia enim athletis agones metiuntur, & in iis defixi, labores ferunt; tantum tolerantiæ adhibentes, quantum illa pulchritudinis habere cognouerũt.

Præter hæc omnia, quis neſcit, cur nos ipſe ſolus ſanguine ſuo emptos acquiſierit? quia non eſt alius, cui ſeruiendum, & propter quem nobis ipſis, qua corporibus qua animabus, qua amore, qua memoria, qua mentis actione vti debeamus. Ideo & Paulus, *non eſtis veſtri*, inquit, *empti enim eſtis pretio magno*. Etenim propter hominem nouum hominis natura ab initio eſt condita, & mens & appetitus illius ergô parata ſunt: & cogitationem accepimus, vt Chriſtum cognoſcamus; appetitum ſeu deſiderium, vt ad illum curramus. Memoriam habemus vt illum portemus: quoniam & dum fabricaremur, ipſe nobis archetypon erat. Non enim vetus Adam noui, ſed nouus veteris exemplum eſſe debuit. Etſi enim dicitur, nouum ad ſimilitudinem veteris eſſe genitum: ſed propter corruptionem, quam ille cœpit, hic hæreditauit: vt naturæ imbecillitatem medicina à ſemet deprompta tollat; & vt Paulus ait, *abſorbeatur quod mortale eſt à vita*: vt propter naturam ipſam archetypum nobis vetus Adam ſit, priorem illum ſcientibus; cui autem omnia, antequam fiant, in conſpectu ſunt, antiquior ille

1. Cor. 6.

2. Cor. 5.

Daniel. 13.

ſit, nec eſt, vbi nobis non adſit, qui quærentibus ſe ipſo corde propior eſt. Conſequens autem eſt, etiam conſtanter credere, quæ precamur, nobis euentura; nec ideo dubitare, quia ſumus improbi; ſed fidere, quia Chriſtus eſt, qui ſuper ingratos & malos inuocatur. Qui tantum abeſt, vt à quibus offenſus eſt ſeruos precantes velit negligere, vt nondum ſe inuocantes, neque vllam ipſius rationem ducentes, in terram delapſus, prior vocarit. *Veni enim*, inquit, *vocare peccatores*. Iam *Matth. 9.* qui nec volentes ita quæſiuit, qualem ſe inuocatus exhibebit? & ſi dilexit cum odio haberetur, quomodo nos repellet dilectus? Quod & Paulus ſignificans, *ſi cùm inimici eſſemus*, inquit, *reconciliati ſumus Deo per* *Rom. 5.* *mortem filij eius; multo magis recõciliati ſalui erimus in vita ipſius*. Quin formã quoque ſupplicationis cogitemus. Non enim quæ amicos æquum eſt petere & accipere, ea petimus conſequi: ſed quæ ſerui obnoxij, & maximè rei rogare permittuntur. Non enim vt nos coronet, dominum inuocamus; nec vt alia huiuſmodi nos gratia dignetur: ſed vt miſereatur. Miſericordiam autẽ, & veniam, & debiti dimiſsionem, & huiuſmodi ab humano petere, & petentes non vacuis manibus abire, ſi non fas eſt reos, quos tandem fas eſt? ſiquidem *non eſt opus valentibus* *Matth. 9.* *medicus*. Si enim omnino moribus receptum eſt, homines ad Deum voces miſericordiam elicientes mittere, vtique peccatorum vox miſerorum, & miſericordia dignandorum vox eſt. Imploramus autem Deum & lingua, & mente, & cogitationibus, vt omnibus per quę peccauimus, pharmacum ſolum ſalutare adhibeamus. *Non enim eſt*, in- *Actor. 4.* quit, *aliud nomen in quo nos oporteat ſaluos fieri*.

Ad hæc porro omnia ſufficit, & ſtudium intendet, & adnaſcentem ex anima ſocordiam eximet, panis verè cor hominis confir- *Pſal. 103.* mans: qui de cœlo veniens, vitam nobis attulit; qui in paſtum omni *Ioan. 6.* modo quærendus eſt, & hac cœna frequentanda fames fugienda; nec quia tanto myſterio parum ſimus idonei, diutius quàm par eſt hac menſa abſtinendo, tota anima reddenda imbecillior, atque deterior: ſed ſuper peccatis confitendis accedendi ſacerdotes, & bibendus ſanguis, in quo purgandi vis eſt. Prorſus autem non ita tetris nos criminibus obligabimus, vt à ſacra menſa excludamur, ſi in his cogitationibus ſimus quàm creberrimi. Sicut enim nefandorum eſt, cum peccaueris peccatum ad mortem, tamen audere ad ſancta accedere: *1. Ioan. 5.* ſic iis, qui tam graui morbo non laborant, panem hunc fugere, non conducit. Illos enim animo cum carbonibus adhuc pugnantes, cauere oportet ignem, nec eum contubernalem, ante reconciliationem accipere: his animo bene conſtitutis, & aliter infirmis, medicina corroborante opus eſt, & accedendum ad magiſtrum ſanitatis, qui *lan-*

Iſaia 53. *guores noſtros tulit, & dolores noſtros ipſe portauit*: nec morbo obtendendo (pro quo depellendo orandum eſt) medicus fugiendus. Sanguis enim hic ſenſibus noſtris ianuas imponit, nihilque noxium tranſire ſinit. Quin imo ianuas obſignans, exterminatorem repellit, & cor, cui in-
2. Paral. 7. fuſus eſt, templum Dei efficiens, melius quàm Salomonis muros ſan-
Matth. 24. guis ille typicus, in eo malum idolum conſtitui non permittit (abominationem deſolationis, inquit, in loco ſancto) ſed ſpiritu principa-
Pſal. 50. li animum confirmans, ſicut precatur Dauid, prudentiam carnis ei ſubiicit, & homo altiſsima tranquillitate fruitur.

Et quid ego de myſterio pluribus diſſero, cum pluribus ante dictum ſit, quid eo impertitis bonorum afferat? Sed ſi ſic cum Chriſto verſemur, initiatione ſiue ſacramentis, precibus, meditatione, cogitationibus, ad omnem virtutem animam exercebimus, depoſitum
1. Tim. 6. cuſtodiemus, vt Paulus iubet, & à myſteriis nobis collatam gratiam ſeruabimus. Sicut enim ipſe eſt initians, ipſe myſteria; ita qui cuſtodit in nobis quæ dedit, & qui manere in his quæ accepimus fa-
Ioan. 15. cit, idem ſolus eſt. *Quoniam ſine me*, inquit, *nihil poteſtis facere.*

FINIS LIBRI SEXTI.

EIVS-

EIVSDEM

NICOLAI CABASILÆ

ORATIO CONTRA FOENERATORES, NVNC PRIMVM LATINE EDITA.

SVNT qui malè docti, & neſcio quibus rationibus nixi autument, legem, qua fœneratio interdicitur, ſeruare, nullo modo neceſſarium eſſe: verum ſeruantes eam mereri laudem: tranſgredientes reprehẽſionem non mereri. Primùm, nullam legum antiquarum ita poſitam ac latam videas, vt eam volentibus protererе licitum ſit; ſed omnis trangreſsio, & inobedientia mercedem ſuam acceperunt. Deinde fœneratio inter crimina haud numeraretur, nec fœnerantes probris inceſſerentur, ſi iſta ratione lucrum facere liceret: conceſſa enim nemo iure vituperet. Nunc autem Dauid ipſe factum iſtuc in crimine ponit, & in iis quę ſceleris arguuntur apertè numerat. Et partim quidem, dum flagitioſam ciuitatem reddit notam omnibus, in eius accuſatione & hoc non tacet: *& labor*, inquit, *in medio eius,* Pſalm. 54.
& iniuſtitia: & non defecit de plateis eius vſura, & dolus: partim dum ſuper Saluatoris aduẽtu lætum affert nuntium, & quantis genus humanum dignaturus ſit bonis, quantis erepturus malis, explicat, vſuram & malorum cumulum inſectatur: *ex vſura*, inquit, *& iniquitate liberabit animas* Pſal. 71.
eorum. Et dum vituperat, & dum iniquitati, dolo, & iniuſtitiæ eam copulat, magnitudinem ſceleris demonſtrat.

Ad hæc videamus, quare in gente Hebræorum adeò magna & è tot tribubus commiſta, in qua multum erat vitiorum, parum probitatis, lex iſta obtinuerit in omnes communiter, & vſura, vnà cum cæde, furto, aliiſque vitiis è republica pulſa ſit. Si enim criminis expers erat, vnde legi tanta poteſtas? Nec enim excelſitas quædam animi multitudinem ſub legem ſubiiciebat, quoniam non omnes liberales, & alta mente præditos fuiſſe certum eſt, inter quos tenacitas, auaritia, ſordes paſsim vigebant. Porrò ab adulterio, à cæde, à perfoſsione

q 2 parie-

parietum, tametſi lex pœnam non ſanciret, tamen pericula, cum quibus eiuſmodi facinora neceſſariò perpetrantur, inde auocarent: fœnerari autem nullus putatur labor, nec eſt periculoſum negotium: ſed id ſolum augere quæſtum nihil laborãtibus oportet. Quid igitur homines minimè ingenuos ad lucrum adeò moleſtiis vacuum contemnendum induceret, ſi tam graue ſupplicium propoſitum non eſſet? Hebræos autem hanc legem ſic reueritos, ex eo patet, quod etiam hodie eadem ſunt opinione ac ſententia, & eam honore proſequuntur: tametſi in multis longè quàm maiores ipſorum ignauius religionis inſtituta colunt. Et hæc quidem hoc modo dicta ſint.

Quoniam igitur fœnori dare Hebræis crimini fuit, quibus multa nobis vetita indulgebantur, quæ pœnæ ob iſtiuſmodi lucrum Chriſtianos manebunt, quibus & conſiſtere in vetuſtis culpa eſt; & ſcri- *Matth.5.* ptam legem iuſtitia non exſuperare, eſt regno cœlorum excidere? Etenim fornicatio illis non videbatur tam abſurda, & iſtiuſmodi fla- *Epheſ.5.* gitium dedecori non erat. Apud nos autem, *nec nominetur*, inquit. *Matth.5.* Quin etiam aſpectus laſciuus cum peccato coniunctus eſt. Atque illi *Deut.6.* quidem iurare etiam lege iubebantur, quod nunc hypocritarum, & improborum, & huiuſmodi farinæ hominum eſt. Et illis quidem ini- *Leuit.19.* micum odiſſe permittebatur: nunc ipſum iſtuc punitur, adeoque non ignoſcitur, vt hac noxa irretitus, nec aliorum peccatorum veniam *Matth.6.* rogare audeat, quod veniam nullo modo conſequantur, qui à quibus læſi ſunt, cum iis in gratiam non redierint, etſi millies illorum pœniteat, etſi flumina lachrymarum profundant. Atque ita quod vnicum malorum humanorum remedium erat, ad morbum hunc depellendum nihil valet; ſed laudatiſsima pœnitentia, & ſudoribus eius, & ſacrificiis propitiatoriis eſt potentius. Fructum quoque bonorum operum capere non ſinit, quantumuis eximia & ſummis digna laudibus fuerint: ſed quemadmodum nebula ſuperfuſa omnia corrumpit: ſic malignitas animi propter veterem iniuriam, malum teterrimum omnia vitiat. Hebræis tamen licebat. Commodare au- *Leuit.19.* tem fœnus, neutiquam licebat. Quo igitur loco inter piacula vſuram conſtituemus, quãdo tam nefando ſcelere nihil videmus improbius? Nam illa permiſiſſe, hoc vetuiſſe, quid aliud quàm quod dixi oſtẽdit?

Et adhuc audebit quis vſuram à crimine immunem ſtatuere, qua odium in homines, & libido, & peccata maxima tolerabiliora apud Deum legiſlatorem iudicantur? Et quid eſt inſanire, niſi nouæ legis *Matth.5.* diſciplinam veteri inferiorem arbitrari, & Chriſtum in mundum veniſſe, non vt legem impleret, ſed vt euacuaret, atque euerteret? Quod ſi hæc eſt manifeſta impietas, & plenitudo legis Chriſtus eſt, doceant

illi

illi melius ac ſapientius eſſe contemnere legem quàm ſeruare, & vſuram humanitatem admirabilem,& fraudatores illos compilatoresq; humaniores eſſe iis, qui gratis dant mutuum. Neceſſe eſt enim, qui hoc non poſſunt, in alterum è duobus incidere, aut cum Iudæis nouæ legi obſiſtere,eorumque inſaniæ quaſi quandam hæreditatem adire; aut ſi hoc fugiunt, fundamentum quod à principio conſtitutum eſt,non conuellere, & vſuram extremo ſupplicio addicere; quod amplecterentur, ſi vel tantillum ſaperent.

Sic enim ſe res habet. Oportebat hominibus legem contingere ſapientiorem, & meliorem: & aderat legislator (cui enim id potius committeretur?) litteram illam loco mouens. Quoniam autem à charitate Dei, & proximi vniuerſa lex pendet, homicidam morte multans, & adulterum, & furem, & falſum teſtem reum faciens, & vſuram tollens, & odium aduerſus proximum propulſans, & tales quædam leges ad mutuam charitatem homines inuitantes, ſolùm poterant facere, vt benemeritus amaretur, & vt qui non incommodaſſet, ei viciſsim nihil incommodaretur; in quorum neutro vera ineſt humanitas. Nam & non odiſſe, nondum eſt amare: bene meritum autem diligere,non hominem,ſed beneficium amantis eſt. Cum hoc modo charitatem, quæ à veteribus illis litteris aberat, inducere oporteret (hoc enim erat impleri legem) quem alium huic prouinciæ, quam ipſius legis conſummatorem præponere æquum erat? itaque induxit. Non enim teſtamentum aliquod tertium exſpectamus; nec alium populi ductorem moderatoremque, qui meliores leges ferat. Proinde opus fuit lege non ſolum, *non habebis odio proximum*, ſed etiam, *diliges proximum*. Quod ſi diliges, etiam bene de illo merebe-ris non tantùm vt remunereris,ſed etiam vt beneficiis anteuertas. Atque ita non ſolum non dabis fœnori argentum tuum fratri tuo, id eſt, nihil ab illo lucraberis: ſed quod his maius quiddam eſt,cum indigente tua facies communia. Hæc perfectiſsimè præſtanda ſunt: quorum negligentes decantatam illam gehennam citra impedimentum experientur. *Hoc enim eſt mandatum meum,* inquit, *vt diligatis inuicem*: non vnum de mandatis, ſed ipſum mandatum. Ergo ſi hæc eſt vniuerſa lex Chriſti, hæc eſt quæ coronas habet; & propter eam nobis gehenna, & tenebræ, & mala omnium grauiſsima intentantur. Si enim totam legem violare, non eſt nefas, neſcio quorum tandem peccatorum pœnas ſimus luituri: aut quis vapulaturus ſit multis.

Deut. 23. *Ioan.* 15. *Luca.* 12.

Et quid his opus eſt, cum ipſam legislatoris ſententiam legere, eaque propoſitum confirmare liceat? *Diſcedite à me maledicti,* inquit, *in ignem æternum*: non quia fœnus accepiſtis; ſed quia de veſtris facul- *Matth.* 25.

 tatibus

tatibus his qui egebant nihil tribuiſtis. Audin'? Iam ſi ſua non proiicientes tam grauiter multat, emunctores iſtos, & compilatores quonam mittet? Tu autem cum quæſtu tuo fœneratitio te gehennam effugiturum cenſes? Et ſanæ mentis eſſe putas?& quomodo non potius ſtolidior,& tanto extremis ſuppliciis dignior,quanto nec noſti vbi malorum ſis: nec cum improbus ſis, verecundaris, nec erubeſcis, nec vitare barathrum quæris: ſed fixis oculis radium intueris?

Quid? quod peſsimum eſt omnium,quibuſdam virorum iſtorum inſignium vſura etiam eleemoſyna videtur, & fœnore, velut quibuſdam virtutibus initiati gloriantur, enumerantq; tanquam beneficiis à ſe affectos, quibus commodarint, & à quibus eadem opera lucris aucti ſint. Hem ſtultitiam. Tu honeſtus,qui tabulis nomina eorum, quibus pecunia fœnori data eſt inſcribis, quas humo oporteret obruere? Et qui das vt lucrere, es miſericors? Ita & agricolam dixeris terram alere, quia ſerit frumentum, vt plus recipiat: vel potius epulationẽ anthropophagi vocabis, opinor, beneuolentiã,quia bene & pulchrè ſaginat hominem, vt eum pinguefactum deuoret. Et tu igitur das, vt fructu ex alienis laboribus percepto, pecuniam tuam cumules. Itáne vero miſericors es? Et non te pudet rei omnium turpiſſimæ ſceleratiſsimæque pulcherrimum nomen imponere?

Sed multos à paupertate vindicaui,inquit. Non quia tu id deliberaras, ſed ita euenit. Tu enim tantummodo compendia tua cogitabas, hoc ipſum mutuum dando ſpectabas, vt mutui nomine bona pauperis ad te transferres. Quod ſi ille mutuo bene collocato rem ſuam amplificauit,paupertatemq; domo ſua eiecit,non tuum hoc opus eſt. Quod ſi etiam iſtuc dederimus,certè,quatenus commodaſti, non quatenus eum fraudaſti, profuiſti. Nunc, non accuſaris à nobis quod das mutuum, nec quod ſortem repetis: ſed quod inſuper vſuram exigis. Hoc non profligat paupertatem,ſed inducit: nec aliquid tuorum in pauperem confert:ſed eius rebus manus tuas implet;ac tibi quidem pecuniã exaggerat, illi domũ exinanit: Hoccine humanitas,& cura pauperũ? Et quid obſtat quin occidere putetur ſeruare, & defraudare ſuppeditare,& fame cruciare paſcere, & plagas incutere fauore proſequi? Sic res omnes permiſcebis. Ridiculum,nugæ, nihil ſimplex hîc & ſincerum. Immo verò ſi ridiculum,ſuſtineri poſſet: nũc ploratus & ſtridor dentiũ vſurarum fructus eſt,& cum dæmonibus,& damnatorũ infelici turba perpeti atrociſsima. Ait enim, *diſcedite à me*

Matth. 25. *maledicti in ignem æternum, qui paratus eſt diabolo, & angelis eius.*

Nihil ad me iſta,ait fœnerator,qui pauperi argentum,& victum,& veſtes commodaui. At non de propriis, quamdiu in manibus eſt vſu-

Tobia 4. ra. Lex autem iubet de ſuis communicare. Si tu verò vſuras omnes

in

in pauperes effundas, primùm nondum tua prodigis. Deinde cur accipis, tantaq; audacia ſuſcipienda, vnde tibi nihil prodes, Dei legem violas? Quod ſi minus das, quàm accepiſti, neq; tua das, & adhuc aliena retinere deprehẽderis, & tanto deterior es, iis qui in gehennam mittantur, quanto tolerabilius eſt nec bene cupiam, nec male facere, quàm malefacere.

Sed lex, inquit, communi bono aduerſatur. Oportet enim in ciuitatibus creditores eſſe. Atqui ſublato fœnore nulli ſint neceſſe eſt qui dent mutuum. Deus quidem quod conducere cenſuit, hoc lege præſcripſit. Tu legem antiquas, & meliorem ferendã putas, quam Deus tulerit, & communi hominum conſulendum ſapientius, proſpiciendumq; humanius. Sanè ſi Athenis progreſſus in medium Solonis leges abrogandas ſuadere inſtitueres, moriendum tibi foret, antequam vocem ederes: nunc Dei legem accuſans, & quidem iniuriæ publicæ, non hanc temeritatem putas iniuriam? non amentiam extremam? nec fulmen metuis? Quin immo non erant nobis verba facienda ad tam inſipientes æquè ac temerarios. Ne tamen exiſtimẽtur aliquid dicere, & quoſdam in errorem deducant, omnium ſæculorum reſpublicas bene temperatas conſideremus, in quibus fœnori exercendo locus nullus fuit.

Primùm, Hebræi quo infæliciores fuerunt, quia legem ſeruarunt? nonne fælicißimi? nonne trophæis floruerunt? nonne hoſtium regiones occuparunt? Qui porrò nunc Palæſtinam habitant barbari, & gens tam frequens Latinorum, tantum legem non adorantes, nonne bene habent? Solis nobis neſcio quid intelligentibus ſapiens hoc genus creditorũ, nouam quandã reipub. ſalutem, iniquitatem ſcilicet inuenit, & ſtudent perſuadere hominibus, quę primo homini primus impoſtor perſuaſit, mandatis Dei ſuam ſententiam anteponere, & illa negligenda, ſuis autem adhærendum, vt omnium optimis: & violare leges, nihil eſſe piaculare, & inſuper id audentibus, vtile: quemadmodũ veterator ille, *non*, inquit, *morte moriemini: ſed eritĩs ſicut dij*. An non tales ſunt horum voces? Et hęc ſentiẽtes non contremiſcunt, nec erubeſcunt: ſed in quibus ipſi reipub. detrimentoſi ſunt, & propter quę vltimis mactandi eſſent cruciatibus, horũ legem diuinã accuſant. Deus enim vtrumq; præcepit, & creditores eſſe in vrbibus, & vſuras abeſſe ab vrbibus. Hi verò, quia non liceat fœnerari, ideo nec mutuũ dandũ putãtes, ipſi creditores ex vrbib. tollunt, & ea de re legẽ reprehẽdunt. *Geneſ. 3.* *Luca 6.*

Quanquam ſi mutuum non poterat purum eſſe ab vſura, & natura aliter non ſinebat, ſed neceſsitate eueniebat, vt ſublatis vſuris neque creditores eſſe poſſent, æquum erat culpam tribuere legi, quæ non exegiſſet fœneratores, induxiſſet autem per eos, quos neceſſariò non exegiſ-

egiſſet. Quod ſi fœnerandi neceſsitas nulla prorſus eſt, nec natura quidquam vetat gratis commodare, & teſtantur id omnes mortales, qui tuam ſententiam deſpiciunt; tu autem prauitate animi abſque ſpe lucri non audes dare mutuum, quid voluntatem tuam crimine abſoluis, & quorum te ipſum debebas, eorum legem accuſas, publicorumque malorum arceſsis, quorum tu ipſe reus es? Si enim aliquid inexpugnabile prohiberet creditorem eſſe, & eò poſſes confugere, vnde oſtenderes te non volentem peccare, meritò veniam impetrares, & reprehenſionem amolireris. Nunc voluntatem prætexens, & abſque lucro velle te quidem dare mutuum profitens, non autem permitti, rem ridiculam admodum facis, ſi crimina criminibus tuendo te defendi, & in quo accuſaris, quod animo ſis improbo, id nobis pro reſponſione obiici poſſe exiſtimas. Non enim potes dicere, te non poſſe dare mutuum; ſed non velle abſque fœnore. Sic porrò & adulterum, & homicidam appellabimus, quoniam peruerſa voluntate talia non reformidant, & quò minus bonus eſſe velit, excuſari nemo poteſt.

Adhæc, ſi quidem laudi danda eſſet fœneratio, in vituperationem caderet lex, quæ, quod ſancire oportebat, id reiiceret: ac te rem non malam complectentem haud quiſquam in vitio poneret. Si autem quiddam ab humanitate alienum atque improbum eſt, qui à turpibus te abducit, laudem ferat etiam. Cæterùm tu inde ad aliud facinus currens, malumque malo commutans, fœnerari ſcilicet cum eo quod eſt non dare mutuum, à temetipſo apertæ nequitiæ coargueris. Nam ſi, quòd ab iſtis ſceleribus depulſus es, ad alia tranſis, quique te à prioribus cohibuit, eum vt cauſſam poſteriorum accuſas, etiam illud concedes, improbitatis graſſatorum, & effractariorum leges cauſſam eſſe, quæ dum palàm alienis facultatibus ditari non patiuntur, ad nocturnam prauitatem eos compellant. Neque enim latrones ſolitudinibus & montibus ſe credentes, gladium in viatores ſtringerent, ſi ipſis vrbes habitantibus, & cupiditati indulgentibus, iudicia & legum iura liceret contemnere. Conſimili modo parietum perfoſſoribus quid nocte opus erat, & inſania aduerſum mortuos, ſi viuos per diem obſidere; & quos liberet ſuis rebus citra metum exuere ac ſpoliare lex permitteret? Et planè, nullum pernicioſorum ac ſceleratorum inuenias, qui non lege coactus, ab illis maleficiis abſtinuerit, ad hæc autem ſponte, ac volens aggreſſus ſit. Quid ergo? illóſne vt inſontes dimittemus, in leges verò ab illis nefarie commiſſorum culpam conferemus? Et illos quidem pœnarum immunes vagari liberè ſinemus, iudices autem, & leges, & iura, quibus nihil eſt in hominum vita ſalutarius, tanquam piacula è ciuitatibus expellemus?

mus? Quod ſi hoc nec mente captus dixerit, nec ipſiſmet talia audentibus, credo, placuerit; ſed leges vbiq; gentium hominibus ſcelerate agendi cauſſa non ſunt,& qui peccant, præmia condigna referunt, & conflatam ſibi pœnam luũt,cur tu eiuſmodi defenſione innoxium te fore confidis,quæ nulli improbo vnquam profuit? Neq; igitur ad fœnus faciendum incumbens ſupplicium effugies: neq; propter interdictum fœnus credere pecuniam recuſans, & communionem diſsipans (quæ genus humanum congregauit,& homines ad ciuilem cultum deduxit) atq; ita reipub. damnum iniungens, per leges tueri te poteris: verùm vtrũuis peccaueris, inhumanitatis conuinceris. Nam qui proximum non amant, facilè & hoc,& illud audent.

Et quid labis habet,inquit, ſi à paupere nihil, à diuite autem fœnus exigamus? Multum profectò. Hoc enim eſt contra leges venire, pecuniam commodatam cum auctario recipere. Pauperem verò elidere,fame premere,veſtibus ſpoliare,hoc iam non fœnus,ſed grauius quoddam ſcelus eſt: quandoquidem & fures delinquunt crudelius, ſi egentem ſpoliauerint, & multò amplius, ſi ipſi copioſi fuerint; & ſceleſtiores inſuper cenſentur, ſi, à quibus beneficia acceperunt, in eos ipſos malefici extiterint. Verum enim vero leuiora crimina propter grauiora pœnis non carebunt. Cum igitur lex in illa vindicet, ſine dubitatione hæc infeſtius odit,& ſeuerius multat. Nam ſi in quacunque prauitate aliis tolerabilius, aliis ſceleratius peccantibus, hos tantum deprehenſos puniret legislator, videretur aliis patrata ignoſcere. Quoniam autem iudicum ſententiæ & hos, & illos damnant, patet, leges, ſecundum quas ad iudicium & pœnas vtriq; rapiuntur, contra leuiora item latas eſſe. Porrò nec definitum eſt commiſſum grandius, nec datur,quo non detur maius. Quorſum igitur lex,cum non ſit, in quo ponatur? Nam fure effractor vtiq; peior eſt. Itaque, ſi placet, hunc in crucem agamus, illum vt tolerabilius reum abſoluamus. Sic lex ſemper procedens, fontem non inueniet. Sicut ergo lex,non occides, non parricidam, nec fratricidam, aut quemcunque certum interfectorem, ſed ſimpliciter homicidam perſequitur: ita quoq; & furem,& adulterum, & maleficũ quemq;. Eodem modo illud, *non fœneraberis fratri tuo*, non eſt vſuram diuidentis,& vnam vetantis,alteram ſtatuentis: ſed omnem vſuram exterminantis. *Deut. 23.*

Atqui lex imperatoria (occurrit ille) hac via lucrum conſectari permiſit, quod nunquam feciſſet, ſi in eo peccatum ineſſet. Quomodo non ſtultum eſt ſic ratiocinari: Homines iſtuc permiſerunt: & non cogitare potius, Deum hoc fugere iuſsiſſe? & non eſſe vitioſum hoc lucri genus ex lege humana coniicere, & cum Deus hoc ipſo

r quod

quod prohibuit, vitioſiſsimum eſſe teſtetur, nihilo tamen magis vitioſum arbitrari? Quanto melius iudicares, iuxta Dei iudicium ferens ſententiam, quam legibus hominum aſſentiens? Mihi verò & comparare quidquam legi diuinæ extremæ videtur audaciæ, & egeſtas rationis: nedum laborare apud homines parum pios, vt eis perſuadeas, vtri legum potius obtemperent. Age enim, ſi diſcendum foret, num vſura in peccatis ducenda, vtrum tu magiſtrum eligeres? nonne Deum, ſi vel tantillum ſaperes? Iam ſi legibus ita pugnantibus alteram ſeruando neceſſe eſt alteram flóccipendere, vtram violans, per alteram te defendes? certè non per humanam. Eſt enim imbecilla defenſio, ſi quis dicat, ideo ſe diuinam legem cõtempſiſſe. Nam inferiores reuereri, vt ſuperiores prodas, quam veniam mereatur, quando crimen maius eſt? Perinde vt ſi quis mandatum regis poſthabeat, quia miles aliquis, aut calo ſecus mandauit. Parum abeſt, quin talis etiam defenſionis huius ſuæ pœnas debeat. Et iure quidem, quia non ex ignorantia, aut obliuione, ſed conſultò id fecit. At tu, ſi rectè facias, quibus te ſuppliciis dignum deputes, quandoquidem plus quàm Salomon hic, & tu tanto interuallo minor es Deo, quam rex calone nobilior, quantum dici aut credi nequit. Ac proinde tanto es iniurioſior, quanto maius inter Deum ac regem diſcrimen. Cur te non pudet cum ſceleſtis Phariſæis mandatum Dei ſoluere propter traditionem hominum? Et tamen non omnium legislatorum eſt idem hac in re iudicium: idemque ſenſus. Sunt, qui vſuras introduxerunt: ſunt, qui profligarunt; vt ſi cætera eorum inſtituta omittentes iſtuc ſolum inſpiciamus, veniam aliunde accipi, aliunde amitti, & non magis propter vnos te crimine ſolui, quàm propter alteros aſtringi videamus.

Matth. 12. *Matth. 15.*

Etiam, inquit. Sed qui permittunt, antiqui ſunt. Hoc tu abſurdiſsimè ad patrocinium aſſumis; quaſi minores ſeu poſteri ſemper deteriores ſint. Deinde quomodo non animaduertis, te ipſum quoque iuniorem illis eſſe, qui legislatorum alios ſeligis, alios repudias? Conſidera, amabo, quanto antiquior legislatore tuo ille legislator, qui à principio vſuras interdixit. Quin tu etiam tuo calculo diuinæ legi ſuffragaris. Quare ſi legi addenda eſt antiquitas, & eam ad reuerentiam illius pertinere exiſtimandum, hoc quoque pœnam commeruiſti, qui quod antiquiſsimum eſt, deſpicis.

Præterea qui penitius rem intuebitur, fatebitur eos ipſos qui vſuram concedunt, eandẽ vt longè probroſiſsimam condemnare. Multis ſanè indiciis & clarè demonſtrant, ſe de illa malè ſentire. Primùm

mũm omnium non licere ait lex vlli optimatum, neque ſacerdotum fœnerari. Quibus autem permittatur, in his licere vilioribus ac plebeis maiorem vſuram, melioribus & honoratioribus minorem accipere. An illi, obſecro, hanc legem omnino legem, & fœnus bonum ac iuſtum, an turpe potius credebant, à quo viros bonos excipiunt? Opinor enim leges, & ſi quid honeſtum ac ſanctum eſt in ciuitate, magis decere optimos ciuium, quàm fæcem vulgi. Ac de illis quidem in primis legislatores loquuntur, de infimis ſecundo loco, quod illi nimirum in legibus ſeruandis aliorum duces eſſe debeant, quos ipſorum veſtigiis conuenit inſiſtere. Hìc autem planè ſecus euenit, & in vſura improbiſsimi mortalium præcedũt; ſequuntur, quibus quiddam morum iſtorum adhæret, & tanto magis, quanto ſupremæ prauitati ſunt viciniores. Idcirco, cum legislatoribus viſum ſit ita ferre, rei peruerſitas inde apparet. Peſsimis plurimum fœnerari, optimis nequaquam aiunt conuenire: reliquis, quò ſint meliores, eò à fœnore magis temperare: quò vitioſiores, eo ſe in id magis effundere. Quìnam vſuras quiſpiam ſtrictius vetet, & è repub. proſcribat, quam iſtiuſmodi legibus? Fœneratores quippe per homines improbos, quibus hanc licentiam impertiunt, dedecorant: & hoc illis ſupplicium irrogatur apud eos, qui patrocinari videntur. Etenim ignominia quoq; criminibus nonnullis quondam pro pœna infligebatur, & ea Græci multos ſceleſtiſsimos proſequebantur, ambulabantq; infames, & quæ vel in rempub. vel in priuatum admiſiſſent, tali animaduerſione piabant. Nec ineptè infames reddunt, dũ quæ meliorib. interdicta ſunt, eorũ illis poteſtatem largiuntur. Paridem fabulæ narrant pomi adiudicatione dearum pulcherrimam offendiſſe: hi verò lucro impio permittendo, homines inhoneſtos atq; improbos declarãt. Et vt indumentũ vile putridumq; diues nullus aſpexerit, mendicus contrà illud accipiat, & eo ſe contegat: ſic lucrũ ex vſura partũ, velut è cordace (ſaltationis impudicæ genus eſt) aut è ſtuprorum perpeſsione, aut è re aliqua impura mercedẽ, boni malis dimittũt. Qua pœna quæ tandẽ acerbior? ſi verè homo ſis, & quæ hominem decent appetis, & nõ inhumana figura ſuem imitaris. Perſpicuũ eſt igitur vſuram nec ipſos qui eam concedunt extra crimen ponere.

Quid ergo ita ſanciunt? inquit. Improbitatem tuam terminis circumſcribunt, ne ipſi ſorti ęquale, aut paulò minus accipias; ſed diſcas, quanquã inuitus, mediocriter eſſe nequam: quomodo item petulantib. fœminæ meritoriæ permittũtur, nec vrbib' exturbantur, ad mai' malũ cauendum videlicet, ne nuptarũ pudicitia inſidioſè attentetur. Quod inde claret. Etenim conceſsi fœnoris modũ tranſilire vetuerũt,

intra modum ſe tenere minimè vetuerunt. Et daniſta plus, quàm conſtitutum eſt non accipiet, etiamſi ſyngrapham exhibeat, & obæratus id valdè ſpoponderit. Idem hinc manifeſtius liquet, quod minus nō eſt expreſſum, necvt fœnus maximum, ita etiam minimum eſt decretum: ſed integrum eſt ſemper mutuum dare, quamuis debitor nihil ſe vſuræ nomine daturum paciſcatur, nec dedit. Quid paciſcatur? Si cum ſilentio mutuatus fuerit, & creditor fœnoris non meminerit, ac poſtea cum ſorte id popoſcerit, nugas aget.

Iamne perſpicis legem iſtam ſuper vſuris non eſſe vſuras volentiū, ſed vſuras euertentium? Quod ſi id tam liberè, aperteq; non faciunt, vt in ſacrilegiis, aut latrociniis, nihil mirum, cùm in multos præterea improbos legislatores non animaduertant, à quibus tamen Deus pœnas repoſcit acerbiſsimas. Tabulis eorum lectis, nemo inuidum ad tribunal arceſsitum coarguet; & memores iniuriarum per eos omni carent moleſtia. Compluribus item ſceleribus, quorum reis gehenna præmium eſt, legibus ſupplicia nulla decernuntur. Ideo nimirum, quia cum gemina vita ſit hominibus, geminum ſimiliter eſt iudicium. Legislatores futuram vitā nobis non faciunt, nec apud iudicem illum nos accuſant: ſed vt gubernatoribus in mari curæ ſunt vectores, dum durat nauigatio, vltra portum quid iis conducat, quærere, ſuarum partium nō cenſent: nec de domeſticis quidquam cum iis agitur: ita & conditores legum videas vitam hominum quæ hic degitur moderantes & conſtituētes, quid in futurum illis fiat, & qua ratione pœnis ſempiternis elabantur, nihil penſi habere. Quamobrem nihil vetat, in ciuili conſuetudine tantummodo bonos, peccatis obrutos hinc emigrare: & hìc clementiæ, ac iuſtitiæ opinionem ademptos, ibi referri inter ſceleſtiſsimos, deterioremque calculum ſortiri.

Quæ cùm ita habeant, & aliud ſint præſentes pœnæ, aliud quod nos manet iudicium, noli præſentib. futura metiri: nec ſpera te Deo vſurum beneuolo, cuius leges deſpicere es auſus, etiamſi iudices tuæ naturæ conſortes nōn malè de te exiſtiment; illud inter multa cogitans, legislatorem neminem ſordes & auaritiam, & aduerſus egentes inhumanitatem in quoquam horum reo perſecutum, & qui quemquam horum apud illos accuſet, deteriore loco ipſo accuſato futurū, & cauſſa caſurum; Deo autem de his ipſis criminibus iudicium exercente, gehennam ſupplicium fore. Itaq; vt inuidus, & iniuriarum nō potis obliuiſci, & odio proximi imbutus, & nulli quidquam benefaciens, & ſimilia perpetrans, quanquam apud terrenos iudices inſons, meliorem è cœlo ſententiam non habet cur exſpectet: idem tu de fœneratore cogitato.

Vnde

Vnde ergo victus nobis, inquit, qui nec agriculturam didicimus; nec mercaturã facere ſcimus;nec ad vllam artem quæſtuariam ſumus idonei?Quod ſi & ſacrilegi,& latrones idem prætexant,num eis ſceleris facultatem dabis? Igitur effractores patieris; &, ſi latro captum te veſtibus exuerit, & plagas impoſuerit, nihil iniuriæ intulit, &, ſi leno vxoris caſtitatem corruperit, nihil nocuit, nullam enim quamcunq; artem norunt. Fructum ergo iudicij tui capies. At enim puto oportere,imo tam eſt neceſſarium, quàm quod maximè, non ſolum quibus vita indiget quærere; ſed etiam circumſpicere, vnde accipiendum ſit; vtpote tota ciuili iuſtitia hìc conſiſtente. Si enim de pecunia, poſſeſſionibus, gloria, ſimilibusq; ſemper controuerſamur,& horum nihil eſt,quod non ab aliis ad nos perueniat,quoniam à principio in vitam ingreſſi nihil horum nobiſcum ſimul ingreſſum eſt: ſed & agrum accepimus,& veſtem,& equum, & quidquid facultatum habemus, clarum eſt,hoc diſtare iuſtos ab improbis,quod illi à quibus oportet, hi à quibus haud oportet, accipiunt. Si differentiam hanc ſuſtuleris, & pecuniarum, poſſeſſionumq; dominos non iuſtitia,ſed vis & neceſſitas creauerit, actum eſt de iuſtitia vniuersè, nugabunturq; iudices, & legum tabulæ inanes erunt, ac ſuperuacaneæ, & tu potentiorum lucrum eris, & tu fortunis tuis à nullam artem ſcientibus, & ſuas ipſorum leges ſequentibus euerteris. Ne ergo neceſsitatem itere, nec dicas opus eſſe: ſed hoc oſtende, te iuſtè adeptum eſſe quod habes. *1. Tim. 6.*

Cui verò iniuriam inferimus, inquit, ſi à volentibus accipimus? Deo ipſi maximè,in quem,eius legem frangens,contumelioſus reperiris. *Per preuaricationem enim legis Deum inhonoras*, ait Paulus. Deinde ipſis quoque, quibus detrimento es, & qui te nihil offenderunt. Non enim conſilio ac ſponte argentum ſuum abiiciunt; ſed eo abs te priuati patiuntur,& iacturam iactura ſarciunt,grauiorem leuiore. Quia enim chirographo eos obligaſti, & ne, cum mutuo iterum egebunt, abs te repellantur, te ipſorum bona depaſcentem perferunt. Inſuper & ipſi reipub. officis, & legem à Deo latam impugnas, cœleſtemque vindictam prouocas. *Rom. 2.*

Ac ne tam grauem affirmationem meam vilipendas, teſtem dabo Baſilium, quem ſummouere non audebis, cuius celebre eſt nomen apud omnes. Cum enim quodam tempore fames,& ſiccitas regionem eius obſiderent, quærens ille, vnde calamitas, & quid faceret nubes tam ſteriles, terram tam infœcundam, radicem & principium mali huius apud vos fœneratores inuenit. Quod vt credas, en tibi verba ipſius. Scinde libellum æris alieni iniuſtum, vt ſic peccatum ſoluatur. Dele grauiſsimorum fœnorum nomina, vt terra ſolitum tibi fœnus *Hom. in diuites auaros.*

 reddat.

reddat. AEre namque,& auro, ac ſimilibus fœcundis metallis præter naturam fœtus edentibus,iure germina quæ naturaliter pariunt, ſterilia fiunt, & ad habitantium mulctam fructibus carent. Hæc ille.

Viden' quot malis vrbes cumulas? Quid tantum incommodi importauit homicida,aut fur nocturnus,quos capite punimus, vt & terram corrumperet, & aërem vitiaret, & ciuitates communibus hominum vtilitatibus ſpoliaret? Tantum abes,vt aut nullum iniuſtè lædas: aut ignoſcēda audeas;aut culpæ minutæ affinis ſis.Tu interim & conuentuum , & inſtitutorum vitæ, & victus humani es particeps, hominum pernicies : credisq; Saluatori , & eius myſteriis ac legibus ſalutiferis,quibus leges fers contrarias.Quæſo te,non pudet communicare illius menſæ, cui tantoperè aduerſaris? nec, antequam cum eo in gratiam reſtitutus ſis , horres te illi contubernalem iungere , & donis ita

Matth. 26. ſuſceptis fructuosè te accubuiſſe exiſtimas.Atqui ſanguis hic pretium redemptionis eſt;tu verò proximum in ſeruitutem redigis.Et ille quidem, vt tu nihil debeas, effuſus eſt ; tu fratrem etiam reddentem mutuum,nondum debito ſoluis. Adeò igitur aduerſantem Deo,audere

1.Cor.10. ſacras inire epulas quantis plenum eſt periculis ? ***An æmulamur Dominum?*** inquit Paulus, ***nunquid illo fortiores ſumus?***

Poſt hæc omnia illud cogitando verſare conuenit, rationem reddere oportere:Sub rege enim Chriſto conſtitutos,omni iniquitate,&

Pſal.71. amentia fœnoris liberatos eſſe teſtatur Propheta. ***Ex vſura***, inquit, ***& iniquitate liberabit animas eorum.*** Te autem nondum ſolutum,ſed etiamnum vinculis implicitum,& vſuræ mancipium vbi collocabimus? Alterum ſiquidem neceſſarium eſt; aut Prophetæ bonum nuntium nullo effectu euaneſcere;aut te vnum de his non eſſe, qui à Chriſto cohoneſtantur. Quod ſi abſurdum eſt prius concedere , tu de altero videris, & an ex re tua ſententiam tuleris. Si verò Chriſtianus es, & te iſti populo annumeras,vſuras abiicies,nec propter quæſtum adeò infandum diuinas leges aſpernabere, vitamque cum Chriſto contemnes,

Matth.8. nec gehennam,&vermem,& fletum,& ſtridorem dentium,& horribiles tenebras parui facies.

Sed iam pro re propoſita ſatis dictum opinor,nec video quid amplius dicendum ſit.Tu,aut perſuaſus his mores immutabis:aut ſaltem ex hac oratione mea te omnium grauiſsima audendo , & Deo, & communi hominum de multis obnoxium eſſe cognoſces

FINIS.

IOAN-

3.

IOANNIS CARPATHIORVM EPISCOPI CAPITA HORTATORIA.

IOANNIS CARPATHIORVM EPISCOPI AD MONACHOS EX INDIA, EORVM ROGATV, CAPITA HORTATORIA, SIVE DOCVMENTA ſpiritualia XCVII.

TErrarvm regibus vernos flores mendici offerentes, ſæpenumero non ſolum repulſi non ſunt, verùm dona quædam contrà receperunt. Quamobrem & ego iuſſu veſtro centuriam vnam piarum ſententiarum alicunde mutuatus, & vobis conuerſationem veſtrâm in cœlis habentibus offerens, vtinam acceptus ſim, & remunerationem precationum veſtrarum viciſsim adipiſcar. *Philip.3.*

I. Quanto minus perpetuus totius vniuerſitatis rex principium aliquod ac terminum regni ſui habet, tanto his, qui eius, & virtutum gratia laborem capeſſere inſtituerunt, ſtudium ipſorum fructuoſius eſt. Nam vitæ iſtius honores, tametſi valde ſplendidi, vnà cum eadem omnino finiuntur. Qui autem à Deo dignis tribuuntur, vtpote cum immortalitate tributi, prorſus permanent. Quare me animus hortatur, vti vos in beatis ducam, quibus Deus eſt amori.

II. Beatus ille Dauid hymnum, & laudes Deo per omnes creaturas concinens, angelorum quoque, omniumque inaſpectabilium poteſtatum meminit;& in terram vſq; deſcendens, nec beſtias, nec iumenta, nec reptilia prætermittit, cùm etiam ex his laudationem creatori iucundam, acceptamque exiſtimaret: qui vniuerſa ab ſe condita ſuum ſibi tributum pendere velit. Quòd cum ita ſit, quî tandem monachus, *qui non conferetur auro ex Ophir*, ad hymnodiam Deo perſoluendam torpere, aut pigritari vnquam poterit? *Iob.28.*

III. Luna accretione, & diminutione luminis ſui ſtatum hominis exprimit, atque indicat: qui quandoque probus, quandoque improbus eſt: quandoque per pœnitentiam ad mores virtutis norma directos recurrit. Itaque mens eius, qui in peccatum prolabitur, haud eſt

euerſa, ac perdita penitus, quod quidam iſtic opinantur: ſed ſicut corpus lunæ imminutum eſt quidem lumine, illud tamen recipit: ita etiam homo pœnitentia auxiliante ſplendorem ſuum de integro recuperat: vt luna, inquam, ſuo defecta lumine eodem rurſum conueſtitur. Qui enim in Chriſtum Deum noſtrum, & Dominum gloriæ

Ioan.11. credit, *etiamſi mortuus fuerit, viuet: & cognoſcet,* inquit, *quia ego Dominus lo-*

Ezech. 28. *cutus ſum, & faciam.*

IV. Si à multitudine fœdorum ſimulacrorum, in mentem tuam irrumpentium expugnatus fueris, te ad tempus à diuina gratia ſeparatum ſcito: vnde & in manus peccati traditus es iuſto iudicio. Enitere igitur, ne quando per negligentiam, ne ad punctum quidem temporis à gratia deſeraris. Quod ſi maior lapſu, murum cogitationum turbulentarum tranſcendere, ingeminatasque hoſtium ſagacium impreſsiones contemnere poteris, ne ignores donum hoc tibi

1.Cor.15. datum deſuper. Ait enim Apoſtolus, *non autem ego ſolus, ſed gratia Dei in me*, hoc trophæum operata eſt, & ab inſurgentibus in me nefandis cogitationibus illæſum conſeruauit. *** Qui ergo eduxit me de terra Aegypti, hoc eſt, è mundo, vbi pereunt animæ, hic occulta manu pro me pugnans, percuſsit Amalec, & reliquas item nefariarum motionum gentes Dominum à facie noſtra funditus deleturum ſpem fecit. Hic Deus noſter ſapientiam tibi & virtutem dabit. Quidam enim ſapientiam acceperunt, at non virtutem ſpiritus ad debellandos ini-

Pſal.26. micos. *Hic exaltabit caput tuum ſuper inimicos tuos. Et dabit tibi pennas ſicut*

Pſal.54. *columbæ, & volans apud Deum requieſces.* Ponet Dominus *arcum æreum*

Pſal.17. *brachia tua*, validum te, ſollertem, robuſtumque reddens contra aduerſarium, ſub te laqueis irretiens omnes oppugnatores tuos. Refer itaque Deo gratias caſtitatis, quoniam non concluſit te in manus voluntatum carnis & ſanguinis, & occupatorum in his pernicioſorum atque impurorum ſpirituum, dextera ſua te communiens. Aedi-

Exod.17. fica illi altare poſt fugatum Amalec. *Propterea confitebor tibi in gentibus,*

2.Reg.22. *Domine, & nomini tuo cantabo.* Magnificabo potentiam tuam quo-

Eccleſ.51. niam liberaſti à perditione vitam meam, & de laqueis, ac de re-

Hebr.12. tibus circumſtantis nos, & multiformis, & veteris peccati, me eripuiſti.

V. Nequam dæmones nefarios affectus in nobis reſuſcitant, renouant, accendunt, & multiplicant. Meditationes autem verbi Dei, præcipueque cum lachrymis eluentibus ſuſceptæ, eos quamuis inueteratos interimunt, ac diſsipant: paulatimque pernicioſa animæ, & corporis peccata, effectaque ad nihilum redigunt: modò nos intenta at-

ta at-

ta atque improba precatione, ac ſpe Dominum aſsiduò fatigare ne ceſſemus.

VI. Quid eſt quod ex ore malitia paruulorum Chriſtus laudem perficit? An omnino, vt per hanc laudationem inimicum & vltorem deſtruat? inimicum quidem virtutum, vltorem verò ſcelerum diabolum. Itaque & nos Dominum cum ſimplicitate collaudantes, inimici machinationes conterimus, & deſtruimus. *In multitudine enim gloria tua contriuiſti bella, & aduerſarios oppugnantes nos.* 1. Cor. 14. Pſal. 8. Numer. 12.

VII. Si quis apparuerit abortiuus, dimidium nunc carnis ſuæ deuorare dicitur: dimidium in futuro ſæculo. *Fructus enim viæ ſuæ quilibet comedet.* Prouerb. 1.

VIII. Pulcherrimum ieiunium eligere debet monachus: non ſeruire ſcilicet prauis animi motibus, & tranquillitatem mentis ſummam ſemper excolere.

IX: Dæmones, qui flagrant odio animarum noſtrarum, quoſdam incitant, vt nobis laudem, ceu frigus quoddam lethale impertiant. Deinde hortantur nos ea diffundi, ac diſſolui. Cùm ita opinione de nobis inflati, vanæ gloriæ locum dederimus, rem factam habent inimici noſtri; nec de cætero laborant, vt nos captiuos faciant.

X. Magis cauillatorem amplectere, quàm laudatorem, qui à maledicente nihil differt, vt ſcriptum eſt a Plutarcho.

XI. Si ſtudioſus virtutis ieiunandi, propter corporis infirmitatem ea potiri nequeas, & contrito corde ad gratias omnium procuratori & iudici agendas te conuertas, ipſa gratiarum actio ad miſericordiam Dei tibi reputabitur; ſi modò te humilem Domino ſemper præſtiteris, & nemini vnquam te antepoſueris.

XII. Sciens inimicus orationem nobis eſſe propugnatricem, ſibi inſidiatricem, ab eaque nos abſtrahere moliens, ad græcarum diſciplinarum, quas deſeruimus, deſiderium animos noſtros extimulat, & ad iis vacandum hortatur. Cui obtemperare caueamus, ne cum ab orbita, & tramite culturæ noſtræ aberrauerimus, pro ficubus, & vuis ſpinas, & tribulos metamus. *Sapientia quippe huius mundi ſtultitia apud Deum reputatur.* Matth. 7. 1. Cor. 3.

XIII. *Gaudium magnum*, inquit, *annuntio vobis, quod erit omni populo,* non parti populi. Et, *omnis terra adoret te, & pſallat tibi*, non ſane pars terræ. Atqui pſallere non ſuppliciter orantium, ſed magnopere lætantium eſt. Quod cum ita ſit, neutiquam abiiciendus eſt animus; verùm cum lætitia vita hæc tranſigenda, & de illa ſempiterna læti- Luca 2. Pſal. 65.

tia, gaudioque cogitandum. Nihilominus diuino timore lætitiam
Pſal.2. temperemus, ſicut ait Dauid, *exultate Domino cum tremore.* Maria e-
nim cum timore, & tremore, & gaudio magno cucurrit à ſepul-
Matth.28. chro. Celeriter & nos tandem, cum timore & gaudio de ſepulchro
quod animo cernitur prorumpamus. Miror etenim quomodo a bſq;
timore, quandoquidem nemo eſt ſine peccato, ſiue Moſen, ſiue Pe-
1.Ioan.4. trum Apoſtolum dicas. Veruntamen in his diuina charitas victrix,
tempore egreſsionis foras mittit timorem.

XIV. Etiam motibus vitioſis implicatus, ſi toto corde crediderit, ſeſeque humiliauerit, apathiæ gratiam adipiſcetur. Teſtatur id Scri-
Luca 23. ptura. *Hodie mecum eris in paradiſo.* Et, *fides tua te ſaluam fecit, vade in pace.* Et
Idem 7. quęcunque ſunt huius generis. Et in autumno liueſcit vua, *& ſecundùm*
Matth.9. *fidem veſtram fiet vobis.*

XV. Quando motus animi à recta ratione alienos odientes, cogitationibus libidinoſis acrius à dæmonibus infeſtamur, tunc magis in Chriſti fide confirmamur, & ad bona ſempiterna exſpectanda ſpem firmiorem concipimus, quibus nos priuari, & excludi ex inuidentia dæmones ſtudent. Niſi enim eſſent bona illa multò maxima, haud ita illi inuidia accenſi, ſordidas cogitationes crebrò in nos iacularentur, in hoc & inſaniæ ſuæ ſatisfacturos, & ad deſperationem nos per multam, & intolerabilem moleſtiam impulſuros arbitrantes.

XVI. Scientiam veriſsimam, eſſe praxin nonnulli exiſtimant. Quapropter operibus ipſis potius & fidem, & ſcientiam tuam conare o-
Tit 1. ſtendere. Qui enim ſola ſcientia inflatus eſt, audiet, *quia Deum ſe confitentur noſſe, factis autem negant.*

XVII. Vt plurimum tempore feſtorum dierum, & ſanctarum ſynaxeon, potiſsimumque cum ad myſticam menſam accedendum eſt, dæmones aſcetam odioſis, & impuris phantaſmatis, genituræque profluuio inquinare nituntur. Sed neque iſtoc frangent, aut eneruabunt; qui omnia toleranter ac generoſo animo ferre conſueuit. *Ne*
3.Reg.20. *igitur glorientur aduerſum nos accincti æquè vt diſcincti.*

XVIII. Da operam ne hoſtes noſtri alacritatem tuam retundant, variis, & occultis tentationibus animam colaphizantes. Nam ex multis, & inexplicabilibus tribulationibus corona tibi contexitur: & in infirmitatibus Chriſti virtus perficitur, & in ſtatu triſtiore, ſpiritus
2.Cor.12. gratia effloreſcit, ac nitet. *Lumen enim gentibus in tenebris exortum eſt*: ſi
Pſal.111. quidem fiduciam, & gloriationem ſpei ad finem vſque ſtabilem retinuerimus.

XVIII.

XVIII. Nihil æquè virtutem profligare ſolet, vt ſcurrilitas, & ludicra atque otioſa colloquia. Rurſus ad animam inueteratam renouandam, & cum Deo cōſociandam nihil æquè confert, vt timor Dei, & diligens attentio, aſsiduaque diuinorum eloquiorum commentatio, & qua ſe quis tanquam armis inſtruat oratio, & vigiliarum, vt lucri alicuius conſectatio.

XIX. Commodiſsimum ſimul, & vtiliſsimum eſt animæ, quamuis tribulationem, ſiue ab hominibus, ſiue à dæmonibus inuectam conſtanter ſufferre. Et ſciendum planè, afflictionem deberi nobis, nec alium quenquam, præter nos ipſos accuſandos perpetuò. Nam qui in tribulationibus ſuis alium accuſat, à recto iudicio eius quod conuenit aberrauit.

XX. Nonnunquam à dextra ſede dimouetur homo, quamuis virtutis ſectator, multiplicatis tentationibus ordine ſuo deiectus videlicet, quia vt ſcriptura loquitur, *Omnis eius ſapientia, & ars deuorata eſt*: *Pſal. 106.* ne confidentes ſimus in nobiſmetipſis, & ne glorietur Iſraël dicens, manus mea ſeruauit me. Veruntamen ne idcirco turberis, quaſi noui quippiam accidat: ſed te in priorem illum, pulcherrimumque ſtatum reſtitutum iri ſpera, deficiente, & repulſo abs te diuino iuſſu maligno, qui ad omnia nō ſine affectibus intuenda, & audienda nos incitat, & ad peccata committenda ſollicitat. Cùm autem mentem hebetauerit, vt in hebeti, & craſſa, facit & carunculæ incredibilem grauitatem, atque molem ſentire, & inſitam rationem ſimplicem, minimeque fictam, ad ſimilitudinem modò genitorum infantium, reddit variam, & valde expertam, vbi eam omnigenis peccatis venenauerit, & per lenocinia euerterit.

XXI. Res magna, homo creſcens intus, & virtutibus magnitudinē conſecutus. Veruntamen hic magnus peccatum timet, vt murem elephantus, *ne fortè cum aliis prædicauerit, ipſe reprobus efficiatur.* *1 Cor 9.*

XXII. Non ſolùm imminente conſummatione mundi, diabolus *Daniel. 7.* ſermones contra altiſsimum loquetur; ſed etiam nūc interdum graues cogitationum noſtrarum in ipſum cœlum blaſphemias emittit, contraq; altiſsimum, & creaturas eius, & ſancta Chriſti myſteria contumelias iacit. Verùm nos conſcenſa petra cognitionis ſuper his, ne obſtupeſcamus, nec pernicioſi illius audaciam admiremur. Fide autem, & ſpe feruentiore adhibita, & ſupernum auxilium conſecuti, hoſtem propulſabimus.

XXIII. Cum exprobratione & audacia inimicus in animam è corpore egredientem inuolat, & propter admiſſa acerbè ac horribiliter eam accuſat. Sed eſt tunc videre Deo charam, & fideliſsimam animā,

tametſi antea frequenter multis peccatis vulneratam, eius impetu & minis haud percelli; quin roboratam potius in domino, in gaudio ſolidatam, & à ſacris virtutibus eam ducentibus fidentia repletam, ac lumine fidei circundatam, malignoque multa cum libertate reclamantem, quid tibi nobiſcum eſt, alienate à Deo? quid tibi nobiſcum, fugitiue de cœlo, & ſerue nequam? Non habes vllam in nos poteſtatem. Nos enim, & omnes in Chriſti poteſtate ſumus, ipſi peccauimus, ipſi reſpondebimus, pignus habentes ipſius miſericordiæ erga nos, & ſalutis noſtræ pretioſam eius crucem. Tu verò apage procul à nobis, peſtis & exitium; nihil tibi cum ſeruis Chriſti. Hoc dicente anima cum fiducia, terga deinceps dat diabolus, clamans, & lamentans, quod nomini Chriſti præualere non potuerit. Et anima inimico ſuperior effecta, ipſum colaphizat, ſicut qui ὀξυπτέρυξ à celeri volatu dicitur, coruum. Poſtea per diuinos angelos in locum ſibi definitum, iuxta ſtatum & conditionem ſuam exultans tranſportatur.

XXIV. Etiam paruæ tentationi indulgendo, *impeditur in progreſſu virtutis cupidus.* Fidem tibi faciat echeneis tantillus piſciculus, qui prægrandem onerariam ſolo attactu ſiſtit, eiuſque curſum cohibet penitus. Et vides rem maximam præpediri à minima, & meminiſti dicentis, *ego Paulus* (quantus vir?) *ſemel & iterum volui venire ad vos; ſed impediuit nos Satanas.* [1.Theſſ.2.] Cæterùm ne idcirco perturberis: ſed contende magis per patientiam, & gratiam conſequeris.

XXV. Cui bene ac beatè eſt cum virtutibus, ſi per ſocordiam ab officio deflexerit, aſcendent ad eum filij nequam orientalium ab Amalec, & præcipuè à Madian, vis amoris meretricij, cum camelis ipſorum; [Iud.7.] nempe cum imaginationibus turbulentis, quibus non eſt [Num.25.] numerus, & diſperdent omnes terræ fructus, id eſt, optimæ actionis & habitus. Tum porrò eget Iſraël, & puſillo eſt animo, cogiturque clamare ad Dominum, & ita cœlo demittitur bona cogitatio, Gedeonem [Iud.6.] multa cum fide & humilitate imitans. *Familia enim mea infima eſt in Manaſſe,* inquit, vt in trecentis hominibus imbecillibus aciem contra tantas cateruas inſtruam, & admirabilia trophæa citra auxilium gratiæ conſtituam.

[Pſalm.90.] XXVI. Non poteris *ſuper aſpidem, & baſiliſcum ambulare,* & quæ ſequuntur, niſi à Deo per multas, & ſupplices preces angelos impetraris, qui manibus te attollant, & mente luto immerſa ſuperiorem efficiant.

XXVII. Cùm quis ſtrenuè decertans victus fuerit, nequaquam animo

nimo concidat; ſed erectus Iſaiæ verbis lætetur, talia ſuccinens. Confortamini improbi dæmones, & vincimini. Si enim rurſum confortabimini, rurſum vincemini: & ſi conſilia inibitis, diſsipabit ea Dominus, quoniam nobiſcum Deus, qui confractos erigit, & facit inimicos noſtros plangere, ſi pœniteamus. *Iſaia 8.*

XXVIII. Impoſsibile eſt, eum qui inſtituitur tentationum vexationes euadere. Sed tales poſtea multo gaudio, & dulcibus lacrymis diuiniſq; ſenſibus replentur, qui quidem dolorem, & tribulationem in cordibus ſuis expetiuerunt. *Pſalm. 93.*

XXIX. Iſaac volens benedicere, & currens olim Eſau vt benedictionem conſequeretur, ambo fruſtrati ſunt, miſerante Deo, & eam benedictionem Iacob reſeruante. Quod ſi & nos ſæpe videmus, non quem ipſimet omnino voluimus; ſed quem Deus priuſquam eum conderet, ad miniſtrandum deſtinauit, nulla ratione conturbemur: nec inuideamus, cùm fratres quoſdam abiectos, & infimos ad præfecturam prouectos intuebimur. Audiuimus enim Dominum dicentem, *da huic locum*, vt diſcumbat ſuperius. Miremur autem magis in his iuſtum iudicem, ac prouiſorem ſapienter, & arcano decreuiſſe, vt minimus & poſtremus primus, ac cæterorum dux ſit: nos autem ſimus vltimi, qui exercitatione, & tempore illum anteceſſimus. Vt enim cuilibet homini Deus permiſit, ita & ambulemus; *ſi ſpiritu viuimus, ſpiritu & ambulemus*, vt ſcriptum extat. *Geneſ. 27.* *Luca 14.* *Galat. 5.*

XXX. Nunquam patiare eum, qui ſub imperio tuo viuit, dicere tibi, largire mihi poteſtatem ad tempus, vt hoc aut illud probem ad virtutem, & ita rectè in poſterum me geram. Nam qui ſic loquitur; propriæ videlicet voluntati obſequitur, & optimæ ſubiectionis fœdera irrita facit.

XXXI. Carnis & animæ perturbationes quanquam immodicæ, cum tempori, & diuinæ voluntati viſum fuerit, euaneſcent; Chriſti autem miſericordia nunquam deſinet. *Miſericordia enim domini à ſæculo vſque in ſæculum, ſuper timentes eum.* *Pſal. 102.*

XXXII. Regum theſauri auro conſtruuntur: theſauri autem monachorum, qui verè ſunt monachi, ſcientia intellectualium implebuntur.

XXXIII. Nonnunquam magiſter traditur in ignominiã, propter eos, quibus ſpiritualiter commodauit, tentationes ſuſtinens. *Nos enim*, inquit, *ignobiles, & colaphis cædimur, & infirmi ſumus: vos autem fortes, & nobiles in Chriſto eſtis.* *1 Cor. 4.*

XXXIV. Fons, ac fundamentum corruptionis per carnem, eſt cogitatio implicita affectui, quã homo prouidus, ac vigilãs per pœnitentiam

tentiam poſt lapſum, aut etiam ante lapſum ex anima exterminat.
1.Cor.5. Bene enim quod luxiſtis potius, vt tollatur è medio veſtrum, quæ opus iſtuc perpetrare hortata eſt, improba, & impia cogitatio. Igitur luctus ſpiritibus corruptionis opponitur.

XXXV. Fac dominum dicere tibi, aliquando hoc, & hoc chariſma tibi abſtuli, in quo putabas animum tuum ſecurum eſſe, & requieſcere: pro illis autem alia chariſmata, quæ tantum valeant, hæc aut illa dedi. Tu autem ablata cogitans, reddita eorum loco non in-
2. Cor. 2. & 7. tuens, triſtaris, doles, & ægritudine tabeſcis. Sed lætificas me contriſtatus ex me. Contriſto enim ego ad vtilitatem, ſeruare potius, quàm perdere ſtudens, quem in filiorum numerum cooptaui.

XXXVI. Impera tibi non comedere piſcem, & videbis inimicum ad deſiderium edundi piſcis te acriter impellere, & rurſum ad fruendum, quo tibi interdixeras, inſanè feſtinabis: vt diſcas, quæ Ada-
Geneſ. 2. mo in figura contigerunt. Nam ille cùm audiſſet, tantùm ex hoc ligno ne comedas, ad id ſolum quod erat ei prohibitum, cupidiſsimè ſe conuertit.

XXXVII. Alium Deus noſter per ſcientiam, & alium per ſinceritatem, & ſimplicitatem ſaluat.

XXXVIII. Quicunque ad orationem impenſius incumbunt, hi ab horribilibus, & atrocibus tentationibus non expugnantur.

XXXIX. Si vacuitatem affectuum induere conſtituiſti, ne ſollici-
2. Cor. 5. tudine vaces; ſed pro viribus tuis illam aſſequi conare. *Ingemiſcimus enim, habitationem noſtram quæ de cœlo eſt, ſuperindui cupientes:* vt non ſolum corporaliter poſt conſummationem ſæculi; ſed etiam hinc iam ſpiritualiter ſecundum arrhabonem, *quod mortale eſt vita abſorbeatur.*
Ibidem 15. *Abſorpta eſt enim mors in victoria.* Et abſorbebuntur omnes Aegyptij prementes nos, & poſt nos in vndis virtutem de cœlo nobis miſſam perſequentes.

1.Cor.9. XL. Si oblitus es dicentis, *timeo, ne forte aliis prædicans, ipſe reprobus*
1. Cor. 10. *efficiar.* Et, *Qui exiſtimat ſe ſtare, videat ne cadat.* Et, *Tu, qui ſpiritualis es,*
Galat. 6. *conſidera teipſum, ne & tu tenteris*: &, ſi immemor es Salomonis, qui
3. Reg. 11. poſt tantam gratiam ad iniquitatem declinauit: &, ſi memoria ex-
Matth. 26. cidit magni Petri non exſpectata negatio, fide, cognitione, & ſcientia, & conuerſatione tua, tamque diuturnis in vita monaſtica laboribus gloriare, & ſuperbiæ indulge. At enim caue ſis vllo modo reſupineris, frater: verùm quandiu ſpiritum ducis, time, quamuis ætatē
Pſalm. 70. Moſis attigeris: & precare, ac dicito, Domine, *ne proiicias me à facie tua, & in tempore ſenectutis, cùm defecerit virtus mea, ne derelinquas me Deus Saluator meus, quoniam in te cantatio mea ſemper.*

XLI. Ait

XLI. Ait tibi Dominus, tanquam Matthæo, *ſequere me*. Tu igitur longè chariſsimum dominum tuum alacriter ſequens, ſi in via huius vitæ offenderis ad lapidem vitioſæ affectionis pedem tuum, & imprudens in peccatum lapſus fueris; aut ſi etiam ſæpius loca lutulenta inueneris, quoniam non volens prolapſus es, & cecidiſti, quoties contigerit labi, toties & corpus afflicta, & reſurgens, eadem alacritate dominum tuum ſequere, donec ipſum aſſequaris. Sic in ſancta cogitatione apparui tibi, vt viderem ſaluantem me virtutem & gloriam tuam: & *in nomine tuo*, Domine IESV *leuabo manus meas*, & exiſtimabo, & putabo pinguedine & adipe me repleri, *& exultabunt labia mea cum cantauero tibi*. Magnum enim mihi eſt, quod Chriſtianus ſum appellatus: quemadmodum magnus eſt mihi Dominus, dicente Iſaia; *quoniam magnum eſt tibi vocari puerum meum*. *Matth. 9.* *Pſalm. 90.* *Pſalm. 62.* *Pſalm. 70.* *Iſaia 49.* *Matth. 7.*

XLII. Alicubi ait dominus, *dabit bona Pater petentibus ſe*: alicubi rurſum, *Spiritum ſanctum rogantibus ſe*. Quibus verbis intelligimus, non ſolum peccatorum remiſsionem, ſed etiam cœleſtia dona Deo ſupplices conſecuturos, ſententia huiuſmodi confirmatos. Non enim iuſtis, ſed peccatoribus bona talia dominus pollicetur. *Si enim vos*, inquit, *cum ſitis mali, noſtis bona data dare filiis veſtris, quanto magis pater veſter cœleſtis dabit bona petentibus ſe?* Pete igitur feruenter, nec dubita, tametſi quod ad vitam in virtute poſitam vilis, & planè infirmus ſis, & ſupra dignitatem tuam magna accipies. *Luca 11.*

XLIII. Quomodo incredulus, aut modicæ fidei in animum inducat credere? credat formicam volare, & vermem quempiam alatum conſpici, & alia plurima, quæ in creaturis admirabiliter, & præter opinionem fiunt. Vt ſaltem ſic incredulitatis, & diffidentiæ morbo profligato, volatilem de cætero naturam adipiſcatur, & tanquam arbor eximiè prædicandam cogitationem, ac notitiam germinet. Ego enim ſum, inquit, *qui frondere facio lignum aridum, & oſſa arida viuifico*. *Ezech. 17.* *Idem 37.*

XLIV. Abſit à nobis propter res ad corpus pertinentes ſollicitudinibus macerari; tota autem anima credamus Deo, quemadmodum quondam vir quidam bonus dixit, *Credite in Domino Deo veſtro, & ſecuri eritis*. Et, vt ait beatus Petrus. *Sobrij eſtote, & vigilate in orationibus, omnem ſollicitudinem veſtram proiicientes in eum, quoniam ipſi eſt cura de vobis*. Quod ſi etiamnum dubitas, & diffidis, omnino ei te curæ eſſe, vt enutriat te, araneam aſpice, quantumque homo ab aranea differat cognoſce; ab aranea, inquam, qua nihil eſt infirmius, ac inualidius. Hæc nimirum, hæc, inquam, cùm nec poſſeſsiones ha- *2. Para. 20.* *1. Petr. 5.* *Pſalm. 54.*

beat, nec marinas peregrinationes ſuſcipiat, nec in horrea congreget, nec iudicio contendat, nec iraſcatur, ſed in omni manſuetudine, & fragilitate, & ſumma quiete vitam exigat, & viciniſsima curioſè non ſcrutetur, res ſuas tantummodo agat, & in opere proprio ſe ſe contineat, ſtatum tranquillum, & pacatum obtinet, tantùm non
1. Theſſ. 3. voce hac otij, ac deſidiæ amicos appellans, quicunque otiari vult, nec comedere velit. Adeò autem taciturna eſt, vt Pythagoram illum excellenter ſuperet, quem Græci propter linguæ continentiam ſupra omnes philoſophos admirantur. Pythagoras igitur, quanquam non apud omnes loqueretur, tamen certis temporibus exactis, cum hominibus amiciſsimis clam diſſerebat, & ſæpenumero ad boues, & aquilas verba faciens nugabatur, ac delirabat. Vino porrò penitus abſtinens, aquam bibebat. At verò hæc ſilentio quod habet à natura, Pythagoream taciturnitatem vicit, & cum vino etiam aquæ potionem contempſit. In tali igitur, tam quieto ſtatu verſanti imbecillæ, & humili araneæ, nec vſquam foras ſuſtinenti ambulare, nec ex imaginatione huc illuc diuagari, nec innumeris laboribus defatigari,
Pſal. 112. *qui in altis habitat, & humilia reſpicit* Dominus (nihil autem aranea humilius) etiam vſque ad illam, prouidentiam atque curam ſuam extendit, ei quotidie dapiculam mittit, cum prope paruulum eius tabernaculum in ipſius rete minuta quædam inſecta volatilia incidere facit.

XLV. Sed dicet fortaſſe quiſpiam ex his ventris, & gulæ mancipiis, ego multi cibi ſum: & quoniam multa abſumo, ſexcentis vitæ negotiis mihi neceſſe eſt implicari. Verùm & hic cogitet, cete grandia, quæ in mari Atlantico paſcuntur, à Deo vbertim nutriri, neque famem vnquam experiri. Tantum enim vnuſquiſque horum piſcium obſonij deuorat, quantum frequens aliqua ciuitas vno die abſume-
Pſal. 103. re non poſsit. *Omnia à te exſpectant*, inquit, *vt des illis eſcam in tempore.* Quocirca & largum, & parcum cibi Deus eſt qui alit. His auditis & ipſe tu, qui latum, & amplum ventrem habes, Deo, & fidei de cætero te totum permitte, & conſecra, excuſsis multigenis mundi diſtractionibus, animique ſollicitudinibus: *& noli eſſe amplius incredu-*
Ioan. 20. *lus, ſed fidelis*, planè.

XLVI. Si verò Deo placere, & amicitia beatiſsima diligi volumus, mentem noſtram ei nudam exhibeamus, nihil ſecum ex iſto ſæculo trahentem, non commentationem, non ſcitum aliquod inuentum, non iuris ſcientiam, non aliud, & ſi omnem mundi ſapientiam didicerimus. Deus quippe cum magnifica de ſe exiſtima-

tiuncula

tiuncula accedentes, quiq́ue inani gloria paſcuntur, & ſuperbia turgent, auerſatur. Et, bene quidam ſapientum, vanam de ſe opinionem follem & veſicam eſſe aiunt.

XLVII. Quo pacto expugnare poſsimus, quod iam imperium in nos obtinuit peccatum? Opus eſt vi. Ait enim, vir laborans laborat, & à ſe ipſo perniciem amolitur, ſemper annitens ſurſum ferri cogitationibus ſuis, & vim vi repellere, vt dicitur in legibus. Nos itaq́ue vim aliquam adhibeamus, licet infirmiſsimam, & deinde ſuperuenturam ex alto virtutem Hieroſolymis ſedentes exſpectemus: hoc eſt in perpetuis precibus, & aliis virtutibus, donec virtus potens ad nos veniat. Nec enim quandam imbecillimam, noſtræ ſimiliter operantem, ſed virtutem quandam appellari oportebat, quæ per labia corporea efferri non poſſet, quæ multa potentia, & mores improbiſsimos, & diaboli nequitiam vinceret atque edomaret. Vinceret item inhoneſtas corporis motiones. *Factus eſt enim*, inquit, *repente de cœlo ſonitus tanquam ſpiritus vehementis:* vt vitium ſcilicet ſemper nos ad deteriora impellens expelleret. *Lucæ 24.* *Actor. 2.*

XLVIII. Vt leo ouili, ſic inimicus dæmon nobis inſidiatur, laqueos, & pedicas impurarum, & impiarum cogitationum abſcondens. Quin etiam nos, niſi dormiamus, maiores illi, & moleſtiores laqueos ponere poterimus. Oratio quippe, & pſalmus, & vigiliæ, & humilitas, & miniſterium in proximos collatum, & miſericordia, & gratiarum actio, & diuinorum eloquiorum lectio, hæc inquam, inimico inſidiæ, fouea, pedicæ, & cruciamenta ſunt. *Pſalm. 34.*

XLIX. Diuinus Dauid annis admodum prouectus, Deo, à quo eſſet electus gratias agens, in extremo ſic ait: *nunc enim inuenit ſeruus tuus cor ſuum, vt oraret te oratione hac.* Hoc dictum eſt vt nos diſcamus, ad orandum contentionem & tempus requiri, vt tandem imperturbatum animi ſtatum inueniamus: aliud videlicet cœlum cordis, in quo habitat Chriſtus: quemadmodum Apoſtolus ait, *an neſcitis, quia Chriſtus Ieſus habitat in vobis?* *2. Reg. 7.* *1 Cor. 3.*

L. *Si Chriſtus factus eſt nobis iuſtitia, & ſapientia à Deo patre*, certum eſt, etiam factum eſſe requiem. Sic enim ait, *venite ad me omnes qui laboratis, & onerati eſtis, & ego quieſcere faciam vos.* Pulchre igitur dictum eſt, ſabbatum, id eſt, requiem, propter hominem factam eſſe. In ipſo enim, & ſolo Chriſto, Dei filio vnigenito ſcilicet quietem genus humanum adipiſcetur. *1. Cor. 1.* *Matth. 11.* *Marci 2.*

LI. Sicut eſt poculum lapſus, & calix iræ: ſic etiam eſt poculum infirmitatis, quod ablatum à nobis dominus, tempore debito tradit

in manus inimicorum noſtrorum, vt in poſterum non amplius nos, ſed dæmones infirmentur, & cadant.

LII. Sicut in rebus exterioribus ſunt nummularij, textores, aucupes, milites, ſtructores: ſic in interioribus (in cogitationibus nimirum) puta eſſe aleatores, veneficos, piratas, venatores, cynædos, homicidas, & ſimiles, quibus actutum negare aditum per piam contradictionem, & orationem oportet, cynædis potiſsimum, ne ſanctum locum profanent, & hominem Dei inquinent.

LIII. Non ſolùm lingua capitur Dominus, vt ſaluet, ſicut factum in latrone, qui de cruce clamabat: ſed cogitatione etiam. *Dicebat enim intra ſe* (ſcriptum habemus de muliere, quæ ſanguinis fluxum patiebatur) & quæ ſequuntur. Et ſeruus Abrahami de Rebecca apud ſe tacitus coram Domino loquebatur.

Lucæ 23. *Marci 5.* *Geneſ. 24.*

LIV. Propemodum ipſum peccatum pœnitentem ad Deum impellit, cum eius fœtorem, pondus, & inſaniam ſentit. Nolentem verò ad pœnitentiam ſe dare, ad Deum non compellit: quin potius potentia ſua vinculis inſolubilibus conſtringit, vehementiora, & acriora de cætero deſideria perditionis efficiens.

LV. Aliquando in conuiuio arrogans cogitatio ad intempeſtiuè loquendum proſilit. Angelicæ autem cogitationes huiuſmodi nugatoriam & importunam cogitationem eiicere ſeriò monent. Si igitur bono ſilentio ipſam non repreſſeris, ſed inflatus ſuperbia, foras prodire permiſeris, poſtea pœnas dabis, aut cum peccato magno diuinæ vltioni traditus, aut grauibus corporis doloribus, aut non leuibus fratrum offenſionibus, aut futuri ſæculi ſuppliciis. Etenim pro verbo otioſo, & è vana gloria profecto, rationem reddemus, propter linguæ moderandæ imperitiam. Quamobrem ea prouidè cuſtodienda nobis eſt.

Matth. 12.

Pſalm. 103. LVI. Quicunque voluptate, ira, vana gloria, aut ſimili vitio tentantur, hi dicuntur ſole per diem vri, & luna per noctem. Ora igitur diuina, & roriflua nube tegi, vt incendium ab inimicis illatum euadas.

LVII. Neutiquam licentiam apud te tribue vinolentiæ ſatellitibus, & menſæ luxurioſæ aſſeclis, neque parum honeſta fabulantibus, tametſi perſona præſtent, tametſi vitam ſolitariam diu agitarint, ne ſecundùm ſcripturam putredo te operiat, & cum immundis atq; incircumciſis corde auferaris.

Eccleſ. 19.

LVIII. Primum traduntur Petro claues: deinde in negationem prolabi ſinitur, vt eo caſu eius animi præſidentia caſtigetur. Et tu igitur, ſi, cum ſcientiæ clauem acceperis, in varias tentationes incideris,

deris, ne admirere: ſed Dominum, qui ſolus eſt ſapiens, glorifica: qui admiſcentem ſe diuinarum rerum notitiæ arrogantiam afflictionibus coërcet. Tentationes etenim frænum ſunt, & Deo ita prouidente, ſpiritus hominum frænare, ac retinere poſſunt.

LIX. Si bona nobis ſæpe dominus abſtulerit, quemadmodum diuitias Iob, dicamus, *dominus dedit, dominus abſtulit*; vtique mala quæ nobis inuexit, auferet, *bona enim & mala à Deo*, inquit. Et qui induxit nobis mala, idem æternam lætitiam cum æterna gloria nobis inducet. *Sicut enim vigilaui ſuper eos, vt deſtruerem & affligerem: ſic vigilabo ſuper eos, vt ædificem, & non deſtruam, vt plantem, & non euellam, dicit dominus.* Taceat ergo popularis parœmia: Ex quo malè, non amplius bene. Nam qui res in deterius mutauit, eaſdem omnes de improuiſo in conditionem ſplendidiorem reuocare poteſt. *Iob. 1.* *Eccleſ. 11.* *Hiere. 13.*

LX. Qui dæmonibus ſiue per continentiam, ſiue per orationem, ſiue omni genere virtutis vehementius, maioreque contentione inſultat, grauiores ab iiſdem plagas accipiet: donec tædio captus, & reſponſum mortis intellectualis in anima ſua reperiens, dicere poſsit, *Quis me liberabit de corpore mortis huius?* Legibus enim aduerſarij vel inuitus ſubiacere cogor. *2 Cor. 1.* *Rom. 7.*

LXI. Non temere ſcriptum eſt, olim dixiſſe quoſdam inter ſe: *ſurgite, & aſcendamus ad populum confidentem in ſpe, & quieſcentem.* Et iterum, venite aſcendamus, & colloquamur cum ipſis lingua intelligibili doloſa, & auertamus illos à veritate ad nos. Sæui namque dæmones aduerſum eos, qui ſtatum monaſticum quieti, & ſilentio deditum delegerunt, per omnem eorum vitam tentationum gladios acuere, religionique, & diuinæ pietati addictiores furioſius oppugnare conſueuerunt, pugnis intolerabilibus ad peccatum opere perpetrandum eos impellentes, ſi fortè oppugnatos hac ratione à fide in Chriſtum, à ſtudio precandi, & bona ſpe auertere, & auocare queant. *At nos*, inquit Dauid, *non diſcedimus à te*, quoad tentatores à nobis diſcedere iubeas, & per patientiam, ſolidamque, & firmam apathiam viuificemur. Quoniam *tentatio eſt vita hominis*: & agonotheta conniuente ſæpenumero ad tempus conſtitutum ſub pedibus inimicorum ſuorum proſtratus iacet. Magni autem, & excelſi animi eſt, in calamitatibus deſperatione minimè frangi. *Iud. 18.* *Pſalm. 79.* *Iob. 5.*

LXII. Si tantum poteſt dæmon, vt hominem à bono naturæ ſtatu deſciſcentem, in alium habitum mutare, & ad perditionem ipſius transferre etiam nolentem queat, quanto magis angelus, definito tempore Dei mandato accepto, totum hominis affectum ad meliora inflectere poterit? Si frigidiſsimus Aquilo tantum valuit,

*Eccleſ.*43. vt ad lapidum duritiem tenerrimam aquarum naturam immutaret, quid faciet calidiſsimus Auſter, ſi aër valdè refrigeratus, omnia recedere faciat? *Ante faciem enim frigoris eius quis ſuſtinebit?* & quomodo calor ad ſe omnia non aduocabit? Credo igitur frigidum & nigrum carbonem mentis noſtræ ſerius tandem, aut citius calidum & lucidum fore, vbi diuiniſsimus ignis eum afflauerit.

*Pſal.*147.

LXIII. Eſt quidam etiam in præſenti vita ſtatus, teſtimonium & ſignum noſtro in occulto Ioſeph poſitum, propter apathian, ſecundùm quem mens egreſſa ex Aegypto à priſtino paſsionum, & à ſeruitute in cophino impuriſsima recedit. Linguam autem quam non nouerat non audit amplius, linguam dæmonum videlicet, ſordidam, & corruptricem rectæ mentis: ſed linguam ſanctam lucem afferentium angelorum, transformantium animum à corporeo in incorporeum, linguam illuminatiuam animæ ſuſcipientis.

*Pſalm.*80.

LXIV. Audio fratres quoſdam corpore continenter imbecilliores, nec valentes ieiunare, mihi dicere, quo pacto citra ieiunium à diabolo, & à prauis affectionibus liberari poſſumus? Quibus reſpondendum, non ſolum per abſtinentiam eſculentorum, verum etiam per clamorem cordis excuti, & exterminari poſſe mala, malorumq; ſuggeſtores. Clamarunt enim quidam ad dominum cum tribularentur, & liberauit eos. Et rurſum ſcriptum eſt, *de ventre inferi audiſti vocem clamoris mei, & aſcendat ex corruptione vita mea.* Idcirco, *donec transeat iniquitas*, hoc eſt, perturbatio peccati, *clamabo*, inquit, *ad Deum altiſsimum*, vt maximo beneficio me afficiens, impetum peccati ſua poteſtate compeſcat, & mentis affectiouibus vitioſis obſtrictæ ſimulacra deleat, Athenaſque noſtras idolis deditas, idolorum expertes faciat. Si itaque non accepiſti gratiam continentiæ, ſcito: velle Deum per orationem & ſpem orantem te exaudire. Cum noueris igitur domini iudicium, deſperationi caue ſuccumbas, quia te exercere non potes: ſed da operam potius ab inimico liberari per orationem, & patientiam cum gratiarum actione. Si ergo perſecuti vos fuerint cogitationes imbecillitatis & laborum, à ciuitate ieiunij, fugite in aliam, id eſt, ad orationem, & gratiarum actionem.

*Pſalm.*19. *Iona* 2. *Pſalm.*56. *Actor.*17. *Matth.*10.

*Exod.*10. *Luca* 8.

LXV. Pharao ſupplicans, *auferat Deus à me mortem iſtam*, inquit, & exauditus eſt. Similiter dæmones rogarunt dominum, ne in abyſſum mitterentur, & impetrarunt. Quanto magis voti compos fiet homo Chriſtianus, orans, vt à morte ſub intelligentiam cadente liberetur?

LXVI. Qui

LXVI. Qui aliquandiu à diuina gratia illuminatus, in ea conquieſcit, ſubtractaque in vagationes mentis, & inquinamenta incidens, idcirco murmurat, nec virilem induens animum precibus ſalutarem illam plenitudinem recuperare contendit: ſed ægrè fert, & ſtomachatur, ſimilis eſt mendico, qui eleemoſyna ex palatio accepta, moleſtè fert, quia vt cum Imperatore pranderet, non ſit intromiſſus.

LXVII. *Beati qui non viderunt & crediderunt.* Quam beati qui ſubtracta gratia non inuenientes conſolationem in ſeipſis, ſed præſentes potius afflictiones, & denſas tenebras intuentes, non deſperant; ſed fide confirmati, exiſtimant ſe videre eum, qui non videtur, viriliterque malum ſuum tolerant. *Ioan. 20.*

LXVIII. Quæ ex gratia, tempore ſuo, poſt multa certamina, dolorem & lacrymas, quærentibus eam de cœlo donatur humilitas, multis partibus fortior & maior eſt ea humiliatione, quæ virtute amiſſa contingere ſolet. Illa ſuperiore dignati, verè perfecti viri, & à tentationum moleſtiis tuti ſunt.

LXIX. Quando diabolus dominum reliquit, tunc acceſſerunt angeli, & miniſtrarunt illi. Sciendum igitur, ſicut ſcriptum non eſt, dum tentaretur, affuiſſe angelos: ſic etiam dum nos tentamur, ad tempus angeli Dei, non procul tamen ſe ſubducunt. Vbi receſſerunt qui tentabant, ad nos reuertuntur miniſtrantes nobis diuinas cogitationes, ſanitates, firmamenta, illuminationes, compunctionem, conſolationem, patientiam, dulcedinem, & quæcunque ad animam laſſam ſeruandam, corroborandam, recreandamque pertinent. Ait enim Nathanaëli, *videbis angelos aſcendentes & deſcendentes ſupra filium hominis.* Hoc eſt, ſuper omne piorum genus angelorum miniſterium, auxiliumque affatim effundetur. *Matth. 4.* *Ioan. 1.*

LXX. Memento ſacerdotis illius, à cuius dextris ſtetit diabolus, vt cuilibet cogitationi; & verbo, & facto dextero aduerſetur, ne rerũ euentis percellaris, & obſtupeſcas. *Zachar. 3.*

LXXI. Noſſe conuenit monachum, quid ſit infirmitas, ſecundùm illud, *miſerere mei domine. quoniã infirmus ſum*: & quid ſit apoſtaſia à Deo: quæ quidem morbus eſt diaboli, & angelorum eius. *Pſalm. 6.*

LXXII. Quemadmodum ferrum ignis coniunctio facit intractabile: ita crebræ orationes mentem validiorem efficiunt ad conflictũ cum hoſtibus ineundum. Quocirca ſumma vi horrorem quendam aſsiduæ orationis immittere nobis conantur, cum ſciant eam ipſis inſidiatricem, animo vero propugnatricem eſſe.

LXXIII. Eo-

LXXIII. Eorum qui ſecum è Siceleg aduerſum alienigenas profecti erant promptum animum, Dauid gratum habuit, tametſi viribus laſsi, apud torrentem Beſor remanerent. Cum autem parta de barbaris victoria ad eos reuertiſſet, & audiret quoſdam dicentes, nihil de præda cum illis communicandum, qui ex laſsitudine ad torrentem conſediſſent, erubeſcentes, & obmuteſcentes illos humaniſſimus Dauid ita defendit, vt diceret, quoniam ſediſſent ad ſarcinas & impedimenta, eaque cuſtodiſſent, ob id etiam æqualem partem cum fortibus & magnanimis bellatoribus ferre oportere. Conſidera igitur, num etiam in fratre quopiam, qui ſe principio feruentem demonſtrarit, poſtea aliquantum inertiæ ſuccubuerit, vaſa ſiue ſarcinæ ſalutis intelligi queant fides, pœnitentia, humilitas, lacrymæ, patientia, ſpes, longanimitas, & virtutes reliquæ, quibus imbecillus actione aſsidens, & aſsiduo incumbens exſpectatione in Chriſto, vt conſentaneum eſt, aliquod donum ſempiternum conſequatur.

1. Reg. 30.

LXXIV. Leuitæ quidem, & ſacerdotes vocati ſunt, qui ſeſe totos per omnia Deo conſecraſſent, actione & contemplatione, inquam: iumenta verò leuitarum dicuntur qui animi perturbationibus vacantes per veſtigia ſequi non poſſunt, cupidi tamen ſunt virtutis, & pro captu ſuo illi ſtudent, & eam expetunt quotidie, etiam ſi vitiis eneruati, ſæpius ea fruſtrantur. Aequum porrò eſt, aliquando & *hos* apathiæ chariſma, ſola Dei benignitate accipere: *deſiderium enim pauperum exaudiuit dominus.*

Pſalm. 9.

LXXV. Plagas, quas nobis inimicus ſeu apertè, ſeu occultè infligit, videmus, cruciatus autem & dolores, quos à nobis officio virtutis fungentibus, aut de peccatis pœnitentibus, aut patienter ferentibus ac tolerantibus, quæ præter voluntatem eueniunt, aut orantibus, aut alia ſedulò agentibus, propter quæ ille diſrumpitur, & torquetur, & plorat, & plangit, hæc omnia nos, ita Deo volente, non videmus. *Iuſtum eſt enim*, inquit, *apud Deum retribuere tribulationem iis qui vos tribulant.*

2. Theſſ. 1.

LXXVI. Si caudex vetulus aut in planitie, aut in monte aquis irrigatus reuireſcit, quaſi recens ſatus, par eſt nos quoque ſancti Spiritus virtute excitatos incorruptionem regerminare, quam ſecundum naturam accepimus, & velut recentem ſtirpem æſtate frondeſcere, tametſi veterem hominem ſuper induti ſumus.

LXXVII. Ad animam propter magnitudinem tentationum, & multitudinem peccatorum ſibi diſplicentem, dicentemque periit ſpes noſtra, occidimus, dictum eſt à Deo, qui ſalutem noſtram non deſpe-

deſperat, *viuetis, & cognoſcetis quia ego ſum dominus.* Ad animam autem dubitantem, quo pacto per magnas virtutes parere Chriſtum queat, dictum eſt, *Spiritus ſanctus ſuperueniet in te.* Vbi autem Spiritus ſanctus adeſt, ne tu de natura & conſuetudine amplius cogites: poteſt enim omnia adorandus ſpiritus, & non extantia tibi producit, vt obſtupeſcas. Quin etiam mentem antea victam, nunc victricem reddit. Qui enim de cœlo ſuper nos propter miſericordiam venit Paracletus, ſupra omnes eſt: omnibus enim & naturæ motibus, & à diabolo excitatis paſsionibus ſuperior eſt. *Iſaia 49.* *Luca 1.*

LXXVIII. Enitere vt ſplendorem, ac lucem in ea parte animæ tuæ illæſam cuſtodias, cui tributus eſt à natura principatus. Quod ſi aſpicere cum perturbatione cœperis, obtenebrauit te dominus, & emiſit frœnum ante faciem ſuam; aut lumen oculorum tuorum non eſt tecum. Sed quamuis hæc ita habeant, ne deficias, nec defatigere. *Pſalm. 37.*
Ora autem cum ſancto Dauide, *Emitte lucem tuam, & veritatem tuam mi-* *Pſalm. 42.* *Pſalm. 37.*
hi, qui contriſtatus ingredior: ſalutare vultus mei, & Deus meus. Emittes enim *Pſalm. 41.*
ſpiritum tuum, & creabuntur: & renouabis faciem terræ. *Pſalm. 103.*

LXXIX. Beatus qui in hac vita inſatiabiliter noctes & dies preces, & pſalmos comedit ac bibit, & ſeipſum præclara ſcripturarum lectione corroborat. Nam iſtiuſmodi vſus perfectam & cumulatam animę lætitiam in futuro ſæculo producet.

LXXX. Tota virtute caue ne cadas: cadere enim fortem athletam haud decet. Quod ſi cadere contigerit, illico reſurge, rurſumque ad certamen conſiſte, etſi millies id ex carnis fragilitate contingat. Scriptum eſt enim, *ſepties cadit iuſtus*, hoc eſt, in omni vita, *& ſepties reſurget.* Quandiu tenes arma ſancti habitus, cum lacrymis Deo ſupplex ad ſtantes te adiungis, quanquam ſæpe cecideris. Quamdiu monachus manes, quandiu generoſus bellator contra aduerſarios plagas ſuſcipis, per quas potius laudaberis, quia neque percuſſus cedere aut deficere ſuſtinueris. Quod ſi monachorum ordinem deſerueris, de reliquo in tergo vulneraris, vt fugitiuus, vt timidus, vt ordinum deſertor, vt qui intrepidus apparere non audet. *Prouer. 24.*

LXXXI. Grauius eſt deſperare, quam peccare. Iudas proditor puſillanimis erat, & belli indoctus: quare deſperantem inſecutus inimicus, ſuſpendio admouit. Aſt Petrus firma illa petra horribili caſu depreſſus, non deflexit à tramite, nec fracto animo deſperauit: ſed ſuſtulit ſe, & è corde contrito amariſsimas lacrymas obtulit, ipſiſque vt flammis rapidiſsimis oculos ardentes habens, reſiluit longè fugiens, & acerbè eiulans.

LXXXII. Aduerſus hæc tria potiſsimùm monachus bellum gerere debet implacabile, nempe aduerſus inſanum ventris & gulæ ſtudium, aduerſus vanam & inutilem gloriam, & aduerſus auaritiam, quæ eſt idolorum ſeruitus. *Epheſ. 5.*

2. Par. 20. LXXXIII. Quidam Iſraëlitarum rex Troglodytas, alioſque barbaros pſalmis, hymnis, cæteriſque canticis ſpiritualibus, in ſermonibus, & organis Dauidicis debellauit. Habes & tu barbaros Troglodytas, dæmonas nimirum, ſenſus, & membra tua ſubeuntes, carnemque per tentationem agitantes, & per titillationes fumum excitantes, facienteſque te non abſque affectu odorari, audire, & oculos adulterij plenos habere, & babylonica confuſione intus extraque confundi, & verba immoderata profundere. Ergo tu ſimiliter Troglodytas iſtos, malarum in te rerum artifices, vt fide magna, & pſalmis, & hymnis, & canticis ſpiritualibus funditus extermines, curam, & operam impende.

LXXXIV. Quemadmodum Deus hominem hominis opera ſaluari, ita Satanas hominem per hominem perdi vult. Quocirca ne familiariter vtare homine contemptore aliorum, verſuto, & loquace, ne cum illo in ſupplicium abeas: vix enim quis cum iuſto verſans, ſalutem conſequitur. Quod ſi cuiquam cum improbo conſuetudo interceſſerit, nec ſibi tanquam à peſte & lepra cauerit, facilè naufragium inueniet. Quis porrò miſereatur amicè, & hilariter verſantis cum dracone? Fuge igitur linguæ vtendæ imperitos, & contentionũ auctores, externiſq; & internis membris inquietos.

Oſea 14. LXXXV. Quis ſapiens & intelligens, & amicus Dei appellari cupiens, vt animam ſuam Christo exhibere ſtudeat talem, qualem ab illo accepit, puram videlicet, ſine vulnere, & totam ſine macula, atq; idcirco in cœleſtibus coronetur, & ab angelis beatus prædicetur?

LXXXVI. Vnum verbum bonum ſceleſtum illum latronem in *Num. 20.* diuinum paradiſum introduxit: & vnum verbum indecens ſancto Moſi terram promiſsionis intercluſit. Ne igitur linguæ morbum cõtemnendum exiſtimemus. Conuitiatores enim, & nugatores ſibi i- *Pſalm. 139.* pſis regnum cœlorum præcludunt. Quamobrem vir linguoſus etſi hîc dirigatur, ibi non dirigetur: quin potius ſupplantabitur, & mala apprehendent ipſum in præditionem. Scitè dictum à quodam ſapiente, melius eſſe ab alto cadere in pauimentum, quam cadere à *Iacob. 1.* lingua. Credendum itaque Iacobo Apoſtolo ſcribenti: *ſit omnis homo velox ad audiendum, tardus autem ad loquendum*:

LXXXVII. Ne

LXXXVII. Ne decepti à ſenſibus circa vanitates, animis eleuemur, expedit auſcultare dicenti: vade populus meus, ingredere in penetrale, ſeu cubiculum cordis tui, omni rerum ſenſibilium cogitationi occultum & abſconditum, imaginum ſimulacrorumue expers habitaculum, apathia, & obumbratione cœleſtis gratiæ fulgidum: claude oſtium omnibus aſpectabilibus, paululum, & tantillum abſcondere, breuis eſt enim vitæ humanæ curſus vniuerſus: ac tum dicito, *Donec pertranſeat furor tuus*: quomodo alius dicebat, *Donec tranſeat iniquitas*. Nam fortaſsis propter iram Domini dæmones ad vitioſas affectiones, & peccata nos irritant: quemadmodum Iſaias Deum alloquens ait: *Ecce tu iratus es, & peccauimus*. Hanc iram effugit, qui continenter in corde ſuo precibus factitandis incumbit, & intra adyta ſe tenere contendit. *Et trahe*, inquit, *ſapientiam ſuper intima. Gloria enim*, inquit, *filiæ regis ab intus*. Laboro autem ego vſque ad laſsitudinem, donec *intrem in ſanctuarium Dei*: *& in montem hæreditatis*, inquit, *ad præparatum habitaculum tuum, quod præparaſti Domine*. *Iob. 14. Pſal. 56. Iſaia 64. Iob. 28. Pſalm. 44. Pſalm. 72. Pſalm. 31.*

LXXXVIII. Qui ex animo rebus caducis nuntium mittere vult, beatum Eliſæum prophetam imitetur, qui multo, & ardenti erga Deum amore flagrans, nihil ſibi reliquit. Omnia igitur quæ poſsides, in pauperes & monachos diſpertire. Atque ita Chriſti cruce ſublata, voluntate ac propoſito ad mortem voluntariam feſtina, quæ tibi vitam æternam concilie t. *3. Reg. 19.*

LXXXIX. Cum Amorrhæum in te inſtar quercus cõualuiſſe ſenſeris, Deum iugiter ora, vti arefaciat fructum eius deſuper: hoc eſt, peccatum in opere: & radices infra, id eſt, impuras cogitationes: & vt Amorrhæum exterminet à facie tua. *Amos 2.*

XC. Mirari non debetis, ſi videatis, quietem veſtram haberi ludibrio ab his, qui ipſi quieſcere non poſſunt. Immò potius aduerſum eos pſallite, de vltione tamen non cogitate, ſubiectionemque maiorem erga Deum illis opponite, clamantes in hymnis, *Veruntamen Deo ſubiecta eſto anima mea. Pro eo vt me diligerent, detrahebant mihi*: ego autem pro mea eorumq; ſanitate ſuppliciter oro. *Pſalm. 61. Pſal. 108.*

XCI. Sicut in mari, cùm non ſpirat ventus vehementior, fluctus non attolluntur: ſic dæmone non præſente, perturbationibus tanquam procella quadam nec anima, nec corpus noſtrum iactatur.

XCII. Si ſemper oratione, & diuina gratia ferbueris, & ſtola tua caluerit, dicet tibi ſcriptura, vt arma lucis induto: *inimici enim tui ſicut diploide confuſione, & terrore operti ſunt*. *Pſal. 108.*

XCIII. Dum peccatorum tuorum recordaris, ne te pigeat pectus verberare: vt plagis huiuſcemodi tanquam lapidem caues obdura-

Luc. 18. tum cor tuum, inuentoque auro, quale publicanus ille habuit, ſuper diuitiis occultis vehementer gaudeas.

Epheſ. 6. XCIV. Ignis precum ad Deum, & ſacra meditatio eloquiorum ſpiritus, ſuper altari animæ tuæ ſemper ardeant.

XCV. Si ſemper ſtudueris calceari pedes in præparationem euangelij pacis, planè etiam domum tuam, & proximi tui ædificabis. Sin autem deſidia te occupauerit, diſſoluetur, ita vt non videas, & ſecundùm legem hæreditabis nomen ſoluentis calceamentum. *Deut. 25.*

XCVI. Ne velis vnquam præferre monacho ſæcularem, habentem vxorem & liberos, gaudentem de beneficentia in multos, deque liberalibus eleemoſynis, deque tentationibus, quas à dæmonibus nullas patiatur, te ipſum illo minus Deo placere exiſtimans. Ne te ipſum lamentare, quaſi iam perieris. Non ego dico te inter monachos perſeuerando vitam nulli reprehenſioni affinem viuere: ſed quamuis magnus peccator ſis, ærumna animæ tuæ, & afflictatio quãtumuis egregia virtute vitæ ſæcularis apud Deum plus valet. Ingens inquam triſtitia tua, animi deiectio, gemitus, & angor incredibilis, lacrymæ, conſcientiæ ſtimuli, cogitationum anguſtiæ, mentis accuſatio, planctus & fletus animi, cordis eiulatus, contritio, confuſio, labor, miſeria, contemptus. Hæc omnia, & horum ſimilia, quæ in *Deut. 4.* ferream tentationum fornacem miſsis frequenter eueniunt, præſtantiora & acceptiora ſunt multis partibus, quam hominis mundani bona opera. Caue igitur ne querimoniæ illius ſis particeps, qua di-*Malach. 3.* citur in ſacra ſcriptura, in perſona tua, *quid nobis profuit, quod triſtes ambulauimus ante faciem domini omnipotentis*, & in domo eius manſimus ſemper? Certum eſt enim ſeruum omnem, quamuis patrifamilias *Heb. 12.* familiarem, aliquando etiam plagis affici, & pugnos ingeri populo appropinquanti ſibi. Qui autem foris ſunt, quandiu procul à plagis ſunt, vt alieni, aut nothi, aut neglecti reputantur. Quem ergo fructum cepimus, inquit, nos tribulationibus ſubditi anima, & corpore, qui perpetuò oramus & pſallimus? Contrà, qui nec precationes frequentant, nec vigiliis gaudent & lætantur, hi proſperantur, hilariter vitam exigunt: atque vt Propheta ait, *ecce domus alienæ ædificantur, & nos beatos dicimus alienos.* Et mox ſubiungit; hæc locuti ſunt, *timentes dominum, vnuſquiſque ad proximum ſuum.* Veruntamen tenendum, nihil nouum pati eos, qui tribulantur, & diuerſis modis affliguntur, per multas tentationes iugum domini ſui ſuſtinentes. Au-*Ioan. 16.* dierunt quippe illum in Euangelio dicentem, *amen dico vobis, quia plorabitis & flebitis vos famil ares mei, mundus autem gaudebit.* Et adhuc modicum, & viſitabo vos per paracletum, expellamque triſtitiam veſtram,

ſtram, & recreabo vos cogitationibus cœleſtibus vitæ & requiei, & dulcibus lacrymis, quibus ad paucos dies dum tentaremini caruiſtis. Et dabo vobis inſuper vbera gratiæ, ſicut mater infanti in cunis vagienti. Et corroborabo inter vos ſuperna virtute, qui in bello debilitati fuerant: & reficiam vos dulcedine, qui repleti fuiſtis amaritudine, vt ait in threnis Hieremias de te Hieruſalem in occulto. Nam tu quoque oppreſſa es amaritudine. *Sed iterum videbo vos, & gaudebit cor veſtrum* per occultam viſitationem, & tribulatio veſtra in gaudium conuertetur, & gaudium veſtrum nemo auferre poterit. *Hierem. 3.* *Ioan. 11.*

XCVII. Ne igitur oculos claudamus, neue cæcutiamus, ſæculares ſupra nos laudibus efferentes. Sed ſcientes diſcrimẽ filiorum legitimorum ac ſpuriorum, vſitatam monachis afflictionem, & laborem potius amplectamur, cuius finis in vitam æternam deſinit: & immarceſsibilem gloriæ Dei coronam attrahamus, aſcetarum etiam qui videntur peccatores, ne iuſtorum labores dicam, & abiectum eſſe in domo Dei, id eſt, in ordine continenter Chriſto ſeruientium: & non habitare in tabernaculis peccatorum, aut degere cum ſæcularibus, quantumuis iuſtis non vulgariter. Ait enim tibi, ô monache, pater tuus cœleſtis, qui te ſummopere diligit, & tribulat, & defatigat variis tentationibus. Scito monache afflicte, quoniam ſicuti per Prophetam locutus ſum. Ero caſtigator tuus, & occurram tibi in via Aegypti, tribulationibus te exercens, & vias tuas vituperabiles ſepiam ſudibus meæ prouidentiæ, pungens calamitatibus improuiſis, & impediens, vt ne quæ vis corde inſipienti, in opus omnino conferas. Et ſepiam mare paſsionum tuarum portis mearum miſerationum; & ero tibi vt panthera, comedens te cogitationibus reprehenſionis, deſperationis, pœnitudinis, in conſcientia ignoratorum tibi. Omnes porrò hæ afflictiones, maxima ſunt Dei gratia. Nec ſolum panthera, ſed & ſtimulus tibi ero cogitationibus compunctionis, & doloribus cordis te fodicans. Et non deficiet dolor de domo tua, videlicet de anima & corpore tuo, bene & vtiliter ferientibus dulcibus reuera & mellifluis Dei pœnis. *1 Petr. 1.* *Pſal. 83.* *Ierem 30.* *Exod. 4.* *Oſea 2.* *Oſea 13.*

Finis autem pœnæ, & laborum, & perturbationis, & confuſionis, & timorum, & deſperationum, quæ accidere conſueuerunt ſe exercere inſtituentibus, horum omnium tam triſtium finis eſt gaudium cœleſte, & deliciæ inexplicabiles, & gloria ineffabilis, & exultatio nunquam deſinens. Propter hoc enim te tribulaui, inquit, vt paſcam te manna ſcientiæ, fame te cruciaui, vt

vt in extremis benefacerem tibi, & in regnum ſupernum te introducerem. Tunc enim tripudiabitis monachi humiles, veluti vituli tenelli è vinculis emiſsi, à tribulationibus nimirum carnis, & tentatione inimicorum. Et tnnc conculcabitis improbos dæmonas, qui nunc vos conculcant, & erunt puluis ſub pedibus veſtris. Si enim pius & humilis fueris, inani faſtu non eleuatus, nec temerarius: ſed fracto corde, te ipſum ſeruum inutilem reputans, & ſpiritu contrito, ſi ita humilis fueris, inquam, melius eſt tuum, ô monache, peccatum iuſtitiâ ſæcularium: & potiores tuæ ſordes, magna eorum munditia, qui huic vitæ ſeruiunt. Quid enim eſt, propter quod affligeris? Prorſus macula eſt. Sed vide hominem aliquem, picatum manus, modico oleo purgatum. Multo ſanè magis tu purgari poteris miſericordia Dei. Sicut enim tibi non eſt difficile lauare hoc veſtimentum: ſic multo magis non eſt difficile domino lauare te ab omni macula, tametſi quotidie, vt veriſimile eſt, aliquid ex tentationum neceſsitate innaſcatur. Nam dum dicitur, peccaui domino, reſponſum redditur, dimiſſa ſunt tibi peccata tua. Ego ſum qui ea deleo, nec memorabor. *Quantum enim diſtat oriens ab occidente, longe fecit à te iniquitates tuas.* Miſeretur pater filiorum * modo tu non deficias, neque reſilias à pſallendo & orando: ſed adhæreas * vitæ tuæ * & ipſe emundat ſuo nutu * Deus ſua voluntate mundat; nec ſi ipſe magnus apoſtolus fuerit impurum reddere aut damnare poterit. Dictnm eſt enim illi, *quod Deus purificauit, tu commune ne dixeris.* Si enim Deus eſt, qui ſua benignitate iuſtificauit nos, quis eſt qui condemnet nos? Inuocantibus enim nobis nomen domini noſtri Ieſu Chriſti, facilè purgatur conſcientia noſtra, & nihil diſcernit inter nos, & Prophetas, & alios ſanctos. *Non enim poſuit nos Deus in iram, ſed in acquiſitionem ſalutis per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, qui mortuus eſt pro nobis, vt ſiue vigilemus* in virtutibus, *ſiue dormiamus* aliquo caſu, vt eſt conſentaneum, in quibuſdam imperfectionibus, *ſimul cum illo viuamus*, ad ipſum reſpicientes magnis cum gemitibus, & lamentantes, & ipſi confitentes, ipſumque ſine fine inuocantes, & ipſum ſpirantes. Induamus igitur loricam fidei, & habeamus galeam ſpei ſalutis, ne ingreſſum inueniant membra deſperationis, & diffidentiæ.

Lucæ 17. — *2. Reg. 12.* — *Iſaia 43.* — *Pſal. 102.* — *Actor. 2.* — *Rom. 8.* — *1. Theſſ. 5.* — *1. Theſſ. 5.*

Sed ego, inquis, iraſcor, & mihi rumpuntur ilia, cum ſæculares video non tentari. Scito dilecte, Satanam non opus habere eos tentare, qui ſemetipſos tentant, & ſemper rebus ac negotiis caducis in terram trahuntur. Hoc quoque ſcias velim, tentatis

tis brauia & coronas eſſe repoſitas. Nec enim nihil de Deo ſollicitis, neque ſupine iacentibus, & ſtertentibus ſæcularibus *** Ego enim, inquit, percuſsi, per internam deſolationem, ego ſanabo. *Nunquid poteſt mulier obliuiſci, vt non miſereatur filio vteri ſui: ita nec ego tui obliuiſcar, dicit dominus.* Si enim viſcera auis ſuper pullos ſuos effuſa ſunt, & in horas viſit illos, & vocat eos, & cibum ori inſerit, multo amplius miſerationes meæ ſuper creaturas meas effunduntur; multo amplius viſcera mea ſuper te effuſa ſunt, & viſitabo te occultè, & colloquar tecum in animo, & alimoniam immittam menti hianti, vt pullo hirundineo. Alimentum enim tibi ſuppedito timoris Dei, & alimentum amoris cœleſtis, & alimentum gemituum ſolatia, & alimentum compunctionis, & alimentum modulationis, & alimentum ſcientiæ altioris, & alimentum diuinorum quorundam myſteriorũ, & reliqua deinceps. Si mentior iſta loquens tibi dominus & pater tuus, redargue me, & feram. *Oſea 6.* *Iſaia 49.*

Hæc nobis dominus ſemper apud animum loquitur. Ego verò longiuſcula ſcriptione modum exceſsiſſe me non neſcio: ſed vos me ad hoc faciendum, & ad centum capita aſcetica exponenda, & vt in centeſimo diutius immorarer; ad lapſos erigendos, ad confirmandos qui ex negligentia labendi periculo proximi eſſent, cohortati eſtis. Quod inuenti ſint apud vos in India, vt mihi quidem ſcripſiſtis, fratres nonnulli præter opinionem magnopere tentationibus impliciti, vt tæderet eos etiam vitæ huius, & inſtituti monachorum, qui dixerint, eſſe arctum, & mille periculis plenum, & ſæculares beatos prædicarint, deteſtatos diem, quo habitum induiſſent. Quæ cauſſa me coegit, vt hoc centeſimum caput producerem, & verbis non exquiſitis, vt etiam idiota, & illiteratus lecta intelligere poſſet. Idcirco plura attuli, vt in poſterum non ſæculares, ſed ſe ipſos ſolos beatos iudicent, monachi, qui citra omnem controuerſiam maiores ſunt Imperatoribus diadema ſuper caput in terris geſtantibus, & clariores, & glorioſiores, vtpotè qui Deo ſemper adhæreant. Ego autem qui hæc ſcripſi, charitatem veſtram rogo, vt in precibus veſtris mei aſsiduò recordemini, quò miſer dignus efficiar Chriſti gratia, & bono atque optimo fine viuendi ſpatium abſoluam. *Pater autem miſericordiarum, & Deus totius conſolationis* donet vobis conſolationem æternam, & ſpem bonam in Chriſto Ieſu domino noſtro, cui gloria & imperium in ſæcula ſęculorum, *2. Cor. 1.*

Amen.

SEQVVNTVR EIVSDEM A-lia capita, numero XCIV.

I. Omnia prognata ſunt bona ex bonis, nec eſt quidquam in rerum natura malum: quandoquidem ex eo quod ſecundum eſſentiam bonum eſt, mali quippiam exiſtere non potuit.

II. Quod eſſentia bonum eſt, propriè eſt, & ſemper eſt, & ſimiliter eſt: quod eſt omnium principium ſine principio, vnitas ineffabilis, & triplex ſubſiſtentia. Pater à ſemetipſo, non aliunde fluens & æternus, genitor filij eſſentialiter, Spiritus ſancti fons.

III. Omnia quæ ſunt, ex non exiſtentibus extiterunt, eſſe videlicet adepta voluntate eius quod eſt. Nam ſi quod ortum non eſt, id ſolum eſt, quæ orta ſunt, non eſſe dicuntur, ex eo quod eſt eſſe mutuantia. Quod ſi eſſe acquiſitum adepta ſunt, non ab æternitate vnà cum illo exiſtunt: ſiquidem principium & finem ſuum habent Deũ, Deus verò nec principium, nec finem habet, cum ipſe ſit omnium cauſſa & finis.

IV. Quod natum non eſt, infinitum eſt: natum autē finitum. Quomodo igitur finitum infinito ab æterno coexiſtet? Natum enim conſiderans animus, vt quod eſſe cœperit, quia natum eſt, præterit illud, & ad ingeneratum, principij expers principium deueniens, vltra *id* non inuenit ἀσυνύπαρκτον, ipſa deitate ex ſe genita, vel potius præexiſtente his; ita, vt intellectus noſter capere nequeat, & eſſe largiente non habentibus. Quare ſi te ipſum contraxeris ac circumſcripſeris, cogitationem ab incomprehenſa contemplatione, quomodo Deo coëſſe queant ab ipſo producta, compeſcas: quomodo producta ſint illum ſcire ſinens, qui ex eo primariè natus eſt.

V. Qui ſeruat leges, cognoſcat rationes τῶν ἐκ μὴ ὄντων. Qui autem intellexit rationes τῶν ἐκ μὴ ὄντων, ad cognitionem τοῦ ὄντος proficiens peruenit.

VI. Quemadmodum ſol ſub ſenſum cadens oculis ſanis rerum aſpectabilium elegantiam demonſtrat: ita ſol qui intelligentia comprehenditur, eorum rationes purè oſtendit.

VII. Qui iiſdem perturbationibus ſunt obnoxij, concordia priuantur: qui autem eandem virtutem colunt, pace potiuntur. Nam iracundus cum iracundo verſans, aut auarus cum auaro, aut guloſus cum guloſo, turbas & triſtitiam habebit, inter ipſum & quicum agit amore ſui ſemper intercedente, ſuadenteque, vt in acquirendis cupitis meliori velit eſſe conditione. Vnde alterum ſequitur, in deſiderabilium

rabilium comparatione iucundorum priuatio, per quam triſtitia & ira conflari ſolet, quibus vnionis bonum perditur. Qui verò eaſdem virtutes colunt, ab ipſis bonis, quæ ab vtriſque amantur, *ad pacem quæ exſuperat omnem ſenſum*, rediguntur. Continens enim reſpondet continenti, modeſtus modeſto, pecuniæ contemptor & manſuetus, & vt breuiter dicam, quicunque hac & reliquis virtutis generibus ornatus eſt, citra moleſtiam & diſsidium iiſdem moribus prædito cohabitat. Solum quippe bonum ſibi amicum, malum autem ſibi inimicum eſt. *Philip. 4.*

VIII. Si nihil in rerum natura ipſum ſibi aduerſatur, improbitas autem ſecum pugnat, quomodo ſubſiſtentiam habet?

IX. Si primum bonum id eſt, quod propriè eſt, meritò dicendum, malum non eſſe: ſiquidem quod eſſentia ſua bonum eſt, aliquod oppoſitum & contrarium habere non ſuſtinet. Quod ſi malum non eſſe demonſtratur (habere enim quippiam eſſe abſq; eo quod eſt, nullo modo poteſt, & ex eo quod eſſentia bonum eſt, ſubſiſtere malum, alienum eſt) ergo malum ſubſiſtentiam non habere oſtenditur, quandoquidem ex eo quod eſt, non habet eſſe, ſine quo eſſe habere, impoſſibile eſt.

X. Sicut quæ ſentiuntur tenebræ, nâtura ſua non ſubſiſtunt, lux autem natura ſua eſt (nihil ſiquidem aliud ſunt tenebræ, niſi vmbra corporis, locum circumfuſum ex oppoſitione corporis vnde venit opacans. Id quod perſpicuè oculi corporei actio declarat. Nam intra palpebras habitans, ſi ſemet operuerit, propter diſiunctionem à luce, contingentes tenebras habet: rurſum apertis palpebris, tenebræ, quæ ex eorum vmbra euenerant, cum non ſubſiſtant, illico euaneſcunt, lux vero ſubiecta, & natura ſubſiſtens, denuo recipitur) ſic igitur etiam improbitatem ſe habere exiſtimandum eſt (cuius tenebræ, de quibus diximus, ſymbolum & nota ſunt) quæ ſimul ex boni declinatione exiſtit, cum natura ſua non ſit. Nam ſi nobis ipſis, vt æquum eſt, fidem habere velimus, facilè perſpiciemus, malum eſſe declinationem animi à bono, ſine qua non erit, cum natura nihil ſit: ſed natum ex eo quod eſt per priuationem quo obumbratur id, quod nō eſt. Euaneſcit autem totum, ad vnionem illius vnde extitit, reuerſum.

XI. Progreſſuum varias aiunt eſſe ſpecies, perfectionis non eſſe: caret enim varietate, vniformem cognitionem pro fine habens, quæ eſt omnino actionis & contemplationis finis infinitus.

XII. Cum ſint tres cognitiones & ſcientiæ, maximè vniuerſales, Practica, inquam, Phyſiologica, & Theologica, primæ homines fieri doctores & magiſtri poſſunt: ſecundæ angeli (& eſt huius finis na-

turæ illorum accõmodatior, quam primæ) tertiã ipſum ſubſtantiale Verbum nos initiat.

XIII. Qui putat ſe aliquid eſſe propter eſſe, nondum eò peruenit, vt reuera ſit aliquid. Nam putare eſſe, quod iam non eſt, non ſinit euadere ad eſſe quemadmodum eſt.

XIV. Superba opinio de ſcientia ſua, priuat ſcientia: & quæ illi cõtraria eſt, ignorantiam generat.

XV. Si in vallibus potius enaſcuntur lilia, ergo etiam quæ has in humilitate acceſſerit anima, lilia germinabit. Ait enim ſponſalis liber, *ego flos campi & lilium conuallium.* Cant. 1.

XVI. Humilitas eſt cognitio propriæ infirmitatis & egeſtatis, cum in ſua eſſentia defectum & paupertatem mens contemplatur. Siquidem cum non eſſet, voluntate eius qui eſt, eſſe accipiens, non eſt ipſa ſibi ad eſſe ſufficiens: voluntate autem creatoris ſui continetur, vt ſemper maneat, & vt bene ſit, communione eius qui eſt, acquirit. Cuius enim natura aliunde eſſe habet, eius etiam naturales prærogatiuæ inde proueniunt.

XVII. Omne quod non eſt ἀγέννητον, hoc eſt, origine carens, non eſt ſibi ſufficiens. Quod non eſt ſibi ſufficiens, eius quod ortum non eſt, & ſibi ſufficit, auxilio eget. In iis autem quæ originem habent, etiam mens humana cenſetur: non igitur ipſa ſibi ſufficit. Quare Dei ſui auxilio eget, ſine quo boni quippiam operari nequit. Quamobrem oportet bene facientem ad ſuppeditatorem roboris recte factum ſuum referre, ac dicere, ipſe dat fortitudinẽ, & virtutem ad faciendum. Et, *fortitudo & laus mea dominus, & factus eſt mihi in ſalutem.* Et, non ego hæc aut illa bona feci, *ſed gratia Dei mecum.* Pſalm. 67. & 117. 1. Cor. 15.

XVIII. Recte factorum ſibi cauſſam adſcribentem, & ſe ſupra fratres: vt tepidos, ac languentes efferentem, per Paulum cum exprobratione Dominus compellat. *Quid enim habes, quod non accepiſti? Si autem accepiſti, quid gloriaris, quaſi non acceperis? Ecce relinquitur tibi domus tua deſerta* à cura & prouidentia mea. 1. Cor 4.

XIX. Mitis, & humilis ſanctum eſt Deo diuerſorium. *Super quem enim*, inquit, *requieſcam, niſi ſuper mitem, & humilem, & quietum, & trementem ſermones meos?* Iſaia 66.

XX. Quando timor nobis inſitus timet *τὸ ὄν, id quod eſt*, puta Deum, naſcitur religio. Quando autem timet quod non eſt, vertitur in timiditatem: quæ cur ad meliora proficiat, cauſſa eſt cognitio, & memoria mortis, & exſpectati iudicij ineuitabilis iuſtitia. Lapſus autem ad deteriora amor corporis, & mundi, & qui inde conflatur iracundiæ habitus.

XXI. Quan-

XXI. Quando quæ ſunt in me naturalia affectuum bona, ſecundũ naturam mouentur, fiunt bona. Quando autem præter naturam mouentur, fiunt mala.

XXII. Deus eſt vita eſſentialis, principium & finis omnium, rationalium, & è vita ad eſſe venientium, remota morte quæ accidit: non enim ab eo qui eſt, eſſe habuit, vt etiam permaneat, pendens ab eo qui eſt: *Deus enim mortem non fecit, nec delectatur in perditione viuentium.* *Sap.1.*

XXIII. Timor domini prudentiæ pater: ex prudentia verò mandatorum ſincera obſeruatio, comitem trahit ſapientiæ matrem apathian, ingrediturque in animam diuinarum & humanarum rerum, & earundem cauſſarum cognitio.

XXIV. Qui vnum timet, non timebit multos, immò verò propter vnum multi ipſum timebunt. Si enim timueritis dominum Deum veſtrum, inquit, & audieritis vocem eius, nullus ſtabit contra vos, ſed timor & terror veſter erit ſuper omnes gentes. *Deut.11.*

XXV. Sapientia per obſeruationem mandatorum conciliari conſueuit. Non enim Deus eam impertitur otioſis, iuxta id quod quidam ſecundùm pietatem ſapientium dixit. *Concupiſcens ſapientiam, conſerua iuſtitiam, & præbebit eam tibi dominus.* *Eccleſ.1.*

XXVI. Qui diuitias ſapientiæ in voluptate vanæ gloriæ vult conſumere, non habebit Deum annuentem ad hanc præbendam, quamuis mille preces obtulerit. Malè enim petentibus, Deus ad dandum annuere non ſuſtinet, vt Iacobus Chriſti diſcipulus ait. *Petitis, & non accipitis, eo quod malè petatis, vt in concupiſcentiis veſtris inſumatis.* *Iacob.4.*

XXVIII. Quando pars animæ concupiſcens ſtimulo diuini timoris agitata ad meliora amanda mouetur, tum ratio aduerſus improbitatis artificia prudens redditur, & dæmonum doloſas nequitias indagatas, parti illi tradit, in qua ira verſatur, vt minis potentiorib. longius eas repellat, opportunè ipſam ad iram acuens: id quod etiam Dauid hortatur, *iraſcimini*, inquit, *& nolite peccare.* *Pſalm.4.*

XXIX. Tunc anima in parte ſua iraſcente contaminatur, quando in mundi voluptates lapſa, pro illis decertat. Et hoc illam incitat, & adſunt dolor & malignitas, ſemper eam vrgentes, & contra conſortes naturæ iram eius exacuentes: nec reputat, ſi præter fas iraſcendi facultas eius, per motum præter naturam de naturali vi imminutionem paſſa fuerit, quam contra dæmones & vitioſas motiones ab ipſo opifice accepit. *Maledictus furor eorum*, inquit, *quia pertinax, & indignatio eorum, quia dura.* *Geneſ.49.*

XXX. Etſi diabolus in euangelio vocatus eſt tentator, tamen il-

lum prætentamenta ſcientiæ cogitationũ noſtrarum deficiunt. Mentem enim (ait quidam eruditorum patrum) ſolus nouit, qui nos condidit Deus. Meritò igitur diabolum, & ſatellites eius latent quæ ſunt in animis noſtris, quando neque eſſentia ipſorum eſt cognitio, & ab eo qui hoc eſt, longè diſtant.

XXXI. Si rationes eorum quæ creata ſunt, in ſapientiæ theſauris ſunt, eæ ignotæ ſunt, quibus ipſa eſſentialiter ſapientia ignota eſt. Proinde Græcorum ſapientes falſum crepuerunt, rerum eſſentias ſe noſſe gloriantes.

XXXII. Qui fugit mali imitationem, & non ſimul fugit malè de eo loqui, non animaduertit hinc ſimilem ſe factum illius quem vituperat.

XXXIII. Ne condemnes ſcortatorem, ſi tu caſtus ſis: ſed actionem ipſam fuge, agentem ne reprehende. Qui enim dixit, *non fornicaberis*,

Luca 6. idem dixit, *non condemnabis*. Quod ſi non fornicans fornicantem cõdemnas, æquè legem tranſgrederis.

XXXIV. Qui ſe in vera humilitate exercet, ſemper ſuorum operum inquiſitor, Deo ac iudici cum religioſo timore aſsiſtit, illiuſque miſericordiam ad ſe pellicit. Decentiſsimè autem iudicium in omnes illi permittit. Metuit enim qui eſt eiuſdem naturæ cum iis qui iudicantur, aſsidere illi, qui eſt natura iudex, cum ipſe naturæ conſortium ſit iniquus arbiter.

XXXV. Quando te cogitatio ad facta proximi iudicanda, aut damnanda rapit, tum ad te ipſum conuerſus, actiones tuas exactè diiudica: ne forte dum proximi errata leuiora rigidè cenſes, tu grauiora incurras, & neſcias: ac tibi tale quiddam, quale Phariſæo illi contin-

Luca 18. gat, nempe, vt publicani culpas inſpiciens, & tua ipſius commiſſa negligens, quem damnas, illum ipſum iudicem habeas. Ex comparatione enim Publicani Deus Phariſæum cõdemnauit, quandoquidem ab humilitate elatio condemnari conſueuit.

XXXVI. Qui accuſat à quo ſibi verbo, aut facto irrogata eſt iniuria, cum eodem à peccato victus, imbelliſque, & cum iniurioſo inſipiens deprehenditur: malum enim malo victus eſt, & perinde vt ille,

Rom. 12. malo perpetrato legis præuaricator euaſit. Ait enim. *Ne malum pro*

1. Petr. 3. *malo, neue maledictum pro maledicto reddas.*

Iacob. 2. XXXVII. Si fides ſecundum Iacobum ſine operibus mortua eſt, mortuum autem in iis quæ non ſunt, numeratur, errat igitur, qui fidem virtutibus deſtitutam ſe habere putat, & eſt infidelis, quamuis fidem in Deum ſe habere autumet.

Iob. 1. XXXVIII. Iuſtus Dei cultor Iob dictus eſt, quia operibus pietatem

tem erga Deum rectè præſtitit. Non enim verbis nudis Deum colebat, factis autem mãdata eius aſpernabatur. Iniuſtus autem audiet, *quid me vocas domine domine, & non facis quæ dico?* *Luca 6.*

XXXIX. Fidelis eſt beneuolus commiſſorum à Deo legitimorum citra tranſgreſsionem cuſtos.

XL. Quem retinet ſeu poſsidet mundus, non liberat tempus: quẽ autem non retinet mundus, non ſubigit tempus. Hoc ex ſenibus, de quibus in hiſtoria Suſannæ, & ex adoleſcente Ioſepho liquet. Nam illi in affecta ætate ſuam libidinem: hic verò annis iuuenilibus canos pudicitiæ mores demonſtrauit. *Daniel. 13.* *Geneſ. 39.*

XLI. Manus animi ſunt virtutes in actione poſitæ, quibus perfunctus homo implet manus ſuas, & fit ſacerdos, qui Deo in Chriſto Ieſu hoſtiam laudis offerre poteſt, *non eſt enim ſpecioſa laus in ore peccatoris.* *3. Reg. 13.* *Eccleſ. 15.*

XLII. Laus eſt, quæ per contemplationem creaturarum Deo pro dignitate offertur celebratio. Aliter. Laus eſt, quæ pro reuelatione myſteriorum Deo dicatur gratiarũ actoria glorificatio, vt inquit Daniel, *ipſe reuelat profunda & abſcondita, & nouit in tenebris conſtituta, & lux cum eo eſt. Tibi Deus patrum noſtrorum confiteor, teq́; laudo, quia ſapientiam, & fortitudinem dediſti mihi, & nunc oſtendiſti mihi quæ rogauimus te,* & quæ ſequuntur. *Daniel. 2.*

XLIII. Mortem timere, haud eſt ſecundum naturam, nemo ſiquidem contra eam quidquam audeat. At nunc ab omnibus, qui vitam agunt ex virtute, contemnitur. Sordidata igitur conſcientia mortis metum affert. Hinc Paulus, poſtquam bonum certamen certauit, curſum conſummauit, fidem ſeruauit, exſpectans iuſtitiæ coronam, deſiderauit diſſolui, & eſſe cum Chriſto. Et quod multi magnopere fugiunt, ſeparari à corpore, hoc illi erat in optatis. *2. Tim. 4.* *Philip. 1.*

XLV. Qui in hoc ſæculo morte peccati eſt mortuus, & cui vita ſecundum carnem eſt potior, is nõ immeritò ſeparationem carnis, per quam à vita, quam in manibus habet diſiungitur, formidat. Iuſtus autem ante ſeparationem carnis, iuxta legem & præſcriptum virtutis à carne ſeiunctus, & vitam in carne mortem reputans, (vt ait B. Paulus, *infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius?*) hic ad vitam veram progrediens, mortem ſenſibilem meritò amplectendam ducit, vtpote qua ad veram vitam tranſmittitur. *Rom. 6.*

XLVI. Illic eſſe quilibet feſtinat, vbi poſſeſsiones ſuas & facultates habet, ſiue vbi ſe velut captiuã præbet eius cupiditas. Qui igitur cœleſtes poſſeſsiones exoptãt, vt in patriã propriã euntes, diſceſſum à corpore concupiſcunt. At verò qui meliorib. deſtituti ſunt, his terribilis eſt à corpore emigratio, quæ illos ipſorũ facultatibus, & ipſorũ opinione iucundis ſpoliat.

XLVII. Cum pars animæ iraſcens, & pars concupiſcens male cõſpirant, naſcitur triſtitia, ira, inuidia, iniquum odium, iniuriarum memoria,& ſi quid horum eſt ſimile. Quod ſi mens meliori cogitatione dictas facultates diſiunxerit,& nitatur pars iraſcens tueri ac defendere, quæcunque diuinus timor meliora ſuggerit, concupiſcentiæ auerſos à ratione impetus retrahit, & animum ad iuſtè iraſcendũ

Pſalm. 4. mouet,ne peccet,à concupiſcentia mali inclinatus. Et hoc eſt, *iraſcimini & nolite peccare.*

XLVIII. Officia practicæ ſeminum rationem ſuſtinent, quorum irreprehenſibilis operatio ad maturitatem perducta, reſpondentem praxi cognitionem parit. Seminatis enim vobis ipſis ad iuſtitiam, metite vobis ipſis ad fructum vitæ, illuminate vobis ipſis lumen ſcientiæ.

XLIX. In ſeminibus vnumquodque ſimile producit: ſed in ſeminibus virtutis non ita ſe res habet. Idem etenim duarum ſæpe, aut trium, aut plurimarum opera ſeminatum, & alium atque alium fructum gignit, vt hunc quidem ſeruum Dei cognitione perficiat,hunc amicum,hunc filium faciat. Diuerſitatem autem germinum vnius ſeminis efficiunt ſenſus, quibus mouentur, qui actionum ſemina iaciunt. Bonum enim,ex ſenſu timoris Dei ſeminatum,ſeruum Dei generat. Quod autem ex introductoria charitate,Dei filium efficit.

L. Animæ ad bonum agendum cuſtodiendumq́ue,tria certamina ſubeunda ſunt. Primum quidèm eſt cum aliquid cum virtute coniunctum facere inſtituit, contra prohibentia illud. Alterum certamen, vt bonum partum in præda ne cedat, cogitatione laudes foris ad nos manantes repellente. Tertium quod contra propriã complacentiam & arrogantem de ſe opinionem ſuſcipitur.

Pſalm. 116. LI. Si iuſſæ ſunt omnes gentes laudare dominum,*quoniam confirmata eſt ſuper nos miſericordia eius*, prudenter ſanè, qui pro octaua cecinit,

Pſalm. 6. neminem in inferno confiteri Deo dixit.*In inferno enim quis confitebitur tibi?* inquit,pro,nullus confitebitur.

Pſalm. 114. LII. *Si miſericors dominus & iuſtus,& Deus noſter miſeretur,* igitur cum in bonitate nos condiderit,in iuſtitia nos caſtigat, & cum ab eo defecerimus,in miſericordia recipit.

LIII. Si fugis malorum imitationem, ſimul de ipſis detrahere fuge: nam detractio charitatem abnegat,& timorem contemnit.

LIV. Qui timore pœnarum domino ſeruit,in præſentia tentationũ, iucundis vitæ rebus ipſum priuantiũ, non admodum inconcuſſus erit.Metuendum eſt enim, ne affectio erga res caducas, qui eſt in ipſo

1. Ioan. 4. timorem eiiciat, ſiquidem *charitas foras mittit timorem*. Qui autem ex charitate erga Deum virtuti dat operam,eum nihil inſtantium malo-

rum

rum ab habituali amore erga virtutem auocare poterit. *Quis enim*, inquit, *ſeparabit nos à charitate Dei? tribulatio, an anguſtia, an perſecutio, an gladius*, & quæ ſequuntur. Si ergo perfectio ſeruitutis ſecundum timorem, eſt boni ſecũdum charitatem operatio, ante perfectionem quod imperfectum eſt, haud tutum, neque firmum eſt. Rom. 8.

LV. Quando Deo per fidem ipſum facere concedimus, cogitare quomodo fiet, abſtineamus. Nihil enim factu difficile eſt voluntati omnipotenti Dei, qui eſt ſuper omnia. Quin potius cum voluntate eius finis illius quod vult concurrit, & idem eſt illi velle ac perficere.

LVI Si ſecundum Ioannem *Deus charitas eſt*, qui diligit, in Deo manet, & Deus in eo. Qui autem odit proximum, certum eſt illum à charitate ſeiunctum, odium ſubſtituere. Qui igitur odit naturæ conſortem, à Deo diſtat: ſiquidem *Deus charitas eſt, & qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo.* 1. Ioan. 4.

LVII. Quem in veritate delictorum ſuorum pœnitet, is & ſemetipſum reprehendit, & conuitia ab aliis patienter fert. Qui autem parui pendit pœnitentiam, commiſſorum à ſe peccatorum immemor, indignatur, cum Deus dici, aut fieri quippiam contra illum ad eius vtilitatem permiſerit, & cum audacia, quid feci? inquit. Quem incuſans Deus per Hieremiam Prophetam ait: *non eſt homo qui agat pœnitentiam ſuper peccato ſuo, dicens, quid feci?* Hierem 8.

LVIII. Si cognitio mandatorum Dei per ſe obuia, & intellectu facilis eſt omnibus, quid eſt quod Propheta orat ſibi intellectũ dari, vt ea diſcere poſsit, *Da mihi intellectum*, inquit, vt diſcam mandata tua. Pſalm. 118.

LIX. Qui labores aſceticos propter adeptionẽ rerum indifferentiũ ingreditur, is ſe meliora deterioribus permutare neſcit. Similiter qui in virtute colenda decertat, nõ vt ſine certamine gratis eas Deo exercere poſsit, ſed vt mirabilia dona conſequatur, Dei iudicium & prouidentiam ignorat.

LX. Credentis in eum in quem creditur indiſcreta fides, charitatis in eo futuræ quaſi quoddam prooemium eſt, quæ cum venerit, myſtes de cætero & amicus fit eius, in quem credidit. Id quod perſpicuè demonſtrat Abrahami in Deum certiſsima fides, per quam religioſè eũ cui credebat veneratus, in eius cognitionem venit, ex qua in charitatem illius proceſsit, qua florente, à Deo conditorum notitiam accepit, amicus Dei vocatus & factus: Dixit enim dominus Deus, *num celare potero ſeruum meum Abraham, quæ facturus ſum?* Geneſ. 18.

LXI. Chriſtianum primo in ſeipſo vlciſci oportet, & ſic demũ in aliis. Nã Moſes primùm in eos qui ipſum offenderant, mitis & iniuriæ immemor, in Deum peccantib. rectè, & naturaliter iraſcebatur: non quidem odio, aut aliqua perturbatione mala incitatus: ſed pro iis ipſis, contra quos id agere videbatur.

LXII. Qui ſe contriſtanti, aut iniuria afficienti, aut vniuersè moleſtum quippiam,&acerbum importanti paria referre meditatur, hic præſtitam ſibi à Deo miſericordiam lædit, nō remetiens eadem menſura conſeruo, qua menſus eſt ipſi dominus. Quo pacto igitur zelus

Matth. 7. pro Deo ipſi Deo acceptus erit, ſi promptè in alio vlciſcaris Deum, in te ipſo autem iniurioſius eum tractari ſinas?

LXIII. Quemadmodum citra artem aut artificem, inſtrumenta & materies domus aut nauis parari non poteſt: ſic ad ſcopum vitæ ſecundùm virtutem perueniri nequit, ſine continentia, patientia, humilitate,& oratione. Quocirca continentia quidem animum, à mūdanis voluptatibus coërcet, & ab omni facto prauo eum reprimit: patientia eum labores ferre docet, & foris inuadentes tentationes contra continentiam, toleranter ſuſtinere. Humilitas verò ſui compotem exercere inſpectionem ſui, & non aliorum eſſe iudicem: ſoli autem, vt dignum eſt, domino iudicium permittere, qui probè cuiuſque facta nouit ſiue ea bona, ſiue mala ſint, & hinc mentem ad manſuetudinem, & ſtatum pacificum transferre. Et veram quietem exercere docet,& eſſe in ſe ipſo, atque ob hoc in Deo. Aſsidua autem & perſeuerans oratio propter colloquium cum Deo, mentem à cogitationibus mundanis abducit, illam Deo exhibet, & propter appropinquationem ad Deum, lenitate & pietate implet.

LXIV. Orationem eſſe virtutem virtutum, à diuina ſcriptura didicimus. Ipſa ſiquidem pro omnibus virtutibus Deo repręſentata, cum rogat, vti illis aduerſus paſsionum aciem à dæmonibus inſtructam opituletur. Hoc tibi Moſes perſuadeat, qui oratione bellatores

Exod. 17. Iſraëlitas corroborauit, & Amalec manuum eleuatione in fugam conuertit.

LXV. Quantam vim habeant diuinæ ſcripturæ verba, aduerſus dęmones nos tentare aggredientes, dominus noſter hominis naturam

Matth. 4. indutus docuit, quando diabolus eum vt hominem tentare auſus eſt. Per ſcripturæ enim ſanctæ ſuæ verba omnes verborum illius machinas friuolas, & ſuperatu faciles oſtendit. Triplicem quippe & maximè generalem aduerſum nos ratiocinationem, gulæ, inquam, auaritiæ, & vanæ gloriæ per ſacra ſcripturæ verba nihil valere demōſtrauit.

LXVI. Non nemini iniuriam facere, aut conuitiari, aut verbera incutere, hoc Chriſtianum facit: ſed hæc ab aliis ſibi facta patienter ferre, iſtuc germanum Chriſti diſcipulum prodit. Dictum eſt enim anti-

Matth. 5. quis, ait Saluator, *oculum pro oculo, & dentem pro dente. Ego autem dico vobis, non reſiſtere malo: ſed qui percuſſerit te in dexteram maxillam, præbe illi & alteram*,& quæ deinceps ſequuntur.

LXVII. Immoderatus timor paupertatis, parit paupertatem.

LXVIII. Pau-

LXVIII. Paupertatem qui ſimulat,& miſericordes clanculum ſpoliat, iniuſtus, & rapax eſt. Quod enim erat verè pauper accepturus, ipſe per ſimulationem clam præripuit.

LXIX. Qui pattem animæ ſuæ, in qua vigent iræ, pacatam, & ira omni vacantem habere deſiderat, prius partem concupiſcentem ad perituras voluptates nō propenſam,ac facilem habere enitatur.Nam ſi hæc bene ſe non habeat, ne cognatam quidem eius, iraſcentem, inquam, bene habere neceſſe eſt. Incaſſum igitur laborat, qui ſibi non iraſcendi leges imponit: cupiditatis autem appetitus in vitium prolapſos non ſanat: è quibus tanquam à fonte irarum perturbatio promanat.

LXX. Continens eſt,qui contra quamcunque voluptatem rationi repugnantem conſtanter, perpetuoq́ue reſiſtit.

LXXI. A perturbationibus liber eſt,qui ex ſumma continentia reſiſtendi habitum ſibi confirmauit: qua præditus qualitate, & conditione,nullo motu turbidæ voluptatis commouetur.

LXXII. Continentiæ pro virtute, & firmamento adeſt timor Dei: robur autem apathiæ eſt in trinam monadem ſincera charitas. Perfectè iuſtus omnes in ſe virtutes æquabiliter poſsidet, vt non ſit manſuetior,quàm temperantior:aut temperãtior,quàm ſapientior. Nam iuſtus imperfectus eſſe non poteſt: ſiquidem iuſtitia eſt omnium partium virtutis ſine vlla diſcrepantia conſenſio.

LXXIII. Quantum pars animæ princeps, ſiue ratio rebus fluxis, & caducis affixa eſt, tantum à Deo deficit, ac recedit.

LXXIV. Monachus non dicitur facere, quæ per corpus ei facere conuenit: ſed ſi id agat, vt ea per corpus operetur animus: licet enim idem facere multimodis. Vt ieiunare ob timorem, ne caro inſurgat, non odio liguritionis. Et rurſum, metu violandæ legis, quæ de abſtinentia à cibo monachis ſancita eſt:non deſiderio virtutis,qua ſe quiſpiam modico alimento reficit, aut complectendæ deliciarum fugæ. Neceſſario enim ad naturam ſuſtentandam cibus capiendus,non autem corpori, cum vitioſa appoſitorum appetentia edendo adulandum eſt.

LXXV. Conceſſas monacho epulas exquiſitè conditas velle, teſtimonium eſt,coactu quodam humano ieiunia ſuſcipi.Id enim immoderatum amorem corporis,non religioſę exercitationis cupiditatem arguit.

LXXVI. Non ſolùm tardè, ac ſerò epulis accumbere, ſed etiam epulas citò finire, ieiunium eſt:nec inſtituti monaſtici eſt, ob famem duntaxat ingentem ſedandam edere: ſed varietate ciborum nulla vti.

Aſceticum ſiquidem eſt, cum vniformi alimento menſæ breuis, ſolutionem animi ad omne genus eduliorum ſe demittentis, vt rem inſuauem & iniucundam auerſari.

LXXVII. Cum ratione parum congruens ieiunium eſt, legitimum quidem, ac definitum tempus exſpectans, hora autem cibi ſumendi effręni quodam impetu ad menſam prorumpens: & cum carne etiam mentem voluptati eorum quæ appoſita ſunt, illigans.

LXXVIII. Carnem, & ſanguinem Apoſtolus appellauit carnales affectus, & prudentiam carnis, mentem ad hæc prouocantem, cùm di-
1.Cor.15. xit: *Caro, & ſanguis regnum Dei non poſſidebunt.* Et: *Prudentia carnis mors eſt.*
Rom.8. Ipſa igitur caro quoddam nutrimentum eſt dæmonum. *Dum appro-*
Pſal.26. *piant ſuper me nocentes*, inquit, *vt edant carnes meas.* Qui ergo per virtutem carnes, de quibus loquimur, macerat ac tabefacit, dæmones fame occidit, & ad arma ſibi inferenda imbecilliores reddit.

LXXIX. Si cognoſcamus quales nos ipſi fecerimus per peccata, quę cõmiſimus, tũc quales nos Deus ſecundũ naturã fecerit, intelligemus.

LXXX. Mens ſemetipſam qualis natura eſt, cognoſcens, propter mala quę foris patitur, aut ſubit, neminem in crimen vocat. Niſi enim prius paſſa fuiſſet ſine aliquo, non iam pateretur ab aliquo.

LXXXI. Continentia frœnum eſt, cupiditatis impetum in eſcas, aut poſſeſsiones, aut gloriam cohibens.

LXXXII. Obedientia eſt perſuaſio, qua non diſcernendo, abſq; triſtitia, & ratiocinatione iuſſorum impletur officium. Aliter. Obedientia eſt perfecta ſubiectio, voluntate propria ſpoliata, & ſolo nutu Præpoſiti citra perturbationem ad agendum impulſa.

LXXXIII. Nemo à malo dæmone oppugnatus vnquam deuincetur, ni prius ipſe per ſe diuiſus, carnis ſuæ vitioſis, & rationi aduerſantibus deſideriis paulatim manus dans, ab iis deuictus fuerit. Qua tanquam anſa arrepta diabolus roboratur, eoſdemque motus in perniciem animæ conſummat, & ad extirpandum difficiles reddit.

LXXXIV. Sine generali continẽtia certantẽ Chriſtiano officio ſatisfacere, & ad propoſitã nobis beatitudinẽ aſſequendã procedere, impoſſibile eſt, cũ dicat Apoſtolus: *Qui in agone contendit, ab omnibus ſe abſtinet.* Vbi vox, *omnibus*, fortaſſe *ſemper*, ſignificat. Et ab omnib. cogitationib⁹,
1.Cor. 9. actionibuſq; cũ ratione nõ conſentientib. abſtinendũ eſt. Qua.n. parte continẽtiæ contentio languebit, ea parte virtus peccati viribus creſcet: atq; ita dæmoni victoria aduerſus animam obtinget ex ſententia.

LXXXV. Continentia ſenſibilis, eſt declinatio ab omnibus actionibus, quæ per carnem exercentur, & cum ratione pugnant.

LXXXVI. Continentia intellectualis, eſt declinatio à voluptate cogitationum, quę non ſunt ſine paſsione. Verùm prior declinatio re-

ctè non procedit, niſi anima poſteriorem ita meditetur, & obſeruet, vt à ſe diuelli nunquam patiatur.

LXXXVII. In duabus generaliſsimis functionibus perfectio cõtemptus vitæ huius conſiſtit, in continentia, inquam, & patientia. Et ex iis quidem, quæ in poteſtate noſtra ſunt, eſt continentia: ex iis quæ non ſunt, patientia. Ac prior quidem ex timore confirmatur: altera ex charitate vires acquirit. *Charitas enim*, inquit, *omnia ſuffert, omnia ſuſtinet, omnia ſperat.* Charitas nunquam excidit. 1. Cor. 13.

Anno t. Patientiam non eſſe in noſtra poteſtate, affirmare videtur ꝓpter patientię materiẽ, quę plerunq; à cauſis externis proficiſcitur. Continentiã ait eſſe in noſtra poteſtate, quia poteſt quis eſſe continẽs, ſi diuina adiutus gratia, quæ omnibus pręſto eſt, velit eſſe continens: nec alio ad continẽtiam ſimpliciter loquendo eget: niſi ope diuina, & voluntate ſua. Nec quia Auctor iſte aſſerit continentiam eſſe in noſtra poteſtate, idcirco negat ad eam cœleſte ſubſidium neceſſariò requiri. Non enim ignorauit illud ſapientis Sap. 8. *Et vt ſciui, quoniam aliter non poſſem eſſe continens, niſi Deus det: & hoc ipſum erat ſapientia, ſcire, cuius eſſet hoc donum: adij Dominum, & deprecatus ſum illum, &c.*

LXXXVIII. Veræ humilitatis indicium eſt, non, de ſemetipſo contumelioſè loqui: ſed intortas ab aliis contumelias viriliter perpeti.

LXXXIV. Qui gloriam ab hominibus venientem repellens, contra ſe dicit, vulneratur autem, & indoleſcit probris, quæ foris ipſi obiiciuntur, non animaduertit ſe decipi, magiſque hominibus placendi ſtudio, quam virtutis ergô de ſemet malè loqui.

LXXXV. Qui melius aliquid poſsidere concupiſcit, non fert ea, quibus à re concupita adipiſcenda ꝓhibetur: ſed ſtudioſè agit, moliturq; omnia, vt deſiderato potiatur. Exempli cauſa, qui conſequi vult ſtabilem temperãtiam, de epulis ac potu delicatis non laborat: nec mollis veſtimẽti ornatũ quærit: nec nugatur labiis ſuis, quę religionis intentionẽ, vigoremq; pedetentim laxent, ac diſſoluãt: nec cum adoleſcẽtibus, aut puellis libera, & riſus plena colloquia ſerit: nec aliud quippiã his ſimilę: quin potius horum contraria exercere conatur, continentiam puta, veſtitum vilem, grauitatem, religionem, quietem, humilitatem, quæ baſis ac fundamentum eſt virtutum omnium: ſuper quæ lætatus Dominus, expetitum à nobis bonum largitur, & cuſtodit.

LXXXVI. Non poteſt vllum bonum citra patientiam, continentiamque generalem comparari. *In patientia enim veſtra*, inquit, *poſsidebitis animas veſtras.* Et: *Qui in agone contendit, ab omnibus abſtinet.* Cæterùm continentia ſine aſsidua oratione non bene præſtatur. Etenim *ſine intermiſſione*, inquit, *orate.* Nec verò ſine humilitate Deo grata eſt oratio, cùm ſcriptum ſit: *Reſpexit in orationem humilium, & non ſpreuit preces eorũ.* Lucæ 21. 1. Cor. 9. 1 Theſſ. 5. Pſal. 101.

Quare ſi virtutes volumus obtinere, continentiam, patientiam, humilitatem frequentemus, & ſuper omnia hæc orationem aſsiduam, qua oratione quod adipiſci ſtudemus, facilè conſequemur.

LXXXVII. Ex omnibus rectè factis noſtris nihil adeo terret dæmonem, vt iugis & perſeuerans oratio. Ea enim orantem diuina appropinquatione dignum præſtans *(propè enim eſt Dominus omnibus inuocantibus eum)* hoſtibus inuaſu difficilem efficit.

LXXXVIII. Spiritus ſancti eloquiorum meditatio malarum cogitationum fæces aufert ac tollit, intellectualem in nobis ignem generans, qui animum noſtrum calefaciens, ad preces vigilē, & alacrem conciliat, & eius petitiones cum intellectu factas Deo indicat.

LXXXIX. Qui ſolius ſcientiæ cauſſa in diuinarum ſcripturarum commentatione elaborat, hic vanæ gloriæ ad ſe ianuam aperit. At qui religioſa cautione, ac piè in ſacrarum literarum diſciplina ſe exercet, eo fine, vt voluntatem Dei cognoſcat, & faciat, hic Spiritus ſancti virtutem ad ſe pellicit: quæ illi cognita ad opus conferendi vim ac robur impertit: & inſuper eorum, quæ ſcripta non ſunt, diuinorum myſteriorum gnarum facit.

LXXXX. Tum ſe quiſpiam in meditatione eloquiorum Dei probè, legitimeq́; verſatum demonſtrat, cum tentatione inuadente, quos didicit ſermones è memoria haud ſecus quàm è pharetra tela depromens, eos contra dæmones, & affectus prauos contorquet, atque ab ipſis cogitationes malas, contra virtutis ardorem ſuggeſtas negotio infecto dimittit.

LXXXXI. Quemadmodum militum egregia in media dimicatione virtus oſtendit, quam ſæpe ac diligēter arcum in pace exercuerint: ſic monachorum ſecundùm Dei beneplacitum in ſcripturis vſum, & exercitationem imperterritus in tentationibus animus teſtatur.

LXXXXII. Cum compunctione attenta meditatio, Dei timorem
Deut. 6. in nobis procreat. Ait enim. *Et meditaberis in illis*, (in verbis Dei videlicet) *ſedens in domo tua, & ambulās in itinere, dormiensq́; atq; conſurgens: eruntq́; & mouebuntur inter oculos tuos, vt diſcas timere Dominum Deum tuum.*

LXXXXIII. Feruorem, & promptitudinem tuam in habitualibus Dei cultibus angeli, & dæmones aſpiciant: vt illi quidem exhilarati tecum maneant: hi flagellati aufugiant.

LXXXXIV. Chriſtianus eſt dogma Chriſti Saluatoris noſtri, ex mandatis à Deo præſcriptis compoſitū, quæ ſe, vt decet, exequentem imagine, & ſimilitudine Dei exornant.

F I N I S.

PHILO-

4.

PHILOTHEI PATRIARCHAE CONSTANTINOPOLITANI IN SSS. BASILIVM MAGNVM, GREGORIVM THEOLOGVM ET IOANNEM CHRYSOSTOMVM LAVDATIO.

ΦΙΛΟΘΕΟΥ ΠΑΤΡΙΑΡΧΟΥ

ΛΟΓΟΣ ΕΓΚΩΜΙΑΣΤΙΚΟΣ ΕΙΣ ΤΟΥΣ ΜΕΓΑΛΟΥΣ ΙΕΡΑΡΧΑΣ, ΚΑΙ ΟΙΚΟΥΜΕΝΙΚΟΥΣ διδασκάλους, Βασίλειον τὸν μέγαν, Γρηγόριον τὸν θεολόγον, καὶ Ἰωάννην τὸν Χρυσόστομον.

PHILOTHEI PATRIARCHAE CONSTANTINOPOLITANI IN EXIMIOS PONTIFICES ET ORBIS TERRARVM

DOCTORES, BASILIVM MAGNVM, GREGORIVM Theologum, & Ioannem Chryſoſtomum laudatio.

Τοὺς διδασκάλους ἡμῶν ἐπαινέσωμεν. Τοὺς πατέρας οἱ παῖδες κατὰ χρέος τιμήσωμεν. Τοὺς τρεῖς φιλοσόφους, καὶ σοφοὺς τῆς ἐκκλησίας ῥήτορας, τὰ τέκνα τῆς ἐκκλησίας, οἱ προσκυνηταὶ τῆς μεγάλης τριάδος, κατὰ δύναμιν εὐφημήσωμεν. Τοὺς λόγους τοῖς ὄντως λογίοις, καὶ λόγον ὁμοῦ πνεύσασι τόντε θεῖον ἅμα, καὶ τὸν ἀνθρώπινον, οἱ τούτων ἀκροαταὶ καὶ μύσται δῶρον προσάξωμεν. λόγους. οὐχ οὓς ἔρριψαν, ἀλλ' οὕσπερ ἠγάπησαν ὡς αὐτοί φασιν. οὐδὲ γὰρ ὅτι τοσοῦτον ἡ τῶν μεγάλων ἀξία τὸν ἡμέτερον ὑπερβαίνει καὶ νοῦν καὶ λόγον, ὡς μηδὲ μετρεῖν δι' ὑπερβολὴν ἐξεῖναι τὸ μέσον, καὶ τὸν ὑπὲρ αὐτῶν ἡμῖν λόγον, καὶ τὴν εὐφημίαν παραιτητέον καθάπαξ. οὐδὲ γὰρ ὅσιον· ἀλλὰ κατὰ δύναμιν μᾶλλον ἐγχειρητέον, ἵνα καὶ μᾶλλον καὶ φίλτερον ἐντεῦθεν, καὶ τὸ χρέος ἐκ τῶν ἐνόντων, τοῖς πατράσιν ἐκτίσωμεν. δείξωμεν ἐκ

MAGISTROS noſtros diſcipuli laudibus efferamus. Parentes liberi pro eo ac decet honoremus. Tres Philoſophos, & Eccleſiæ ſapientes atq; oratores, Eccleſiæ filij, auguſtaq; Trinitatis adoratores pro virili concelebremus. Orationem citra controuerſiam eloquẽtibus, & diuinum ſimul, humanumque λόγον ſpirantibus, eorum auditores, & per eos cœleſtibus imbuti myſteriis pro munere conſecremus. Orationem, non qualem ipſi repudiarunt ac reiecerunt: ſed qualem ſe dilexiſſe iidem teſtificati ſunt. Neq; enim quia virorum iſtorum excellentium præſtantia & cogitationes noſtras, & dicẽdi copiã tantopere vincit, vt ne medium quidẽ magnitudinis eius poſſimus attingere, idcirco etiam ſilendũ, illorumq; prædicatio penitus recuſanda eſt: quin toto pectore an-

τούτου

τούτου καὶ γάρ, ὡς οὐ διανοίας ὕψει, καὶ λόγου ῥώμῃ τεθαῤῥηκότες, ἀλλὰ πίστει μόνῃ, καὶ πόθῳ. καὶ τῷ τοῦ χρέους, ὡς εἰπεῖν, ἠναγκάσθαι, καὶ τοῖς τὴν δύναμιν ὑπερβαίνουσιν ἐπεβάλομεν. ἐπεὶ καὶ θεὸν αὐτόν, καίτοιγε τὸ πάντων κράτος, καὶ τὴν ἀρχὴν ὑπερφυῶς κατὰ φύσιν ἀνῃρημένον, ἐκ τῶν ἐνόντων τιμῶμεν, καὶ ὧν εὐποροῦμεν εὐσεβῶς ἀπαρχόμεθα κἂν ὀβολοὶ δύο, κἂν ἄρτου τρύφος, κἂν ποτήριον ὕδατος τὸ προφερόμενον ᾖ. κἂν τὸ πάνυ σμικρότατον. καὶ οὐδεὶς εἰς δεῦρο μικρολογίας ἢ ῥᾳθυμίας ἑάλω, ὅτι μὴ τὸ πρὸς ἀξίαν, ἀλλὰ τὸ πρὸς δύναμιν δῶρον προσενήνοχαμεν. ἀλλ' ἐκεῖνοι μᾶλλον ὑπὸ μέμψιν δικαίαν, ὅσοι γε τοῦ κατὰ δύναμιν ἑκόντες ἠμέλησαν. ἐπεὶ καὶ τῶν μεγάλων τούτων ἐκεῖνο θαυμαστὴ συμβουλὴ καὶ παραίνεσις, τὸ μὴ κενὸν ἐναντίον ὀφθῆναι θεοῦ, κατὰ τοὺς ἐκείνου δηλονότι χρησμούς· μηδ', ὅτι τοῦ παντὸς λείπεταί τις, τὸ πᾶν ἐλλείπειν· ἀλλὰ τὸ μὲν εἰσφέρειν, τὸ δὲ προθυμεῖσθαι, ὑπὲρ δὲ τοῦ συγγνώμην δεῖσθαι
Exod. 23. δοθῆναι τῇ ἀσθενείᾳ, ἕκαστον ἐκ τῶν παρόντων καρποφοροῦντα θεῷ, καὶ τῶν οἰκείων.

nitendum, vt potius quem debemus, hinc Patribus noſtris amorem pro virili perſoluamus. Inde ſiquidem apertum fiet, nos nec ingenij excelſitate, nec eloquentiæ viribus confiſos, verùm fide tantummodo, & charitate, atque vt ita dicam, ipſo debito compulſos, vel maius quoddam onus, quam pro humeris ſuſtuliſſe: quando & Deum ipſum, quanquam natura Imperatores ac Principes vniuerſos infinitis partibus excedentem, vt poſſumus, veneramur, & quæ ſuppetunt, ſeu obolos duos, ſeu fruſtum panis, ſeu calicem aquæ frigidæ, ſeu longè minimum quippiam eidem piè offerimus, ac libamus. Nec vſque in hunc diem, aut ſordium, aut corporũ poſtulatus eſt quiſquam, quia non aliquid pro dignitate, ſed pro recula ſua obtulerit. Illi magis in reprehenſionem incurrunt, qui quod poterant, ſponte neglexerunt: quandoquidem & illuſtrium iſtorum præclarũ illud conſilium eſt, in conſpectu Dei *(iuxta eius oraculum videlicet)* non apparere vacuum: *nec, quoniam quid ab omnibus relinquitur, ideo omnia relinquere: ſed hoc offerre, ad hoc offerendum animo ac voluntate paratum eſſe: pro hoc imbecillitati veniam rogitare, & vnumquemq; ex his quæ propria poſſidet, fructum Deo dedicare.*

Ἀλλὰ δεῦρο μοι τῶν πατρῶν ἡ θαυμαστὴ τῷ ὄντι τριάς. οἱ τῆς μεγάλης τριάδος καὶ μύσται, καὶ φίλοι, καὶ ὑπηρέται. μετὰ τοὺς πρώτους φημὶ μαθητάς, καὶ ὑπηρέτας, καὶ φίλους τοῦ λόγου. οἱ νυμφαγωγοὶ καὶ νυμφίοι. καὶ παῖδες ὁμοῦ τῆς ἀληθινῆς καὶ πρώτης σοφίας. ἣν καὶ αὐτοὶ ἐφιλήσατε κατὰ
Sap. 8. τὸν σοφὸν ἐκεῖνον, καὶ ἣν ἐκ νεότητος ἐκζητήσαντες, ὑπὲρ ἐκεῖνον ταύτην καλῶς καὶ συνήφθητε, καὶ ἡρμόσθητε. δεῦρο τοιγαροῦν ἡ τῆς πίστεως καὶ τοῦ λόγου βάσις. ὁ τὸν θεῖον λόγον, καὶ τὴν πυρίνην ἀυχοῦν γλῶτταν. ὁ

Adeſdum igitur admiranda ſanè Patrum Trinitas, magnæ illius Trinitatis myſteriorum conſcij, & amici, & miniſtri, poſt primos, inquam, diſcipulos, & miniſtros, & amicos Verbi. Deductores ſponſæ, & ipſimet ſponſi, & ſimul filij veræ ac principis ſapientiæ, quam & vos iuxta ſapientem illum amauiſtis, & à iuuentute veſtra exquiſiuiſtis: & cum qua ſupra quam ille præclarè coniuncti & copulati eſtis. Adeſdum ergo fidei, & doctrinæ ſacræ ſtabilimentum, cuius di-

καὶ

καὶ ψυχὴν. καὶ γλῶτταν καὶ τ' ἄλλα πάντα χρυσοῦς. εἰ καὶ μὴ συμφυΐα, καὶ ὁμοτιμία, καὶ ἕνωσις, συνεργάσασθέ μοι τὴν κοινὴν ὑμῶν εὐφημίαν, εἰ καὶ ὑπὲρ ἡμᾶς, ὅπερ εἶπον, ὁ πρὸς τοὺς μεγάλους ὑμᾶς κατὰ πολὺ λόγος, καὶ λόγον διδόντες, καὶ διανοίας ἀπτόμενοι, καὶ τὴν γλῶτταν ἀοράτως ὑποκινοῦντες, καὶ χειραγωγοῦντες, τῇ δυνάμει τοῦ ἐν ὑμῖν πνεύματος. ἔδει μὲν οὖν κατά γε τὸν ὑμέτερον ὑπὲρ ὑμῶν αὐτῶν φημὶ μέγαν καὶ σοφώτατον λόγον ἐκεῖνον τὰς ὑμῶν παρεῖναι φωνὰς, τοῖς ἐπαινεῖν ἐπιχειροῦσιν ὑμᾶς. ἐκεῖναι καὶ γὰρ ἂν μόναι τὸ πρὸς ἀξίαν εἰργάσαντο. εἰ δὲ μὴ τοῦτο, Πέτρον ἂν, εἶπον ἐγὼ, καὶ Ἰωάννην, καὶ Παῦλον, τὴν τριάδα τῶν κορυφαίων, τῶν πρώτων μαθητῶν τε καὶ ἀποστόλων τοῦ λόγου, τὰ τοῦ πνεύματος πρῶτα καὶ δοχεῖα, καὶ ὄργανα. τοῦτον ὑπεισελθεῖν ἀξίους εἶναι τὸν ἆθλον, καὶ τοῖς ὁμοτίμοις, καὶ φίλοις, καὶ σπουδασταῖς, καὶ συναγωνισταῖς τῶν αὐτῶν κατάλληλον, καὶ προσφυᾶ τινα πλέξαι τὸν ἔπαινον. ἀλλ' ἐπεὶ τῶν ἀδυνάτων ἐκεῖνα καὶ ὑμεῖς ἴσε τε καθάπαξ. μεταλάβετε οἶδ' ὅτι καὶ τὰ παρ' ἡμῶν ἐντελῆ καὶ σμικρὰ ταῦτα, οἱ συμπαθεῖς τε καὶ φιλάνθρωποι, καὶ πανταχοῦ τὸ μέτριον ἐπαινέσαντες ὄντως, καὶ Χριστὸν, εἴπερ τινὲς ἄλλοι, κἂν τούτῳ θαυμαστῶς μιμησάμενοι. ἄλλως τε καὶ ὅτι μὴ τοῖς παρ' ἡμῶν αὐτῶν τεθαῤῥηκότες ἡμεῖς, τίσι καὶ γὰρ, καὶ ὁποίοις ἐκείνοις; ἀλλὰ τοῖς ὑμετέροις μᾶλλον, καὶ οἷσπερ αὐτοὶ θεόν τε, καὶ ἀλλήλους προσείπετε, τὰ ὑμῶν ὑμῖν αὖθις εἰσφέρομεν ὡς ἡ δύναμις. δηλώσει δὲ καὶ ὁ λόγος.

uina eſt oratio, & lingua ignea, qui & anima, & lingua, & cætera omnia es aureus. Et quanquam nullum mihi vinculum vobiſcum, nec honos par, nec vlla coniunctio; & quanquam de vobis tam excellentibus viris habenda, oratio vires meas, vt dixi, multum ſuperat, tamẽ ad commune veſtrum encomium mihi opitulamini, & ingenium excitate, verba ſubminiſtrate, linguamq́; inaſpectabili modo dirigite, & me manu ducite, virtute ſpiritus illius, qui in vobis habitauit. Oportebat nimirum de veſtris laudibus dicturũ, veſtram quoq; inſignem illam, ac ſapientia refertam eloquentiam, veſtráſque voces habere: ſolæ enim illæ rem pro dignitate conficerent. Alioqui, Petrum ego, & Ioannem, & Paulum, coryphæorum, ac primorum diſcipulorum Apoſtolorumq́; Verbi triadẽ, Spiritus ſancti præcipua domicilia & inſtrumẽta affirmarem ego dignos eſſe, qui hoc negotiũ ſuſciperent, & æquè honoratis, amicis, ac ſtudioſis ſui, & certaminum ſociis congruentem atq; accommodatam laudationem contexerent. Verùm quoniam id vobis quoque aſſentientibus fieri prorſus nequit, tenuitatem noſtram moderatè feretis, ſat ſcio, vos, qui aliena ſentitis incommoda: vos humani, & qui modeſtiam locis omnibus reuera commendaſtis, Chriſtumq́; in hoc etiam, vt ſi qui alij, mirandum in modum imitati eſtis. Præſertim cum haud à nobis excogitatis & inuentis, ſed veſtris potius de Deo, & inter vos ſermonibus confidentes, veſtra vobis quantum poſſumus retribuamus, id quod deinceps oratio declarabit.

Νόμους μὲν οὖν ἐγκωμίων τῶν ἔξω, οἱ πατρίδα, καὶ γένος, καὶ πλοῦτον, καὶ δὴ καὶ σώματος ῥώμην, καὶ κάλλος, καὶ τὰ τοι-

Leges itaque & locos encomiorum, à profanis dicendi magiſtris præſcriptos, qui patriam, genus, diuitias, corporis vĩ

αὐτὰ περιεργάζεσθαι περὶ τῶν ἄλλων καὶ πολυπραγμονεῖν ἀξιοῦσι, παραιτητέον ἡμῖν ἐνταῦθα. οὐ μόνον ὅτι καταπεφρόνηται πάντων ἐκείνων, καὶ ὑπὲρ τὰ κάτω, καὶ τὸν κόσμον οἱ ὑπερκόσμιοι οὗτοι· ἀλλ᾽ ὅτι μηδὲ ταῖς μὲν μορφαῖς, καὶ ταῖς χρόαις δοκιμάζεσθαι καὶ τῶν ἵππων τοὺς εὐγενεστάτους ἢ ἀτιμοτάτους, ὑμῶν δὲ ζωγραφεῖσθαι τοῖς ἔξωθεν, δίκαιόν τι καὶ εὐπρεπὲς εἶναι οἱ αὐτοὶ μάλα καλῶς εἶπον. ἐκείνοις γὰρ μόνοις πρὸς τὴν εὐφημίαν τῶν μεγάλων ἀπὸ μέρους χρηστέον, τοῖς οἰκειοτάτοις, καὶ γνησίοις αὐτῶν τούτων, καὶ οἷς αὐτοὶ τοὺς αὐτῶν ὁμοτρόπους, καὶ Θεοῦ φίλους, μάρτυράς φημι, καὶ πατέρας, καὶ διδασκάλους θαυμαστῶς τοῖς ἑαυτῶν λόγοις προσῆπτον. οὐκ ἂν δέ τις τῶν λόγους ἐξεταζόντων, ἀπειροκαλίας τινὸς, ἢ καὶ κλοπῆς ἡμᾶς ἑλεῖν ἐθελήσῃ. ὥσγε ἐγὼ νομίζω, εἰ τοῖς τούτων ἐπὶ μακρὸν χρησόμεθα λόγοις, καὶ ταῖς αὐτῶν θεολογίαις, καὶ γνώμαις αὐτούς τε, καὶ τὸν ἡμέτερον κοσμήσαιμεν λόγον, ἴσως καὶ πόῤῥω τῆς ἐν τοῖς λόγοις συνηθείας, ὡς ἄν τισι δόξῃ. πρῶτον μὲν, ὅτι μὴ μόνον οὐχ ὅσιον, οὐδ᾽ εὐλαβὲς ἐκεῖνο νομίζω, ἀλλὰ καὶ ἁρπαγῆς καὶ πλεονεξίας οὐ πόῤῥω, τὸ ἐν οἷς ἔξεστι τούτοις τὰ ἑαυτῶν λέγειν, μὴ παραχωρεῖν ἡμᾶς ἐκείνοις τοῦ λόγου μηδ᾽ ὑπεξίστασθαι, σιγῇ τὴν ἀκοὴν ὑπέχοντας μόνην, ὡς ἐν τελετῇ μυστηρίων, ἀλλ᾽ ἀναισχυντεῖν, καὶ θρασύνεσθαι, καὶ τὰ ἑαυτῶν τολμᾶν ἀντεισάγειν, δεύτερον δ᾽ ὅτι μηδὲ τῆς συνηθείας, μηδὲ τῶν ἱερῶν τοῦτο πόῤῥω καὶ τῶν ἀρίστων. οὐ μόνον γὰρ τοὺς περὶ ἡμῶν σοφούς τε καὶ ἀγαθοὺς εὑρίσκομεν ἄνδρας, τούτῳ χρησαμένους τῷ τρόπῳ μετὰ πολλῆς τῆς φιλοτιμίας, ἐν τοῖς ὑπὲρ τῶν μεγάλων τουτωνί φημι λόγοις, ἀλλ᾽ ὅτι καὶ τούτους αὐτοὺς τοὺς τῆς σοφίας θαυμαστοὺς διδα-

robur, ſpeciem liberalem, & ſimilia curioſè inprimis inquirenda & ſcrutanda cenſent, in hoc argumento præteribimus, non ſolùm quòd hi viri omnia illa deſpexerunt, ſeſeq́; ſupra res infimas, & ſupra mundum ipſum extulerunt: ſed quòd ipſimet, quemadmodum equos generoſiſſimos, aut abiectiſſimos non ex forma, aut colore probari; ita nec hominem externis depingi ac deſcribi iuſtum & decorum percommodè ſcripſerunt, & iis duntaxat ad eorum præconia partem aliquam vtemur, quæ ipſorum inprimis propria & germana ſunt, & quibus ſui ſimiles, ac Dei amicos, martyres, inquam, Patres ac Doctores ſuos in ſcriptis ſuis admirabiliter collaudarunt. Spero igitur neminem alienarum orationum cenſorem ac iudicem, alicuius ineptiæ aut furti nos damnaturum, ſi eorum verbis, diuiniſquè dictis ac ſententiis vberius adhibitis, cum ipſos, tum orationem noſtram cohoneſtauerimus, idquè remotè fortaſſis ab oratorum conſuetudine, vt nonnulli exiſtimabunt. Primùm enim non ſolum à iuſtitia ac pietate abhorrens, ſed rapinæ & auaritiæ quoque affine arbitror, vbi ipſimet ſua proferre in medium poſſunt, nos illis ſermonem non cedere, locumquè dare, & cum ſilentio (ſicut in myſteriorum ritibus) auſcultare; verùm impudenter, & confidenter agere, & propria audere contra obtrudere. Deinde iſtuc nec inuſitatum eſt, nec à more ſanctorum optimorúmque virorum alienum. Conſtat enim non modò maiores noſtros, homines ſapientes & integros iſtam rationem perſtudioſè tenuiſſe in orationibus, quas de clariſſimis hiſce viris contexuerunt: ſed inſuper hos ipſos ſapientia

διδα-

διδασκάλους ἐν τοῖς ἰδίοις αὐτῶν λόγοις τοῦτο πολλάκις ποιοῦντας ὁρῶμεν. τὰ αὐτῶν παρ' ἑαυτῶν ὥσπερ δανειζομένους, ἔν τε τοῖς ὑπὲρ τῶν ἱερῶν μυστηρίων, ἔν τε τοῖς ἀλλήλων καὶ τοῖς τῶν φίλων ἱεροῖς ἐγκωμίοις, τύπους ὥσπερ, καὶ παράδειγμα γενομένους καὶ τούτου τοῖς τὰ ἐκείνων ἐζηλωκόσιν. εἰ δὲ καὶ τρίτον ζητεῖς, πρόσεστι καὶ τρίτον, τὸ τοῦ φίλτρου καὶ τοῦ ἔρωτος, καὶ τῆς μαλακίας, ἵν' οὕτως εἴπω, τῆς πρὸς τοὺς λόγους, καὶ τὰς βροντὰς ἐκείνας θεσπεσίας, καὶ τὸ ἱερὸν ὄντως νέκταρ. οὗ μηδὲ κόρον ἡμεῖς ἔσχομέν ποτε, καὶ ἀκούοντες, καὶ ἀναγινώσκοντες, καὶ γράφοντες, καὶ χρώμενοι τούτοις. ἔν γε τῷ ἱσταμένῳ τῆς χρείας. καὶ δὴ πρὸς αὐτοὺς ἐκείνους, καὶ τὴν εὐφημίαν ἤδη χωρῶμεν.

Οὗτοι κατὰ πρόνοιαν ὑψηλοτάτην, καὶ ἀπόρρητον ὄντως καὶ θείαν, ἣ πόρρωθεν οἶδεν, ὡς αὐτοὶ καὶ τοῦτο φασὶ, τὰς τῶν μεγάλων πραγμάτων ἀρχὰς καταβάλλεσθαι, φύονται μέσον τῆς Χριστοῦ ἐκκλησίας, εἴτε τὴν κάτω, καὶ σωματικὴν βούλει γέννησιν λέγειν, εἴτε τὴν ἄνω, καὶ ὑψηλὴν, καὶ θείαν, ἣν ἡμερινὴν ὁ θεῖος εἶπε Δαβὶδ, καὶ τῆς νυκτερινῆς ἀντίθετον, εἴτε καὶ ἀμφοτέρας. καὶ ταύτην καὶ μητέρα, καὶ τροφὸν, καὶ πατρίδα, καὶ γένος, καὶ πᾶν εἴ τι τοιοῦτον ποιησάμενοι μόνην, τρέφονται μὲν τὰ πρῶτα παρ' αὐτῇ, καὶ ποτίζονται τὸ τῆς πίστεως καθαρόν τε καὶ ἄδολον γάλα, διὰ τῶν εἰσαγωγικῶν, καὶ προτελείων αὐτῆς λόγων. καὶ τὰ τῶν ἐγκυκλίων σὺν ἐκείνοις καὶ μετ' ἐκεῖνα φιλοσοφοῦσιν. ἐπεὶ δὲ καὶ λόγων αὐτοῖς ἔδει τελεωτέρων, καὶ σοφίας τῆς ἔξω (δεῖ γάρ φασιν οἱ αὐτοὶ καὶ τῆς ἐν λόγοις δυνάμεως πρὸς τὴν τῶν νοημάτων δήλωσιν· κίνημα γὰρ ναρκώντων δεῖ νοῦς

doctores inclytos in ſuis ipſorum voluminibus id factitaſſe comperimus, vt ſua à ſemetipſis velut mutuarentur & cum ſacra myſteria tractarent, & cum viciſsim ſeſe, & amicos ſanctis laudibus proſequerentur: qua quidem ratione huius rei quaſi typum & exemplar imitatoribus ſuis præmonſtrarunt. Iam ſi tertiam reſponſionem requiris, eſt in promptu etiam tertia, ardor, & amor incredibilis, & vt ita vocemus, malacia quadam erga ſcripta, & tonitrua illa diuina, & ſine dubio ſacrum nectar, quo nos illa ſiue audiendo, ſiue legendo, ſiue ſcribendo, ſiue vt vſus poſtulauit adhibendo ſatiari & expleri nunquam potuimus. Quamobrem ad eos, eorumq; laudes deprædicandas aliquando accedamus.

Hi ſecundùm altiſsimam, veréque inexplicabilem ac diuinam prouidentiam, quæ multo ante (vt ipſi quoq; docent) magnarum rerum principia, & fundamenta ponere ſolet, in medio Chriſti Eccleſia nati ſunt, ſiue terrenam, & corpoream generationem, ſiue ſupernam, ſublimem ac diuinam, quam S. Dauid diei generationem, Pſal. 18. *& nocturnæ generationi contrariam dixit, ſiue ambas ſpectare voluerimus. Et cũ hanc ſolam (ſpiritualem generationem) ſibi & matrem, & nutricem, & patriam, & genus, & quidquid eſt huiuſmodi, ſtatuiſſent, primùm ab ea aliti ſunt, fideiq; ac pietatis purum, ac ſine dolo lac, introdu-* 1. Pet. 2. *ctorios & initiatorios ſermones eius hauſerunt, & cum illis, ac poſt illos orbem diſciplinarum liberalium excoluerunt. Vbi verò perfectioribus illis doctrinis, externáque ſapientia opus fuit (requiritur enim, inquiunt ipſimet, etiam vis dicẽdi ad animi ſenſa explicanda: intelligentia ſiquidẽ,*

 ἀνιλά-

ἀνεκλάλητος) ἀλλὰ καὶ τοὺς ἀντιλέγον-
τας τῷ τῆς πίστεως ὀρθῷ λόγῳ, καὶ παρ'
ἑαυτοῖς εἶναι δοκοῦντας σοφοὺς, καὶ καθ' ἑαυ-
Rom. 11. τῶν ἐπαιρομένους δεῖν ἔκριναν εἶναι τοῖς
1. Cor. 8. ἐκείνων βέλεσι βάλλειν, καὶ τὴν ὀφρὺν
κατασπᾶν καὶ τὸ κενὸν φύσημα, καὶ ἵνα μὴ
τὸ τῶν λόγων ἐκείνων ἀνάσκητον, ἀσθέ-
νεια τοῦ καθ' ἡμᾶς ἱεροῦ νομίζηται λόγου
παρὰ τοῖς ἀνοήτοις, ἀσκοῦσι κἀκεῖνα, οὐχ
ἁπλῶς, οὐδὲ παρέργως, ὡς ἂν εἴποι τις,
ἀλλ' οὕτω φιλοτίμως καὶ λαμπρῶς ἄγαν,
ὡς μηδεμίαν ὑπερβολὴν καταλιπεῖν.
φύσεσι γὰρ δεξιαῖς, καὶ σπουδὴν τὴν κατάλ-
ληλον συνεισενεγκόντες, ἐξ ὧν φησιν ἐπι-
στῆμαι, καὶ τέχναι τὸ κράτος ἔχουσι, τὸ
κράτος ἐν βραχεῖ κατὰ πάντων ἐκλήσαν-
το τῶν ἐκεῖνα φιλοσοφούντων. ῥητορικὴν
μὲν οὖν καὶ φιλοσοφίαν, μᾶλλον δὲ καὶ μέ-
ρος ἅπαν φιλοσοφίας, οὕτως εἰς ἄκρον, εἴ-
περ τινες κατορθοῦσιν. ἀστρονομίας δέ φησι,
καὶ γεωμετρείας, καὶ ἀριθμῶν ἀναλογίας
τοσοῦτον λαβόντες, ὅσον μὴ κλονεῖσθαι
τοῖς περὶ ταῦτα κομψοῖς, ὃ καὶ αὐτὸς
ἔφθην εἰπὼν ἤδη, τὸ περιττὸν, ὡς ὁ μέγας
καὶ αὖθις φησι, διέπτυσαν, ὡς ἄχρηστον τοῖς
εὐσεβεῖν ἐθέλουσιν. ὥστε μᾶλλον μὲν τὸ αἱρε-
θὲν τοῦ παρεθέντος ἐξεῖναι θαυμάζειν·
μᾶλλον δὲ τοῦ αἱρεθέντος τὸ παρεθέν.
οὕτω κατὰ σκοπὸν οἱ γεννάδαι, καὶ ὥσπερ
ἔδει γε τοὺς τοιούτους τὰ ἑαυτῶν κἀν τούτοις
οἰκονομήσαντες, μικρά τι τῷ κόσμῳ, καὶ
τῇ σκηνῇ φησι χαρισάμενοι, καὶ ὅσον τὸν
τῶν πολλῶν πόθον ἀφοσιώσασθαι. οὐ γὰρ
αὐτοί γε εἶχον θεατρικῶς ἢ ἐπιδεικτικῶς.
μᾶλλον δὲ κἀνταῦθα θεῷ, καὶ ἀρετῇ δε-
δωκότες τὸ πλεῖστον. διὰ τῆς ἐν δικαστη-
ρίοις συνηγορίας τῷ καταπονουμένῳ προ-
στάμενοι μέρει καὶ φύσει καὶ τέχνῃ, καὶ
τοῖς κειμένοις νόμοις παριστάμενοι τῷ δι-
καίῳ, καὶ τὸ κράτος οἷς εἶχον τούτῳ διδόν-

*que explicare ſe neſcit, motus torpentium
eſt) ſuis telis rectæ doctrinæ fidei aduerſan-
tes, & apud ſemetipſos ſapientes ac ſcientes
ſcriendos, & ſupercilium, inanemq́ inſla-
tionem, ac ſpiritus illis detrahendos exiſti-
marunt; néue in ipſorum diſciplinis rudi-
tas & imperitia, ſacræ rationis noſtræ im-
becillitas ab inſipientibus exiſtimaretur,
etiam in illis, non leuiter, nec molli bra-
chio, vt quiſpiam dixerit, verùm adeò ſe-
dulò, & inſigniter ſe exercuerunt, vt ſupra
fieri nihil poſſet. Cumq́ fœlicitatem inge-
niorum pari diligentia cumulaſſent, qui-
dixi. Videamus nihilominus quæ propter internos, & legitimos, diuinitatemq́; ſpiritus confitentes, & adorantes dixerit. Vellem, inquit, ſi poſſem, ante oculos vobis conſtituere, quam erga vos gero charitatem. Nihil quippe mihi vobis eſt amabilius, ne ipſa quidem lux iſta. Millies enim optarem ipſe orbari luminibus, ſi ita animas veſtras conuertere poſſem: adeò mihi ſalus veſtra huius lucis aſpectu iucundior eſt. Nam quid iuuant radij ſolis, quando oborta veſtri cauſſa ægritudo, oculis magnas offundit tenebras? Tunc enim lux bona & grata eſt, quando hilaritate hauritur: animæ enim mœrenti, etiam moleſtiam videtur apportare. Huius veritatis abſit vt vnquam periculum faciatis. Veruntamen, ſi quando contigerit ex vobis peccare quempiam, me dormientem conuenite. Si non ſum ſimilis paralyticis, ſi non amentibus, & vt loquar cum Propheta, & lumen oculorum meorum & ipſum non eſt mecum, *& niſi quis iudicet me ſupra modum ambitioſum, videres me quotidie fontes lachrymarum emittentem. Harum mihi conſcia eſt domuncula, & ſolitudo. Credite mihi, ſpem ſalutis meæ pœne abiicio, dum enim veſtra defleo, nunquam mea mala lugendi otium mihi eſt; ita mihi omnia vos eſtis. Si ſenſero vos proficere, præ gaudio mala mea non ſentio. Si videro non proficere, præ animi dolore rurſum mea dimitto, vt qui exultem veſtris bonis, etſi mala habeam innumera: contriſter autem veſtris malis etiamſi innumerabilia adſint mihi rectè facta. Quid enim ſperem ego, ſi vos non proficiatis? Cur autem me quidquam triſtem reddat, ſi vos rectè geratis? In ſublime videor euolare; cum boni quip-* Pſal. 37.

Dd 2 ὑμῶν

ὑμῶν ἀκούω χρηστόν. πληρώσατέ μου τὴν χαράν. γένοιτο σωθῆναι ὑμᾶς, καὶ δοῦναι λόγον ἐμὲ δι᾽ ὑμᾶς. ὑμᾶς σωθῆναι, καὶ ἐμὲ ἐγκαλεῖσθαι, ὡς μὴ πληρώσαντα τὰ παρ᾽ ἐμαυτοῦ. οὐ γὰρ τοῦ δι᾽ ἐμοῦ σωθῆναι ὑμᾶς φροντίζω, ἀλλὰ τοῦ σωθῆναι μόνον δι᾽ ὅτου δήποτε. τοσοῦτον μόνον εἰσήνεγκα εἰς τὴν εὐχήν, ὅτι ἐπιθυμῶ ὑμῶν τὴν προκοπήν· ὅτι φιλῶ· ὅτι συμπέπλεγμαι· ὅτι πάντα μοι ὑμεῖς ἐστε, καὶ μήτηρ, καὶ ἀδελφοί, καὶ παιδία, καὶ εἴγε ἐνῆν τὴν καρδίαν ἡμῶν ἀναρρῆξαι, καὶ ἐπιδεῖξαι, πάντας ὑμᾶς εἴδετε ἂν μετὰ πολλῆς ἔνδον ὄντας τῆς εὐρυχωρίας, καὶ γυναῖκας, καὶ παῖδας, καὶ ἄνδρας. τοιαύτη γὰρ ἡ τῆς ἀγάπης δύναμις, καὶ τοῦ οὐρανοῦ εὐρυχωροτέραν ποιεῖ τὴν ψυχήν.

Τοιαῦτα τὰ τῶν ἱερῶν, καὶ τρισολβίων τούτων πατέρων, καὶ διδασκάλων· καὶ τὰ περὶ ἀγάπης, καὶ ὑπὲρ ἀγάπης θεοῦ, τά τε πράγματα, καὶ οἱ λόγοι φημί, ὡς καὶ περὶ τούτων ἡμᾶς ἀπὸ μέρους ἐνταῦθα δεῖξαι. οὕτω θαυμαστὰ καὶ ὑπερφυᾶ, καὶ ὑπὲρ τὸν κάτω τουτονὶ λόγον, καὶ τὸν ἀνθρώπινον, καὶ ἄξια μόνου θεοῦ, καὶ τῆς αὐτῶν ψυχῆς, καὶ τῆς ἀρετῆς· καὶ οὐδὲ τὸ θαυμάζεσθαι πρὸς ἀξίαν διὰ τὴν ὑπερβολήν, καὶ τὸ μέγεθος ἔχοντα. μᾶλλον δ᾽ ἵνα καὶ πάλιν τοῖς θαυμαστοῖς αὐτῶν λόγοις ὑπὲρ τούτων αὐτῶν καὶ ἐν τούτοις χρήσωμαι· τοῦτο καὶ γὰρ κατὰ πολὺ βέλτιον. τοῦτο τῶν μακρῶν πόνων, καὶ λόγων λυσιτελέστερον, οὓς πάντες ἤδη λογογραφοῦσιν, οἷς τι καὶ φιλοτιμίας συνέζευκται· καὶ διὰ τοῦτο ἴσως τι καὶ καινοτομεῖται περὶ τὸν λόγον. τοῦτο τῶν πολλῶν ἀγρυπνιῶν καὶ χαμευνιῶν προτιμότερον, τῶν μέχρι τῶν κατορθούντων τὸ κέρδος. τοῦτο τῶν ἀοιδίμων ἐξοριῶν, καὶ φυγῶν, καὶ λιθασμῶν, καὶ λοιδοριῶν, καὶ ὕβρεων ἐπικερδέστερόν τε, καὶ χαριέστερον.

piam de vobis audio. Implete gaudium meum. Liceat vobis ſalutem aſſequi, me autem propter vos reddere rationem. Vobis dari ſalutem, me accuſari, quòd muneri meo non ſatisfecerim. Non enim curo, vt per me ſalui ſitis: ſed ſolùm, vt ſalui ſitis, quacunque ratione. Hoc tantum eſt votum meum, quòd progreſſus veſtros deſidero, quòd vos amo, quòd vos complector, quòd vos mihi eſtis omnia, & pater, & mater, & fratres, & filij: &, ſi liceret cor noſtrum rumpere, & vobis omnibus exhibere, videretis in magna latitudine intus eſſe & vxores, & filios, & maritos. Eiuſmodi enim eſt virtus charitatis, animamque vel cœlo ipſo capaciorem facit.

Talia ſunt ſanctorum, & ter beatorum iſtorum Patrum, talia, inquam, de charitate, & pro charitate Dei & facta, & dicta, qualia nos hîc partem aliquam oſtendimus: adeo admiranda, & vltra modum egregia, & terrenis iſtis, humanisq; verbis ſuperiora, ſolóque Deo, ipſorumq; anima & virtute digna, & quæ ne admirari quidem pro dignitate ob excellẽtiam magnitudinemq; poſſis. Quinimo, & denuo ſingularibus eorum verbis pro his ipſis etiam in his vtar; hoc longè præſtat, hoc diuturnis illis laboribus ac ſermonibus multò eſt conducibilius, quos nunc omnes ſcriptitant, qui ambitione quadam tenentur, atq; ideo fortaſſe circa fidei doctrinam quædam immutantur. Hoc multis vigiliis, & chameuniis eſt præclarius, quarum commodis fruuntur, qui eas obeunt. Hoc fama celebratis exiliis, fugis, lapidationibus, contumeliis, injuriis multò eſt lucroſius, & gratioſius. Pro illo enim hæc etiam perpeti voluerunt. Quamobrem &

ὑπὲρ

ὑπὲρ γὰρ ἐκείνου καὶ ταῦτα παθεῖν εἵλοντο. διὸ καὶ τὸ εἰ φιλεῖς με Πέτρε, ποίμαινε τὰ προβατά μου, πρὸς τὸν μέγαν τουτονὶ κορυφαῖον τρίτον εἰρημένον παρὰ Χριστοῦ, καὶ πρὸς αὐτοὺς ὡσαύτως εἰρῆσθαι νομίσαντες ἄντικρυς, καὶ οὕτω φιλεῖν ἐκεῖνον, ὡς ἐκεῖνος ἐβούλετο, καὶ λόγοις καὶ ἔργοις μετὰ Πέτρου σπουδάσαντες, καὶ τὴν ψυχὴν κατ' ἐκεῖνον ὑπὲρ τοῦ ποιμνίου δεδώκασι. καὶ μισθὸν τῆς ἱερουργίας τοῦ εὐαγγελίου, καὶ θεοπρεπὲς, καὶ ὑπέρτιμον τοῦτο γέρας παρὰ Χριστοῦ ἐκομίσαντο. τί γάρ φησιν αὐτὸς μετ' ἐκεῖνα πρὸς τὸν μακάριον μαθητήν; ἀμὴν ἀμὴν λέγω σοι. ὅτε ἦς νεώτερος, ἐζώννυες σεαυτὸν, καὶ περιεπάτεις ὅπου ἤθελες. ὅταν δὲ γηράσῃς ἐκτενεῖς τὰς χεῖράς σου, καὶ ἄλλος σε ζώσει, καὶ οἴσει ὅπου οὐ θέλεις. τοῦτο δέ φησιν εἶπε, σημαίνων ποίῳ θανάτῳ δοξάσει τὸν θεόν. μονονουχὶ τοῦτο λέγων. ὅτι ἐπεὶ δὴ ἡμετέραν ποιμαντικὴν, καὶ τὸ ἐμὸν ἀνεδέξω ποίμνιον, ὡς ἐγὼ βούλομαι, καὶ οὕτω με φιλεῖν ὡμολόγησας, τοῦτο μισθὸν ἀξιώτατον κομιεῖ παρ' ἐμοῦ, τὸ διὰ σταυροῦ καὶ θανάτου ἀκολουθῆσαί μοι. καὶ οὕτω δοξάσαι θεὸν, καὶ δοξασθῆναι θεοπρεπῶς παρ' αὐτοῦ.

illud, ſi diligis me, Petre, paſce oues meas, ad nobilem illum coryphæum, tertium à Chriſto prolatum, ad ſe nihilominus planè prolatum rati, etiam ſic eum amare, vt ipſe amari volebat, verbis & operibus cum Petro ſtudentes, animam quoque, vt ille, pro grege dederunt, & mercedem ſacræ functionis in Euangelio prædicando, diuinũ & inæſtimabile præmium à Chriſto retulerunt. Quid enim deinceps beato diſcipulo ait? Amen amen dico tibi: quando eras iunior, cingebas te, & ambulabas vbi volebas. Quãdo autem ſenueris, extendes manus tuas, & alius te cinget, & ducet, quò tu non vis. Hoc autem dixit, inquit, ſignificans qua morte eſſet clarificaturus Deum. Perinde ac ſi diceret, poſtquam munus paſtorale meum, & gregem meum ſuſcepiſti, vt ego volo, & ita me diligere confeſſus es, hoc præmium digniſſimum à me reportabis, vt per mortem & crucem me ſequaris, itáque glorifices Deum, & glorificeris à Deo. Ioan.21.

Ταῦτα καὶ ὑμεῖς ὦ γενναῖοι ζηλώσαντες καὶ εἰπόντες. καὶ λαμπρῶς διὰ τῶν ἔργων ἐπιδειξάμενοι, καὶ τοῦ θαυμαστοῦ Πέτρου μηδὲν ἀπολειφθέντες. καὶ κατὰ τοῦτο καὶ τῶν ὁμοίων γερῶν ὡσαύτως, καὶ τῆς ἀναῤῥήσεως ἠξιώθητε, καὶ φῶς τοῦ κόσμου καὶ ἅλας τῆς γῆς, καὶ πόλις ἐπάνω ὄρους κειμένη, καὶ λύχνος ἐπὶ λυχνίου τεθειμένος, καὶ λάμπων ἐν τῇ παγκοσμίῳ οἰκίᾳ ταύτῃ παρὰ Χριστοῦ, σὺν ἐκείνῳ γεγόνατε. καὶ οὐ ταῦτα μόνον, ἀλλὰ καὶ κλεῖς οὐρανῶν σὺν ἐκείνῳ δι' ἐκεῖνα πιστεύεσθε. καὶ οὐχ ὅσον ἀπὸ Ἱερουσαλὴμ μέχρι τοῦ Ἰλλυρικοῦ, μείζονα δὲ κύκλον τῷ εὐαγγελίῳ περιελαμβάνετε. καὶ υἱοὶ βροντῆς οὐκ ὀνομάζεσθε μὲν,

Hæc & vos, ô generoſi, æmulantes, & loquentes, operibusq́; apertè & inſigniter demonſtrantes, & Petro illo admirando etiam hac in parte nihilo inferiores, ſimilibus item præmiis, & appellatione honeſtati, & cum illo à Chriſto facti eſtis lux mundi, ſal terræ, ciuitas ſupra mõtem, & lucerna ſupra candelabrum poſita, *quæ in totius mũdi domo luceat.* Matth.5. *Neque iſta tantùm, ſed etiam claues regni cælorum ideo vobis creditæ ſunt.* Matth.16. *Nec quantum eſt ſpatij ab Hieruſalem vſque in Illyricum, ſed orbem maiorem Euangelio obiuiſtis, & filij tonitrui non quidem nuncupamini, ſed reuera eſtis; & ſuper* Rom.15. Marci 3. Ioan.21.

γίνεσθε δή. καὶ ἐπὶ τὸ στῆθος Ἰησοῦ κείμενοι, ἐκεῖθεν ἕλκετε τοῦ λόγου τὴν δύναμιν, καὶ τὸ βάθος τῶν νοημάτων.

Τὰ δὲ τοῦ πρωτομάρτυρος στεφάνου παθεῖν οἱ γενναῖοι κεκώλυνται. τοὺς μὲν λιθαζόντων, καὶ τῶν κρυπτῶν ἐκείνων σφαγίων ἄνωθεν ἐπισχόντος θεοῦ, διὰ τὴν τῶν σωζομένων ὑπ᾽ αὐτῶν σωτηρίαν, καθὰ δὴ καὶ φθάσαντες ἔφημεν· τοὺς δὲ τῇ πρὸς αὐτοὺς ἐπισχόντας αἰδοῖ, σφαδάζοντας τοῖς θυμοῖς, καὶ τοὺς λίθους φέροντας ἐν χερσί· δι᾽ ἃ δήπου καὶ φθάσας ἐγὼ, καὶ ὁμοταγεῖς, καὶ ὁμοτίμους, καὶ ἐφαμίλλους ἐν ἅπασιν εἶπον τοῖς κορυφαίοις τῶν Ἀποστόλων Χριστοῦ, καὶ μετὰ Μωσέως, μᾶλλον δὲ καὶ ὑπὲρ Μωσέα, καὶ τοὺς τῆς παλαιᾶς πάντας προφήτας καὶ νομοθέτας ἀκριβεῖς, καὶ θεόπτας, ἅτε καὶ τὸν θεῖον ἐκεῖνον νόμον, καὶ τὰς ἱερὰς προφητείας τοῖς ἑαυτῶν λόγοις πρὸς φῶς ἀγαγόντας, καὶ τὴν ἀπὸ τοῦ γράμματος πρὸς τὸ πνεῦμα μετάθεσιν ἐκείνων πάντας διδάξαντας.

Εἰ δὲ καὶ Μωσῆς ὑπὲρ τοῦ Ἰσραὴλ πρὸς
Exod. 32. τὸν θεὸν ὀργιζόμενον ἔλεγεν, ἂν μὲν ἀφῇς αὐτοῖς τὴν ἁμαρτίαν, ἄφες· εἰ δὲ μὴ, κἀμὲ ἐξάλειψον ἐκ τῆς βίβλου, ἧς ἔγραψας, συναπολέσθαι διὰ τὸ φίλτρον τοῖς ποιμαινομένοις ἑλόμενος, ἀλλὰ κἀνταῦθα τὸ πλέον ἐξετάζων εὑρήσεις παρὰ τοῖς ἐμοῖς ποιμέσι, καὶ νομοθέταις. οὐ γὰρ συναπολέσθαι τοῖς φίλοις καὶ οὗτοι, καθὰ δὴ καὶ Μωυσῆς ηὔχοντο, ἀλλὰ προκινδυνεῦσαι μᾶλλον ἐκείνων, οὗτοι, καὶ θεῖναι τὴν ψυχὴν ὑπὲρ τῶν φίλων μετὰ Χριστοῦ, ἵν᾽ ἐκείνοις τὸ σώζεσθαι περιγένηται. οὐ μὴν ἀλλ᾽ οὐδ᾽ ἐκεῖνο μετὰ Μωσέως πρὸς θεὸν εἶπον
Num. 11. καὶ οὗτοι, κατὰ τῶν ἀπειθῶν δυσχεραίνοντες· ἵνα τί ἐκάκωσας τὸν θεράποντά σου; καὶ διὰ τί οὐχ εὕρηκα χάριν ἐναντίον σου, ἐπιθεῖναί μοι τὴν ὁρμὴν τοῦ λαοῦ τούτου ἐπ᾽ ἐμέ; μὴ ἐγὼ ἐν γαστρὶ ἔλαβον τὸν πάντα

pectus IESV *recumbentes, inde ſermonis efficacitatem, profunditatemque intelligentiarum trahitis.*

Pœnas autem protomartyris Stephani illuſtres iſti experiri permiſſi non ſunt, lapidantium & occultorum illorum mactatorum quoſdam Deo cœlitus cohibente, ob ſalutem eorum, quibus ipſi ſalutem pepererunt, vt & ante diximus; aliis pudore & reuerentia erga illos captis, ſuccenſentibus animis, lapideſque manibus portantibus. Quare & ego ſuprà, ordine, honore, certaminibus per omnia Apoſtolorum Chriſti principibus pares eos eſſe confirmaui, & cũ Moſe collocaui; quin ſupra Moſen, & veteris Teſtamenti Prophetas, & legiſlatores perfectos, & Dei ſpectatores: vtpote qui diuinã illã legẽ, ſacraq; vaticinia ſcriptis ſuis illuſtrarint, & illorum tranſitum à litera ad ſpiritũ omnes mortales docuerint.

Quod ſi Moſes pro Iſraële Deo irato dixit, ſi dimittis illis peccatum, dimitte: ſin autem, dele me de libro, quem ſcripſiſti, *ob ardentem gregis ſui amorem cum eo perire non recuſans, ſanè etiam hîc, ſi inquiſieris, apud paſtores & legiſlatores meos amplius quiddam inuenies. Non enim hi cum ſibi charis etiam interire Moſis exemplo optabant: ſed pro ipſis potius ſubire diſcrimina, & cum Chriſto pro amicis animam ponere, quò illi ſalute potirentur. Sed neque illud cum Moſe hi Deo obiecerunt, inobedientibus irati videlicet,* cur afflixiſti famulum tuum, & quare non inueni gratiam coram te, vt imponas pondus vniuerſi populi huius ſuper me? Nunquid ego concepi omnem hanc multitudinem, vt dicas mihi, por-

λαὸν

λαὸν τοῦτον; ἢ ἐγὼ ἔτεκον αὐτούς, ὅτι λέγεις μοι, λάβε αὐτοὺς εἰς τὸν κόλπον σου, ὡσεὶ ἄραι τιθηνὸς τὸν θηλάζοντα, εἰς τὴν γῆν ἣν ὤμοσα τοῖς πατράσιν αὐτῶν. οὐχ οὕτω πρὸς θεὸν περὶ τῶν ποιμαινομένων καὶ οἱ μακάριοι οὗτοι ἔλεγον. ἀλλ' ἐκεῖνα δήπου, τὰ ὑπὲρ λόγον, καὶ ὑψηλότατα, ἃ δὴ καὶ φθάσαντες αὐτοὶ δι' ἑαυτῶν ἀξίως ἡμᾶς ἐδίδαξαν.

Μεγάλα μὲν οὖν ταῦτα, καὶ ὑψηλά, μᾶλλον δὲ εἰ οὕτω χρὴ λέγειν, καὶ μεγάλων μείζονα, καὶ ὑψηλῶν ὑψηλότερα, καὶ τῆς τῶν ἀνδρῶν ἀρετῆς, καὶ τοῦ ἤθους ἄξια, καὶ τοῦ διδασκαλίας κράτους, οἰκειουμένου τὰ πέρατα. οἶμαι γὰρ (ἵν' ἐκ τῶν αὐτῶν πάλιν περὶ αὐτῶν φθέγξωμαι) εἴ τις ἐγένετο, ἢ γενήσεται σάλπιγξ ἐπὶ πολὺ τοῦ ἀέρος φθάνουσα· ἢ θεοῦ φωνὴ τὸν κόσμον περιλαμβάνουσα, ἢ σεισμὸς οἰκουμένης ἔκ τινος καινοτομίας καὶ θαύματος, ταῦτα εἶναι τὴν ἐκείνων φωνὴν καὶ διάνοιαν, τοσοῦτον ὑπολείπουσαν πάντας, καὶ κάτω τιθεῖσαν, ὅσον τὴν τῶν ἀλόγων φύσιν ἡμεῖς.

Κἀκεῖνοι μὲν οὕτως, καὶ τοιοῦτοι τὰ πρὸς ἡμᾶς εἰσι, καὶ τὴν Χριστοῦ πᾶσαν ἐκκλησίαν ὁμοῦ, ὡς μηδὲ παραβάλλεσθαι μηδ' ἁμιλλᾶσθαι περὶ τῶν τοιούτων πρὸς τούτους μηδένας τῶν πάντων ἔχειν μηδ' ὁπωσοῦν. ἡμῖν δέ, φησι, τίς μὲν ἄλλη συλλόγου σήμερον χάρις; τίς δὲ συμποσίων ἡδονή; τίς δὲ ἀγορῶν; τίς δὲ ἐκκλησιῶν; τίς τῶν ἐν τέλει, καὶ τῶν μετ' ἐκείνων τρυφή; τίς μοναστῶν, ἢ μιγάδων; τίς τῶν ἀπραγμόνων, ἢ τῶν ἐν πράγμασι; τίς τῶν τὰ ἔξω φιλοσοφούντων, ἢ τὰ ἡμέτερα; μία, καὶ διὰ πάντων, καὶ ἡ μεγίστη, τὰ ἐκείνων συγγράμματα, καὶ πονήματα. οὐδὲ γραφεῦσιν εὐπορία τις ἄλλη μετ' ἐκείνους, ἢ τὰ ἐκείνων συγγράμματα. σιωπᾶται τὰ παλαιά, καὶ ὅσα τινὲς τοῖς θείοις λόγοις ἐνίδρωσαν· βοᾶται τὰ νέα, καὶ οὗτος ἄριστος ἐν λόγοις, ὃς ἂν τὰ

ta eos in ſinu tuo, ſicut portare ſolet nutrix infantulum, & defer in terram, pro qua iuraui patribus eorum. *Non ſic ſuper bis quos paſcebant etiam beati hi locuti ſunt: ſed illa nimirum, quæ & altiſſima ſunt, & ſatis prædicari nequeunt, quæ ipſi per ſe ipſos dignè nos docuerunt.*

Magna igitur hæc & excelſa; imò ſi ita dicere fas eſt, & magnis maiora, & excelſis excelſiora, virorumq́ tantorum virtuti & moribus reſpondentia, & potentiæ cuiuſdam, quæ omnem doctrinæ amplitudinem ſibi vendicarit. Sic enim ſtatuo (vt ex ipſorum ſcriptis de ipſis rurſum loquar) ſi qua fuit, aut erit tuba, latè per aërem reſonans, aut Dei vox mundum implens, aut terræ vniuerſæ tremor, ex nouitate aliqua miraculoq́, hæc eſſe illorum voces & ſenſa, quibus omnes alios antecellunt, & infra ſe relinquunt, quanto nos beſtiarum naturæ antecellimus.

Ac illi quidem ita ſe habent, talesq́ ſunt, quod ad nos, & totam ſimul Chriſti Eccleſiam attinet, vt nemo ex omnibus in his cum ipſis conferri, aut contendere vllo modo poſſit. Nobis autem, inquit, quænam alia hodierni conuentus gratia? quæ compotationum iucūditas? quæ fori? quæ Principum, & familiarium ipſorum voluptas? quæ monachorum, aut coniugatorum? quæ otioſorum, aut occupatorum? quæ externæ, aut Chriſtianæ philoſophiæ ſectatoribus? vna & per omnia maxima, illorum ſcripta, & labores. Neque enim ſcriptores poſteri aliunde, quam ex ipſorum libris copiam ſuam petunt. Prætereuntur & tacentur vetera, & quæ nonnulli diuinæ doctrinæ inſudantes laborarunt: noua clamantur, & prædicantur,

ἐκείνων

ἐκείνων μάλιστα τυγχάνῃ γινώσκων, καὶ διὰ γλώσσης φέρων, καὶ συνετίζων τὰς ἀκοάς. ἤρκεσαν γὰρ οἱ τρεῖς ἀντὶ πάντων τοῖς σπουδαιοτέροις εἰς μίμησιν. οἱ δὴ καὶ τὸ καινότατον τοῦτο, καὶ θαύματος πλῆρες ἐπὶ πᾶσιν ἔσχον τοῖς προρρηθεῖσι, τὸ πρῶτοι καὶ μόνοι παρ' ἑαυτῶν τε, καὶ τῶν οἰκείων λόγων, καὶ συγγραμμάτων τὰ ἐγκώμια δέξασθαι πάσης ἐπιστήμης τε, καὶ λόγων ἰδέας. καὶ τῶν περὶ ταῦτα δεινῶν, ἐξισταμένων ὁμοῦ πάντων καὶ παραχωρούντων τοῖς μεγάλοις τοῦ λόγου; ὃ δὴ καὶ ἀρχόμενος ἔφην τοῦ λόγου.

Ἐπὶ μὲν οὖν τῶν ἄλλων ἀνθρώπων σπουδαίων τέ φημι καὶ ῥᾳθύμων, σοφῶν τε καὶ ἀμαθῶν, ἑλλήνων τε καὶ βαρβάρων, καὶ πάντων ὁμοῦ, ἐκείνους ἂν ἴδοις φιλοῦντας ἀλλήλους καὶ φιλουμένους τοὺς τῶν αὐτῶν ὀρεγομένους τε, καὶ σπουδαστάς, καὶ τὴν αὐτὴν μετὰ τῆς αὐτῆς προθυμίας ἑκάστοτε τρέχοντας. ἐπειδὴ καὶ φίλον φασὶ τῷ ὁμοίῳ τὸ ὅμοιον. τοὺς δὲ νῦν ἐπαινουμένους, οὕτω σφοδρῶς τε, καὶ μεθ' ὑπερβολῆς καὶ ὁμοῦ καὶ πάντες φιλοῦσιν, ὡς ἀπὸ συνθήματος, ὡς μηδὲ λέγειν ἐξεῖναι, μηδὲ μετρεῖν. καὶ τοὺς μὲν Χριστοῦ μαθητὰς πάντας καὶ μιμητάς, ἀποστόλους λέγω καὶ μάρτυρας, καὶ ποιμένας, καὶ διδασκάλους, καὶ τὴν τῶν ὁσίων, καὶ δικαίων ἅμα πληθύν, οἱ καὶ πάντας ὁμοῦ πάντες, διὰ τὸ πρὸς τὸν κοινὸν δεσπότην φίλτρον, καὶ τὴν κατὰ δύναμιν μίμησιν διαφερόντως τιμῶσί τε καὶ φιλοῦσιν, ἀλλὰ τὴν σπουδὴν, καὶ τὸ φίλτρον οὐχ ὁμοίως, οὐδὲ κατὰ ταυτὰ πάντες πρὸς πάντας ἔχουσιν. ἀλλ' οἱ μὲν τούτους, οἱ δὲ ἐκείνους, καὶ ἄλλος ἄλλον καὶ φιλοῦσι μᾶλλον, καὶ προσεδρεύουσι, καὶ δωροφοροῦσί γε τὰ εἰκότα καθόσον ἔξεστι. πάντες δ' ὁμοῦ τοὺς τρεῖς τούτους καὶ φιλοῦσι, καὶ ἐπαινοῦσι, καὶ θαυμάζουσι, καὶ κροτοῦσι, καὶ διὰ γλώττης ἀεὶ δήποτε φέρουσι, συμ-

censeturque is doctiſſimus, qui in ipſorum monumentis quàm accuratiſſimè volutatus fuerit, & verbis ea cõmodè efferre, audientesq́ erudire potuerit. Etenim hi tres ſtudioſioribus ad imitationem præ omnibus ſufficiunt: qui id, quod inprimis nouum, & admirationis plenum eſt, in omnibus prædictis habuerunt, vt primi, & ſoli à ſeipſis, propriisq́ ſermonibus, & ſcriptis laudari poſſent, de omni genere ſcientiæ, ſcriptionumq́ forma & vi ſingulari: obſtupeſcentibus ſimul omnibus, & magnis iſtis oratione cedẽtibus, quod principiò aſſerui.

Itaque in aliis hominibus diligentibus & ſocordibus, ſapientibus & indoctis, græcis & barbaris, & cuiuſq́ demum generis illos videas diligere, & diligi inter ſe, quibus eadem ſtudia ſunt in amoribus, quiq́ eodem ſemper curriculo, pari alacritate decurrunt: quandoquidem (vt prouerbio fertur) ſimili ſimilis gaudet. Aſt quos nũc laudamus, tam incenſo, tamq́ inflãmato amore ſimul omnes quaſi ex compoſito proſequuntur, quam nec verbis dici, nec animo capi queat. Et Chriſti quidem diſcipulos atq́ imitatores omnes, Apoſtolos, inquam, & Martyres, & Paſtores, & Doctores, ſanctorumque & iuſtorum totam multitudinem, propter eorum erga communem Dominum charitatem, & eius imitationem pro viribus excellenter honorant, diliguntque: veruntamen ſtudio, & præcipuo quodam amore non æquè, nec ſecundum omnia ſinguli in omnes effundũtur: ſed hi iſtos, alij illos, & alius alium vehementius diligunt, & in iis colendis ſunt aſſidui, & pro decoro ac facultatibus donariis afficiunt. At tres iſtos omnes diligunt, commendant, ſuſpiciunt, plauſibus

tollunt, in ore ſemper habent, exilientes, cantantes, collaudantes, & quid non præ-

τῶν τις.

σῶντες, βοῶντες, ἀνευφημοῦντες, καὶ τί τῶν καλλίστων οὐ κατ' αὐτῶν κεκραγότες; τοὺς πατέρας, τοὺς διδασκάλους, τοὺς εὐεργέτας, τοὺς σωτῆρας μετὰ θεὸν, τοὺς κυβερνήτας, τοὺς θεολόγους, τοὺς τῆς πίστεως στύλους, τοὺς προμάχους τῆς ὀρθῆς δόξης, τοὺς τῶν αἱρέσεων καταλύτας, τοὺς τῶν θείων γραφῶν ἑρμηνέας, τοὺς σοφοὺς, καὶ φιλοσόφους τῆς ἐκκλησίας, καὶ ῥήτορας, τοὺς πάντα ἡμῖν ὁμοῦ μετὰ θεὸν, καὶ μετὰ θεοῦ γεγονότας· μᾶλλον δὲ καὶ γινομένους, καὶ γενησομένους, καὶ μηδὲ λήξοντας. ταῦτα καὶ τὰ τοιαῦτα κατ' αὐτῶν μετὰ μεγάλου πάντες ἀναβοῶσι τοῦ θαύματος. οἱ δέ γε τὴν ἐκείνων ἱερὰν λειτουργίαν, καὶ τὴν τῶν ἀνθρωπίνων οἰκονομίαν ψυχῶν, καὶ τὴν τῶν ἐκκλησιῶν προστασίαν διαδεξάμενοι μετ' ἐκείνους, τί χρὴ καὶ λέγειν, ὅπως τῆς θεσπεσίας αὐτῶν ἐξήρτηνται θεολογίας καὶ γλώττης, καὶ ὅπως αὐτούς τι, καὶ τὰ αὐτῶν ὑπὲρ τοῦτον πνέουσι τὸν ἀέρα; καὶ δογμάτων ἱερῶν διδασκάλους, καὶ ὁδηγοὺς εὐαγγελικῆς πολιτείας, καὶ κανόνας ἱερωσύνης, καὶ ἀρχετύπους παντὸς ἀγαθοῦ, καὶ ἀγάπης, καὶ φρονήσεως, καὶ ἀνδρείας, καὶ σωφροσύνης ὁμοῦ, καὶ δικαιοσύνης, καὶ σοφίας παντοίας, καὶ λόγων, καὶ παντοδαπῆς ἐπιστήμης θείων, καὶ ἀνθρωπίνων πραγμάτων, καὶ τύπους, καὶ κανόνας ἀσφαλεῖς ἔχοντες τούτους, καὶ μηδὲ λέγειν, μηδὲ πράττειν, μηδὲ διδάσκειν, μηδὲ διαλέγεσθαι πρὸς τοὺς ἀντικαθισταμένους τῷ καθ' ἡμᾶς ὑγιεῖ τῆς πίστεως ἀνεχόμενοι λόγῳ, τῆς αὐτῶν διαγνώμης δίχα, καὶ τοῦ κανόνος, καὶ τοῦ τύπου τῶν λόγων, καὶ τῆς θεοπνεύστου διδασκαλίας. ἐπεὶ καὶ συνεῖναι δοκοῦσι τούτοις, καὶ τὰ αὐτῶν παρ' αὐτῶν ἐκείνων νοητῶς ὁμοῦ τι, καὶ αἰσθητῶς, τὸ μὲν, διὰ τὴν ἐκείνων ἄνωθεν ἐπισκίασιν, καὶ τὸ φίλτρον· τὸ δὲ, διὰ τῶν ἱερῶν τούτων πυκτίων ἱερῶς ἀκροᾶσθαι. οὐδὲ γὰρ

clariſſimum de iis claris etiam vocibus prædicantes: eos Patres, magiſtros, bene meritos, ſecundum Deum ſaluatores, gubernatores, Theologos, fidei columnas, orthodoxæ fidei propugnatores, hæreſum euerſores, ſanctarum Scripturarum explanatores, ſapientes, & Eccleſiæ philoſophos atq; oratores, omnia nobis ſimul poſt Deum & cum Deo factos pronuntiantes: imò verò, qui omnia nobis fiunt, & fient, neq; vnquam fieri deſinent. Iſta, iſtorumque non diſſimilia nemo non de hiſce magnis admirabundus exclamat. Iam qui in eorum ſacrum munus, & humanarum animarum procurationem, Eccleſiarumq; gubernationem ſucceſſerunt, quid opus eſt dicere, quomodo à diuina ipſorum Theologia, linguáque pendeant, & quomodo ipſos quæque ipſorum ſunt, magis quam hunc aërem ſpirent, tanquam ſacrorum dogmatum magiſtros, Euangelicæ vitæ duces, & canonas ſacerdotum; & omnis boni archetypos, & charitatis, prudentiæ, fortitudinis, temperantiæ ſimul & iuſtitiæ, & omnis ſapientiæ ac eloquentiæ, omnis diuinarum humanarumq; rerum ſcientiæ formas & regulas tutiſſimas illos habeant: ac neque dicere, neque facere, neque docere, neque aduerſum ſanæ fidei noſtræ oppugnatores, ſine ipſorum decretis atque conſultis, diſputandi forma ac methodo, & à Deo inſpirata doctrina diſputare audeant. Siquidem & cum illis verſari familiariter videntur, & quæ illorum ſunt, ab ipſis illis intellectuali ac ſenſibili modo ſimul, ſancta quadam ratione audire: illud propter illorum è ſuperis obumbrationem, amoremque quem gerunt noſtri ſingularem: hoc propter ſa-

ἀπολιπόντες ἡμᾶς παντάπασιν ἀπολείπουσι.

Καὶ τί δεῖ πλείω, καὶ μακρότερα λέγειν; ὅτι εἰ μὲν καὶ μέχρι συντελείας ἐν σαρκὶ τῷ κόσμῳ, καὶ τοῖς ἀνθρώποις συνῆσαν, τῷ παντὶ τῷδε καὶ τῆς αὐτῶν ζωῆς εἰς κοινὸν ὄφελος καὶ θαῦμα καινὸν ὑπερφυῶς συνεκτεινομένης, ὥσπερ οὐρανός τε, καὶ ἥλιος, καὶ ὁ λοιπὸς τῶν ἀστέρων ἐκεῖνος χορός. ἢ τῶν μεγάλων τούτων στοιχείων ἡ τετρακτὺς, δι' ὧν ἡ αἰσθητικὴ, καὶ ὁρωμένη κτίσις αὕτη τῇ δυνάμει τοῦ κτίσαντος συνέχεται, καὶ πρὸς τὸ ἀδιάλυτον συντηρεῖται· ἢ ψυχή τις κοινὴ, καὶ ζωτικὴ τοῦ παντὸς δύναμις· τοῦτο καὶ πρὸς ὑμῶν ἂν ἦν εἴπερ τι τῶν πάντων, καὶ τοῦ παντὸς ὑπὲρ πάντα τιμώμενον, καί γε τῆς μεγάλης προνοίας, καὶ τῆς παντοδυνάμου δυνάμεως ἄξιον. Geneſ. 3. ἀλλ' ἐπεὶ καὶ τούτους ἀνθρώπους ὄντας οὐκ ἦν μὴ τοῖς νόμοις δουλεῦσαι τῆς φύσεως, μηδὲ τὸν χοῦν ἀποδοῦναι τῇ γῇ, γίνεται μὲν κατὰ φύσιν καὶ τοῦτο, ἵνα μὴ καὶ δόξωσιν οὐσία τις ἄϋλος εἶναι, καὶ ξένη τὸ καθ' ἡμᾶς ὑποκρινομένη, καὶ τὰ καινὰ, καὶ ὑπὲρ ἄνθρωπον ἐκεῖνα τελέσωσι. καὶ ἀποδίδοται μὲν κατὰ καιρὸν ὁ χοῦς τῷ χοΐ, ἵνα καὶ τῶν μακρῶν τέως ἀγώνων, καὶ πόνων, καὶ ἱδρώτων, καὶ τῶν παντοδαπῶν ἀναπνεύσῃ κινδύνων. Geneſ. 2. ἀποδίδοται δὲ καὶ τῇ εἰκόνι τὸ κατ' εἰκόνα τρανότερόν τε, καὶ τελεώτερον. τὸ δὲ κατ' αὐτοὺς θαῦμα πολλῷ μᾶλλον, καὶ καθ' ὑπερβολὴν νῦν ὑψηλότερόν τε, καὶ ὑπερφυέστερον. ὅτι καὶ μεταστάντες, ἡμῶν οὐκ ἀπέστησαν. καὶ τῇ σαρκὶ χωρισθέντες, τῷ πνεύματι μᾶλλον συνήφθησαν. καὶ σύνεισιν ἀχωρίστως τῇ Χριστοῦ ἐκκλησίᾳ, τῆς μεγάλης ἐκείνης προστασίας, καὶ τῆς ποιμαντικῆς κραταιότερον ἀντιχόμενοι, καὶ προπολεμοῦντες τῆς ποίμνης,

ſacra eorum volumina. Nec enim nos ita deſeruerunt, vt omnino deſeruerint.

Quid plura? Si iſti vſque ad conſummationem ſæculi in carne, in mundo, atq; inter homines manſiſſent, & nouo portẽto vita illorum ad communem fructum cum vniuerſitate hac ſupra natura curſum durauiſſet, quemadmodum cœlum & ſol, & reliquus ille ſiderum chorus, aut magnorum horum corporum quaternarius, per quę creatura hæc ſub ſenſum & aſpectum cadens potentia conditoris cohæret, & citra ſolutionẽ cuſtoditur: aut anima quædam communis, & vitalis vniuerſi virtus; hoc & nobis conduceret, ſi quid aliud ex omnibus, quauis æſtimatione maius, & magnæ prouidentiæ, ac virtuti omnipotenti conſentaneum. Sed quoniam & hi homines nati erant, nec poterant naturæ legem effugere, nec puluerem terræ non reddere, debitum perſoluunt, ne ſubſtantia quadam à materia concretione libera, ac peregrina, nobis tantum aſſimilata videantur, quæ noua illa, & hominis captum excedentia præſtet, redditurque ſuo tempore puluis pulueri; vt tandem à diuturnis agonibus, laboribus, ſudoribus, & omne genus periculis reſpiret, & imagini quod fuit ſecundum imaginem purius, perfectiusq; reſtituitur. Cæterùm admirabilitas ipſorum nunc longè maior, & nimium miris modis ſublimior atque excellentior eſt. Nam quamuis hinc demigrauerint, non tamẽ à nobis diſceſſerunt, corporibusq; ſeparati, ſpiritu arctius nobiſcum coniunguntur, Eccleſiæq; Chriſti inſeparabiliter adſunt, magnam illam & paſtoralem prouinciam validius complectentes, & pro grege dimicantes, & lupos perfectè occidentes (quos prius, dum hic

καὶ

καὶ τοὺς λύκους ἀναιροῦντες τελείως, οὓς τῇ καλαύροπι, καὶ τῇ τοῦ λόγου σφενδόνῃ παρόντες ἀπήλαυνον πρότερον, ὅσῳ καὶ φθόνου, καὶ βασκανίας, καὶ λιθασμῶν, καὶ διωγμῶν, καὶ ὑπερορίας, καὶ θανάτων παντοδαπῶν νῦν ἀνώτεροι χρηματίζουσι. καὶ δρῶσι, μὴ πάσχοντες, καὶ τὰ ὑπὲρ φύσιν, ὑπὲρ φύσιν μᾶλλον νῦν γεγονότες ἐξανύουσι κάλλιστα, διὰ τῆς αὐτῶν ὑψηλοτάτης διδασκαλίας, καὶ τῶν κοινῶν παραινέσεων. καὶ ἡ μὲν γλῶττα σιγᾷ, καὶ τὰ χρυσᾶ κατὰ φύσιν μέμυκε χείλη. τὰ δ' ἱερὰ πυκτία, καὶ οἱ θεόπνευστοι λόγοι, καὶ τῶν περὶ θεοῦ δογμάτων οἱ ζῶντες, καὶ ἔμψυχοι θησαυροὶ, καὶ τὸ γινώσκειν ὀρθοδόξως αὐτοῦ τὴν θεότητα, ἅπερ ἡμῖν ὡς κλῆρος τις πατρικὸς, καὶ ὑπέρτιμος ὑπ' αὐτῶν κατελήφθη, ὡς ἐκ μυρίων βοᾷ γλωσσῶν τε, καὶ στομάτων ἀκαταπαύστως. καὶ ζῶσι μὲν ἐν χριστῷ τὴν μακαρίαν ἐκείνην ζωὴν, καὶ ἀνώλεθρον· ζῶσι δὲ καὶ παρ' ἡμῖν ἐντεῦθεν λαλοῦντες, καθάπερ εἶπον· καὶ τὸν κόσμον μετὰ Χριστοῦ σώζοντες.

Δεῦρο δὴ, περιστάντες με πᾶς ὁ περὶ ἐκείνους φίλος χορὸς, συνεργάσασθαί μοι τὴν εὐφημίαν. οἱ ποιμένες τοὺς ποιμένας ἐπαινοῦντες καὶ διδασκάλους. οἱ περὶ τὸ βῆμα, καὶ τὴν ἱερὰν τράπεζαν, καὶ τὴν λειτουργίαν, τοὺς τῆς τάξεως ταύτης, καὶ τῶν ἱερῶν εὐχῶν ἀρχηγούς τε, καὶ νομοθέτας· οἱ φιλόσοφοι, καὶ σοφοὶ, καὶ διαλεκτικοὶ, καὶ λογογράφοι, καὶ ῥήτορες, τήν τε πρώτην, καὶ ἀνωτάτην σοφίαν, καὶ δὴ καὶ τὴν ἀνθρωπίνην, καὶ κάτω ἀσκοῦντες τοὺς τούτων ἀσκητὰς, καὶ τεχνίτας, καὶ καθηγεμόνας, καὶ ὑψηλοὺς διδασκάλους, καὶ ῥήτορας. καὶ ἵνα συνελὼν εἴπω, οἱ μονασταὶ καὶ μιγάδες, οἱ τῆς ἐρημίας τε, καὶ τῆς πολιτείας. οἱ τῆς ἁπλότητος, καὶ τῆς ἀκριβείας, ὅσοι τῆς θεωρίας, καὶ ὅσοι τῆς πράξεως.

viuerent, paſtorali baculo, & funda ſermonis abigebant) quanto & inuidia, & malignitate, & lapidationibus, & perſecutionibus, & exilio, & mortibus omnigenis modo ſuperiores dicuntur, & faciunt, nec patiuntur, & quæ ſupra naturam ſunt, res præclariſſimas, ipſi naturam transgreſſi, per ſublimiſſimam doctrinam ſuam, & admonitiones communes nunc magis efficiunt. Ac lingua quidem ſilet, & aurea labia natura clauſit: ſacri autem commentarij, & orationes è diuino inſtinctu profectæ, dogmatumq́; de Deo viui, & animati theſauri, & orthodoxa diuinitatis eius cognitio, quæ vt pretioſiſſimum patrimonium nobis reliquerunt, innumerabilium linguis & ore decantantur. Viuunt quidem illi in Chriſto vitam illam beatam, ab omni interitu ſemotam: viuunt nihilominus apud nos quoque hic loquentes, vt dixi, & mundum cum CHRISTO *ſaluum præſtantes.*

Agedum, totus illorum amans chorus me circumſiſtat, detque mecum illorum laudibus operam. Qui paſtores eſtis, paſtores & magiſtros celebrantes. Qui in ſacrario verſamini, & in ſacra menſa operamini, huius ordinis, ſacrarumq́; precationum principes ac præceptores. Philoſophi, & ſapientes, dialectici, & ſcriptores, & oratores, quiq́; primam, & altiſſimam, quíque humanam & inferiorem ſapientiam colitis, horum exercitatores & artifices, & duces, & excelſos magiſtros, & oratores. Et vt paucis comprehendam, monachi, & coniugio copulati, ſolitariam vitam agentes, & in medijs hominum cœtibus degentes, ſimplicitate quadam contenti, & morum exactiorum

ἐγὼ δὲ καὶ ἀποστόλους καλῶ, καὶ προφήτας, ὅσοι πρό τε Χριστοῦ, καὶ μετὰ Χριστὸν· καὶ νομοθέτας, καὶ στρατηγούς, καὶ ἱερέας, ἐπεὶ καὶ μᾶλλον ἐκεῖνοι τούτους γινώσκουσι καὶ φιλοῦσι, καὶ τοῖς αὐτῶν ἐγκαλλωπίζονται παντοδαποῖς κατορθώμασι, καὶ τοῖς λόγοις. καὶ τῆς παρ' ἑαυτῶν ἀναδοῦνται στεφάνοις τε καὶ τοῖς ἐγκωμίοις, καὶ λόγοις ἅμα, καὶ πράγμασιν.

Ἀλλ' ὦ ποιμένες σοφοί, καὶ διδάσκαλοι, καὶ πατέρες, καὶ ὁδηγοί, καὶ προστάται, μετὰ τὸν πρῶτον, καὶ μόνον ποιμένα, καὶ διδάσκαλον, καὶ προστάτην, καὶ δεσπότην τῆς ἑαυτοῦ ἐκκλησίας· ὦ σωτῆρες μετὰ τὸν πρῶτον σωτῆρα, καὶ εὐεργέται μετὰ τὸν εὐεργέτην, καὶ οἰκονόμοι πιστοί, καὶ φρόνιμοι. οὓς κατέστησεν ὁ κύριος ἐπὶ τῆς οἰκίας ταύτης λέγω τῆς αὐτοῦ ἐκκλησίας· οἱ δε-
Matth. 42. δωκότες καὶ διδόντες κατὰ τὸν αὐτοῦ λόγον τοῖς ὁμοδούλοις τὸ σιτομέτριον ἐν καιρῷ. οὓς κατὰ τὸν ἑαυτοῦ λόγον, καθίστησιν ἐπὶ πᾶσι τοῖς ὑπάρχουσιν αὐτοῦ δι' ἐκεῖνα. ὦ
1.Theſſ.2. προφητῶν καὶ ἀποστόλων, καὶ μαρτύρων κοινωνοί, καὶ σύναθλοι, καὶ συνεργάται, καὶ συναγωνισταί. ὦ ψυχὴ καὶ γλῶττα, καὶ στόμα. καὶ νοῦ, καὶ λόγε, καὶ σοφία, καὶ ἀρετή, καὶ καυχήσεως στέφανος, καὶ κλέος, καὶ ὑπέρτιμος τιμὴ καὶ λαμπρότης, καὶ δόξα. καὶ καύχημα καὶ βάσις. καὶ ἔρεισμα τῆς Χριστοῦ ἐκκλησίας (ὡς γὰρ ἕνα τοὺς τρεῖς κατασπάζομαι, διὰ τὸ τῆς ἑνώσεως, καὶ τῆς συμφυΐας κοινὸν. καὶ ὁμότιμον) ἔχετε καὶ παρ' ἡμῶν τὸν εὐτελῆ, καὶ βραχὺν τουτονὶ λόγον· μᾶλλον δὲ καὶ μέγαν, καὶ ὑψηλὸν τὸν αὐτόν. τὸ μὲν δι' ἑαυτόν, καὶ τὴν οἰκείαν ἀσθένειαν· τὸ δὲ δι' ὑμᾶς, καὶ τοὺς ὑμετέρους λόγους. οἷς αὐτὸς ὅλος ἐρείδεται. καὶ συνεξυφαίνεται. διὰ τὴν ὑμῶν πρὸς τὸ ταπεινὸν φιλανθρωπίαν, καὶ συγκατάβασιν. ὑμεῖς δ' ἐποπτεύοιτε ἡμᾶς ἄνωθεν ἵλεῳ, καὶ τὸ Χριστοῦ τοῦτο, καὶ ὑμέτερον

cupidi: qui vel contemplationi, vel rebus agundis ſunt dediti. Ego verò etiam Apoſtolos inuito, & Prophetas, quotquot ante, & poſt Chriſtum extiterunt, & legiſlatores, & duces, & ſacerdotes: ſiquidem & illi plenius hoc cognoſcunt & amant, eorumq́ omnigenis virtutibus atque ſcriptis exornantur, & encomiis, verbiſq́ & operibus quaſi coronis reuinciuntur.

Verum ô paſtores ſapientes, & magiſtri, & parentes, & duces, & defenſores poſt primum, & ſolum paſtorem, magiſtrum, defenſorem, ac Dominum Eccleſiæ ſuæ: ô ſeruatores poſt primum ſeruatorem, & benefactores poſt primum benefactorem, & diſpenſatores fideles ac prudentes, quos conſtituit Dominus ſuper familiam ſuam, *hanc dico Eccleſiam ipſius: qui dediſtis, & datis, iuxta verbum ipſius, conſeruis* tritici menſuram in tempore; *quos idcirco, vt ſequitur,* ſuper omnia ſua conſtituit: *ô Prophetarum, Apoſtolorum, Martyrumq́ conſortes, certaminumque ſocij, & adiutores, & commilitones: ô anima, & lingua, & os, & mens, & ſapientia, & virtus, & corona gloriæ, & celebritas, & honos omni honore præſtantior, & claritas, & fama, & gloriatio, & baſis, & firmamentum Chriſti Eccleſiæ: habete etiam à nobis hanc inelegantem, & breuem orationem, ſeu magnam, & ſublimem potius: illud propter ſeipſam, imbecillitatemq́ propriam: hoc propter vos, & verba veſtra, quibus ipſa tota innititur, & ſimul contexitur, quod veſtra erga humiles & abiectos humanitas & ſummiſſio non refugit. Reſpicite nos de cælo propitij, & hunc Chriſti iuxta ac veſtrum*

φιλαν-

φιλανθρώπως ἐπισκέψασθε ποίμνιον, ὅπερ ἱδρῶσι, καὶ πόνοις μακροῖς συνεστήσασθε, μικρόν τε καὶ ἀτελὲς ὂν πάλαι, κατὰ τὸν ὑμέτερον λόγον, καὶ μήτε νομῆς ἐλευθέρας ἔχον, μήτε μάνδρᾳ περιεχόμενον· καὶ νῦν οὐδὲν ἧττον τῆς ὑμῶν ἐπισκοπῆς, καὶ τῆς ἐπιμελείας, καὶ προνοίας δεόμενον, χερσουμανῦν, καὶ ἀλομανῦν, καὶ μετὰ τὴν πολυειδῆ, καὶ θαυμαστὴν ἐκείνην ὑμῶν ἐπιμέλειαν, κατὰ τὸν ἀμπελῶνα ἐκεῖνον φημι, ὃς ἐγενήθη τῷ ἠγαπημένῳ ἐν κέρατι, ἐν τόπῳ πίονι, καθάπερ φησὶν Ἡσαΐας. φείδομαι γάρ τι πλέον εἰπεῖν, αἰδούμενος τὴν πανήγυριν. ἐπεὶ καὶ ζῆτε μᾶλλον νῦν ἐν Χριστῷ, καὶ συμπαθέστερον, καὶ τρανότερον ἐποπτεύετε τὰ ὑμέτερα, καθαρώτερόν τε, καὶ ὑψηλότερον ἐνατενίζοντες τῷ φωτὶ τῆς μεγάλης τριάδος, καὶ τὰς ἐκεῖθεν ἐλλάμψεις ἀμέσως δεχόμενοι, τῶν ἐσόπτρων λυθέντων, καὶ τῶν ἐμφάσεων. ᾗ πρέπει πᾶσα δόξα, τιμή, καὶ προσκύνησις, κράτος, μεγαλωσύνη τε, καὶ μεγαλοπρέπεια, νῦν καὶ ἀεί, καὶ εἰς τοὺς αἰῶνας τῶν αἰώνων, Ἀμήν.

gregem inuiſite, quem ſudoribus & longis laboribus collegiſtis, olim paruum & imperfectum, iuxta verbum veſtrum, neque liberis fruentem paſcuis, neque ouile implentem, iamq; nihilominus veſtra inſpectione, ſedulitate, prouidentia indigentem, incultum & horridum, ac ſylueſcentem poſt illam multiplicem diligentiam veſtram, vti vineam illam, quę facta eſt dilecto in cornu, in loco pingui, *vt* *Iſaia 5.*
apud Iſaiam legimus: parco enim quæ ſequuntur dicere, ne panegyrim contaminem. Quoniam nunc magis in Chriſto viuitis, & res noſtras maiore miſeratione, clariusq; intuemini, purius, & altius in lumine magnæ Trinitatis, & inde ſine *1.Cor.13.*
medio, abſque ſpeculis, & repræſentationibus illuſtrationem capeſſentes; quam decet omnis gloria, honos, adoratio, imperium, maieſtas & magnificentia, nunc, & in omnium ſæculorum æternitatem, Amen.

FINIS.

MICHAELIS GLYCAE

DISPVTATIONES DVÆ.

MICHAELIS GLYCAE DISPVTATIO PRIMA.

Vtrum in peccatum lapſis condeſcendendum, an, prout ratio poſtulat, increpandi ſint.

AD IOANNEM SINAITEN, MONACHVM ET STYLITAM MAXIME VENERANDVM.

HOc etiam à veteribus conſignatum eſt litteris, ô ſacrum diuinumque caput, auem noctuam, deformiſsimum animal, aquilæ eximium quippiam, & admirabile videri: quam vt naturâ ſuſpiciendam honorabunda proſequatur & obſtupeſcat: cum tamen aliud nihil ſit, niſi turpis, & vulgò deſpicabilis noctua. Nolim mihi occurras, narrationem hanc falſam, atque ad voluptatem audientium iam olim excogitatam eſſe fabulam: ex nobis enim ipſis, ſi alia argumenta deſint, firmitatem probabilitatemque ſumit. Nam ecce altiuolans tu, & ſublimis, qui inſtar aquilæ aërem tranas: qui pennis ſub intelligentiam cadentibus ad æthera ſubuolas: qui ad occurſum corporis de cœlo quondam venturi *Matth. 24.* paratus & expeditus es, me plurimi facis, & magnopere admiraris; nec ſecus atque amabile aliquid vbique circumfers, multorumque aures nouis quibuſdam de me cõmemorationibus, ceu magico carmine detines atque demulces. Ac tua quidem de me talis eſt opinio. Ego verò planè nihil, præterquam noctua ſum, intus deformis vndiquaque, & ad ipſum hoc diei lumen cæcutiens. Quamobrem & nũc ad opera lucis inuitatus tergiuerſor, & negotium ſupra ingenium, ſupraque vires meas refugio. Quare noli amore noſtri victus excellentes arbitrari, qui nihil ſumus: nec velis ad diuinos ſenſus pertractandos compellere, quorum & vita impura, & lingua ſimiliter ad res iſtiuſmodi explicandas imperita inuenitur. Haud enim eò inſa-

niæ progrediemur, vt & qui ſimus, & quò malorum peccando deuenerimus, funditus neſciamus. Equidem metuo, ne aduerſum nos propheticum illud proferatur. *Quare tu enarras iuſtitias meas, & aſſumis*
Pſalm.49. *teſtamentum meum per os tuum?* Itaque præſtaret nos laudationes ſcribere, quam adeo libere, & abſolutè nihil recuſare, & inconſultò viribus ſuperiora ſuſcipere. Verumenimuerò, ne iuſſa tua aſpernantes, inobedientiæ culpam commereamur, en confiſi ſanctitate tua, audemus aggredi, ad quæ pertingere nequimus, & vt poſſumus, quæſita tua diſſoluimus. Proinde hinc aures mihi da.

In peccatis ſe volutantibus, vir ſanctiſsime, vt in ſtupris, vt in adulteriis, protinus condeſcendere non eſſe fas: ſed tales potius iis reprehenſionibus conſectandos, quibus animæ vulnera ſanari conſueuerunt, ſacra ſcriptura ſatis ſuperque demonſtrauit: & nihilominus idem corporum medici euidenti documento oſtendunt. Vides enim illos ſecare aliquando, cum neceſsitas ſectionem flagitat. Præterea vſtiones, & amara medicamenta adhibent; valetudinem ſæpe deſperant, & ægrotis mortem augurantur. Cur tandem? vt eos in tuenda ſanitate in poſterum cautiores efficiant, & ita nihil eis ignorantibus inopinum officiat. Quod ſi eos in victu nullum ſeruare ordinem, & promiſcuè quiduis edere, aut bibere viderint, quid op' eſt verbis? Ab iis viſendis abſtinent, vt qui ad ſuos ipſorum numeros viuant, & auxilia medica vſurpare negligant. Ideo autem ſe ab illis remouent, ne qua labe ignominiæ inurantur, quaſi artem male didicerint, & inde nomen eorum in contemptu ponatur. Quocirca ſi quis etiam ad eos acceſſerit, difficili morbo impeditus, & eos quanquam tempore parum opportuno medicamentum ſibi componere vrgeat, non ſolum precibus eius beneuolè non annuunt: verum etiam vt amentem repellunt. Etſi enim nonnunquam indulgent ægrotanti, eumque conſolatione deliniunt, non tamen eo vſque id faciunt, vt propter intempeſtiuam eius petitionem homicidæ audire velint. Salutarem porrò medicinam peſtiferam poſſe reddi, ſi alieno tempore *fiat, ſapiens* ille docuit his verbis. ἀκαιρίη ἐν μὲν ὑγιείῃ νοῦσον ἤνεγκεν· ἐν δὲ νούσῳ θάνατον, *intempeſtiuitas in ſanitate morbum, in morbo mortem attulit.* Iam ſi talis ac tanta diligentia à corporum medicis præſtatur (neque enim vnquam indulgent ægrotis, vbi manifeſtum periculum cernunt) multo magis morborum ad animam pertinentium medici & curam præcipuam ſuſcipient, & ſecundum leges ſpiritus malè habentium diætam moderabuntur. Sic igitur corporeis affectibus medentes, & ſentiunt & faciunt omnia ex medicinæ præceptis, idque vt corpus,

quod

quod multis partib. anima eſt inferius, ad ſanitatem ſuo labore perducant.

Curator autem, & Saluator noſter IESVS CHRISTVS præclarius oſtendit, num voluntatibus humanis condeſcendere oporteat, nec ne. Dixit enim, *niſi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius ſanguinem, non habebitis vitam in vobis.* Tum verò *multi diſcipulorum eius abibant retro, nec amplius ambulabant cum eo, dicentes, durus eſt hic ſermo, & quis poteſt illum audire?* Atque illi quidem hoc modo. Quid ad hæc Saluator noſter? neque mollius quippiam locutus eſt; & ſe deſerentes nihil curauit penitus: ſed eos abire ſiuit, vt diuinus Ioannes ait. Hoc autem fecit vtique, non quod eos ſalutẽ adipiſci nollet: verùm quòd cum tali medicina indigerent, nec intelligerent, nec magiſtro obedire didiciſſent, retro abire pro ipſorum arbitrio permiſsi ſunt. Indigere autem nos iſta medicina, conſtat omnimodis. Poſtquam enim malorum multorum machinator draco ille à principio exitium nobis in os immiſit, viciſsim curatio per os excogitata & inuenta eſt. Hoc enim ſenſu etiam Iudæis dominus dixit: *Niſi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius ſanguinem, non habebitis vitam in vobis.* Quid ita? quoniam ſerpentis, quem mente percipimus, veneno ante tempus mortui eſtis. *Ioan. 6.*

Quod cum ita ſit, de cætero præpurgatione opus eſt. Nouit enim probè ſanctitas tua, etiam volentes antidotum recipere, eo non ſimiliter & fortuitò vti; priuſquam videlicet malignis humoribus, à vitioſa victus ratione collectis ſeſe purgauerint: ſed attenuantur & purgantur ante, & ſic demum pharmacum accipiunt. Quod ſine dubio idcirco faciunt, ne pro pharmaco vtili, noxium accipiatur. Quare ſacrum guſtare calicem nihil prodeſt, niſi prius bene purgatus ſis. Hæc porrò dicimus, non vt nos in deſperationem abiiciamus; verùm vt modos potius ac rationes diſcamus, per quas vita & mors inuehi ſolet. Quod ſi affirmaremus, etiam eiectis humoribus vitioſis, & inde nobis aptitudine conciliata, nondum permitti nos ſacro poculo frui, tum ſequeretur vt deſperandum eſſet. Quod ſi nihil eſt huiuſmodi, & qui accedit, tantummodo diſcit quomodo accedendum ſit, ne inde mortem pro vita lucretur (nam iuxta beatum Paulum, *ideo inter nos multi infirmi, & imbecilles, & dormiunt multi*) *1. Cor. 11.*
qualis eſt iſta in hac re deſperatio? immò potius ſalutis concipienda ſpes, quam veritatis cognitio parit. Quam ob cauſſam vigilandum eſt. Quantum enim habet boni eius quo facto opus eſt agnitio; tantũ contra habet mali eius quod conducibile eſt ignoratio.

Reputa enim tecum, non paucos infirmorum adiiſſe mortis periculum, quia cum in medicos inexercitatos incidiſſent, congruentia morbo remedia non ſint adepti. Quod ſi iſtuc ita ſe habet, nulli rei parcere æquum videtur: ſiquidem potius tum ipſi male valenti, tum pharmaca miniſtranti manifeſtè periculum imminet.

Ac ſi placet, admonitionem auſculta, qua Baſilius Magnus ſacerdotem vnumquemque compellat, in hæc verba. Vide ne paueas hominem, ad lapſum & delictum tuum: neue tradas filium Dei in manus indignorum. Ne reuereare quemquam glorioſorum terræ in hora illa. Et vt paucis comprehendam, quos ſacri canones excludunt, ne illos fac participes. Inſuper & Ioannem aurea fundentem flumina diuina dona adminiſtrantes ſic affatum conſtat. Si enim conſcij nequitiæ cuiuſpiam, huius menſæ eum participem fieri permiſeritis, ſanguis eius de manibus veſtris requiretur. Siue ergo dux acceſſerit, ſiue Præfectus, ſiue ipſe diademate cinctus, indignè autem acceſſerit, prohibe, maiorem illo poteſtatem obtines.

His poſitis, non eſt, opinor, conſentaneum condeſcendere, vbi potius animæ periculum eſt: ſed adhibendam illic medicinam, ſecundum leges ſpiritus, ſi modò etiam obtemperent ægroti. Sin autem præfracti, & ſuo ipſorum ſe arbitratu regentes, curationem ægrè ſuſtinent, alterum è duobus in his faciendum; vt vel pedetentim emendentur; vel omnino deſerantur. Nam ſuper populo incredulo, *Iſaia 65.* & contradicente, vt ait Magnus Baſilius, illud dicendum; ſeruans ſerua animam tuam.

Moleſta quidem apparet hæc oratio, & dura, & ſeuera: at non omnibus prorſus: verum illis magis, qui ſecundum Chriſtum nolunt *Matth. 11.* viuere, ita dicentem, *iugum meum ſuaue eſt, & onus meum leue.* Si ergo leuia ſunt Seruatoris noſtri mandata, quid faciemus nos, qui ea per noſtram ſegnitiem grauia, & odioſa reddimus? nec iſtuc ſaltem cogitare poſſumus, nos medicis corporum nuſquam repugnare. Quin doloribus nos ipſos ſubiicimus, & amaras potiones patienter haurimus, & cauterium in ceruicibus perferimus, & alia huius generis, propter curationem corporis multa toleramus: ſpirituali verò medico noſtro neutiquam ſubdi volumus, omnibus modis res eius curioſè perſcrutantes; dictitantes eum pœnis infligendis rigidum; turſum, in congreſsibus arrogantem, & inſolentem eſſe; non videntes, ſecundum vlcera quibus laboramus, emplaſtra quoque nobis imponenda. Scio enim aliquando vtile eſſe condeſcendere, hoc, inquã, nos quoque confitemur. Veruntamen non in ſingulis, & per omnia vtile eſt, quoniam nec eiuſdem habitus ſunt omnes. Nam qui promptus

ptus eſt & cedere aliquando, & referre pedem, quando id tempus poſtulat, huic planè conducit condeſcenſio: talem quippe trahit amplius, & facilè iugo ſpiritus ſubiicit. Aſt pro ſua libidine viuenti, & retrogredi minimè volenti, & pharmaca penitus auerſanti, ei condeſcenſio multum incommòdat. Facit enim amplius tranſuerſum agi, & labi. Ob hoc enim dominus nunc dixit, *vt autem non ſcandalizemus eos, accipe hamum, & vade in mare:* Matth.17. nunc autem ſcandalum flocci pendẽs, inquit, *plantatio quam non plantauit pater meus cœleſtis, eradicabitur.* Matth.15. Demonſtrauit namque hinc, & prodeſſe, & non prodeſſe frequenter condeſcenſionem. Quare & eos qui immeritò in eo offendebantur parui faciens, aiebat, *plantatio quam non plantauit pater meus eradicabitur.*

His de cauſsis cautè agendum eſt. Si enim medicus corporalis non conſueuit tractare morbum alio quocunque modo; ſed tantùm ex decretis medicorum, quamuis interdum ægrotus iraſcatur, quanto magis ſpiritualem medicũ humanis cupiditatibus condeſcendere non oportet, ſiquidem de eius manibus inprimis eorum ſanguis requiretur, qui ex negligentia illius in perniciem animæ incurrerint? Aut igitur vt noſti, medere: aut linguam contine omnino; præſertim ſi ægroti adhibita medicamenta indignantur. Tunc enim non de tuis, ſed de ipſorummet manibus eorum ſanguis requiretur. Audi quid per Ezechielem dicat Deus. *Si ſpeculator cecinerit tuba, & ſignificauerit populo, & audierit audiens vocem tubæ, & non ſe obſeruauerit: & venerit gladius, & comprehenderit eum, ſanguis eius in capite eius erit; quia vocem tubæ audiuit, & non ſe cuſtodiuit.* Ezech. 33.

Hæc ex paucis multa, plura enim per anguſtias temporis non licuit.

EIVSDEM DISPVTATIO SECVNDA.

Vtrum audiendi ſint docentes, hominem à principio caducum corpus habuiſſe: & paſſionibus, ſiue incommodis naturalibus etiam ante tranſgreſsionem obnoxium fuiſſe: cibumq́; ſenſibilem in paradiſo adhibuiſſe: & lignum ſcientiæ, ficum extitiſſe.

AD VENERABILEM INPRIMIS MONAchum Dominum IOANNEM SMENIOTAM.

PRIMVM quidem hominem illum ab interitu & corruptione initio liberum, poſt prolapſionem in peccatum, morte damnatum eſſe, ante alios ſapiens Salomon docuit, in libro ſapientiæ ſuæ, ad verbum ita loquens. *Deus mortẽ non fecit: ſed in incorruptione creauit hominem, & imaginem propriæ æternitatis *fecit illum. Inuidia autem diaboli mors intrauit in orbem terrarum.* Si igitur Deus hominem in incorruptione condidit, ad ſimilitudinem æternitatis ſuæ, quonam tandem modo corruptioni & mortalitati ſubiectum aſſeremus, idq́ue cum Deus, vt audiſti, mortem ab initio non fecerit? Nam ſi dicimus, corpus illud Adami corruptioni aliquo modo obnoxium fuiſſe, nihil aliud dicimus, quam corruptionem ac mortem tunc à Deo dominatum in nos habuiſſe. Atqui aliter, aliter inquam res eſt: quoniam, vt iam dicebamus, DEVS mortem non fecit. Quocirca de hoc dubitare nefas. Etenim ſi, quemadmodum illi volunt, etiam ante præuaricationem Adam primus homo mortalis erat, quid illi poſtea irrogatum mortis ſupplicium? quid pelliceam indutus eſt tunicam, ſi quidem à primordio eum Deus mortalem procreauerat? Cur etiam folia ficus conſuit, & Deum latere conatus eſt, ſi non diuinitatis adipiſcendæ ſpe illectus, primam ſtolam perdidit, & pro immortali mortalis repente euaſit?

Cap. 1. & 2.

** legit ἀϊδιότητος, pro ἰδιότητος.*

Geneſ. 3.

Accipe quod in rebus diuinis egregiè verſatus Ioannes Damaſcenus

ſcenus ſuper hoc alicubi ſcriptum reliquit. Principiò nequiſsimus ille (diabolus) ſpem conſequendæ diuinitatis Adamo iniecit, atque ita eum ad conditionem moriendi, more animantium brutarum, deiecit. Doceant igitur iſti, vbi prius cum eſſet, & vnde ipſum ad interitum cum beſtiis communem deiecerit. An à ſublimitate immortalitatis vtique, qua ante mandatũ ab ſe violatum præditus erat? Per inobedientiam igitur, generis noſtri auctor ad corruptionẽ & neceſſitatẽ ſubeũdę mortis redactus: per inobedientiã ad induendã pelliceã illam tunicã damnatus eſt: per inobedientiã calamitoſa hęc, & variis expoſita incõmodis vita introiuit. Ait enim, *quia hoc feciſti, ſpinas & tribulos terra pariet tibi.* Quid multa? ſi primitus Adam ita fuiſſet conditus, vt mori poſſet, nõ eum peccato iam irretitum morte condemnaſſet Deus. Qui enim condemnaſſet? nam vel citra condemnationẽ mors mortales naturaliter ſequi cõſueuit. Quamobrẽ nihil tibi cum illis ſit; præſertim quando Carthagine congregata ſynodus quæ dicta ſunt confirmat; cuius illa verba, canone centeſimo nono leguntur. *Si quis dicit, Adamum mortalem à Deo formatum, & non poſt peccatum corruptioni factum obnoxium, anathema eſto.*

Sic etiam, vir ſanctiſsime, quotquot Adamum medium inter immortalitatem & mortalitatem conſtituunt, procul â vera ratione diſcedunt. Quapropter tibi dubitandum non eſt. Etenim ſi Deus, cum produceret hominem, tunc illi dixiſſet, quo die comederitis de arbore, morte moriemini, attuliſſent iſti aliquid, quia principio mortalẽ eum ſimul & immortalẽ fuiſſe opinãtur. Quia verò multo poſt eius creationem mandatum dedit, vnde & mors occaſionẽ contra nos nacta eſt (ait enim, *ſi comederitis morte moriemini*) curioſius indagare primi hominis conditionem prorſus non decebat eos, qui ſacram ſcripturam interim legunt & perſcrutantur: cum hinc perfectè ſcirent, quali natura eſſet conditus, qui ſecundum imaginem Dei ſcilicet factus eſſet. Patet enim, Deum manuum ſuarum figmentum honorare volentem, à primordiis ſtatim, atque ab ipſo principio illud incorruptionis munere condecoraſſe. Atque huic vniuerſus ſanctorum chorus aſtipulatur; nec tu fidem dictis non adhibe. Quoniam namque DEVS hominem omnium terrenorum principem conſtituere voluit, ob id (vt auream orationem fundens Ioannes inquit) animæ eſſentiam illi largitus eſt, hinc ipſum etiam iugiter immortalem eſſe volens. Nam ſi hoc non fuiſſet, ſi animum mentis compotem à Deo Adamus non accepiſſet, nihil erat futurus, iuxta diuiniſsimum Ioannem: vtpote formatus de puluere, vnde nimirum beſtiæ quoque procreatæ ſunt.

Intellige igitur, ô ſacrum caput, ex multa bonitate Dei talibus munerantis incorruptionem tunc Adamo, quem primum finxit, impertitam eſſe, & gratiam ſtatim in ipſo perfectam ſimul, & omnibus numeris conſummatam penitus fuiſſe. Alioqui non illi ſacer paradiſus ad habitandum contigiſſet: non ei honoris ergô in omnia terrena imperium datum eſſet: non illi tunc immortalitatis amplitudo, ſecundum imaginem æternitatis Dei collata fuiſſet. Verùm hæc quidem à principio ipſo ex gratia Adamo à Deo conceſſa ſunt, vt diximus. Diuina autem vox illa, ne comederet de ligno ſcientiæ, ne morte moreretur, multo poſt creationem iſtanc ei legem impoſuit, vt ſuprà meminimus. Impoſuit autem iis de cauſsis, quas nouit ille, Daniel.13. *qui nouit omnia, etiam antequam fiant.* Quamobrem ſine illos: noli tu quoque ſermone imperitorum ſimul auferri. Creauit enim Deus hominem in incorruptione, hoc eſt, illico incorruptibilem ipſum produxit. Atque idcirco à ratione alienum eſt dubitare. Si enim Deus, vt iam ſignificauimus, primum hominem ſecundum imaginem æternitatis ſuæ ab initio condidit, quid quæſo dicere attinet, qualem illum ſecundum naturam condiderit: ſiquidem ſecũdum imaginem æternitatis ſuæ illum tunc condidit? quæ quidẽ ab omni corruptione extranea eſt, vt oratio paulò infra ſanctitati tuæ luculentiſsimè demonſtrabit. Ne itaque mireris, quandoquidem & diuinum Anaſtaſium Sinaitam habes, cuius in oratione de reſurrectione hæc ſunt ad verbum. Et fecit Deus hominem; ad imaginem ſuam fecit illum. Prima eſt hæc fictio, ſimplex, omni iugo ſoluta, incorruptibilis.

Si ergo prima creatio corruptione vacabat, vt diuinus vir de primo homine differens dixit, quid requirimus amplius? incorruptibilem enim illum iam tum Deus produxit, vt iam docuimus: quin & immortalitate cohoneſtauit. Nec mea iſtæc verba ſunt: ſanctiſsimus Andreas Cretenſis, ſermone de defunctis ita locutus reperitur. Ficto ab ſe homini Deus rationis & intelligentiæ, & immortalitatis & immunitatis ab interitu ornamenta contulit.

Iam ſi Deus homini immortalitatis ornamenta præbuit, *vt diuinus* hic vir affirmauit, vnde poſtea diſputatores illi, aut quali tandem magiſtro vſi, mortalitatem immortali admiſcuerint, idq; priuſquam ei mandatum daretur à Deo, hoc ante omnia diſcere poſtulamus. Si enim Adam, quod aſſeuerant, mortis capax à Deo formatus eſt principio, non poſtquam paulò poſt ad corruptionem mortalitatemque redactus eſt, hoc quoque dicamus prorſus neceſſe eſt, etiam lapſos angelos non ſolum non lucidos fabricaſſe Deum, ſicuti omnes ordines cœleſtes; ſed tenebrarum conuenienter eos capaces feciſſe.

ciſſe. In his enim omnis quem poſsidebant ſplendor ſubitò mutatus, in tenebras totus conceſsit. Sed neque hoc ab initio fuit, nec illud; quanquam id nobis adhuc indoctis videatur. Deus enim, qui hominem à principio immortalitate exornauit, & angelis lapſis lumen inexplicabile principio largitus eſt, ille rurſum eos & loco, & chariſmate ſpoliauit. Quam ob cauſſam? quia maiora, & vltra captum ſuum conceperunt, & de dignitate ſua cogitarunt, vt ſacra ſcriptura teſtatur. Audias licet, quid ad ipſum, Satanam nempe, per Ezechielem dicat Deus. Simul atq; exaltatum eſt cor tuum propter pulchritudinem tuam, & dixiſti in corde tuo, Deus ſum ego, repente de cœlo de Cherubim proieci te, & periit ſcientia tua cum pulchritudine tua. Ergo primus homo, vir ſanctiſsime, corruptionis, & interitus expers à Deo creatus eſt. Cæterùm vbi ſe maiora meditatus, diuinitatem ſibi promiſit, caſtigans illum Deus, ne quid tale poſthac animo verſaret, corruptibilem, ex incorruptibili, & mortalem ex immortali reddidit. Neque hoc ſolùm; ſed inſuper è paradiſo ſine mora exterminauit, tametſi eius gratia ſacrum illum hortum exquiſitè plãtauerat. *Ezech. 28.*

Sed quid ego exterminationem è paradiſo memoro, quando & poteſtatem in animantes rationis inopes à Deo ſibi tributam mox amiſit, & propter tranſgreſsionem damnatus eſt ita, vt quas ſub iure ſuo haberet, eas formidaret? Vides enim quomodo & leo ipſum contemnat, & pardalis fugiat, & cæteræ omnes ſubiectionem recuſantes, longius ab eo recedant. Aduerte igitur animum. Tametſi animalia Deus ad ipſum adduxit: tametſi omnia ſub pedibus eius ſubiecit, vt eſt apud Dauidem, nihilominus peccatum hoc etiam principatu illum priuauit. Quomodo autem priuauit? non quod illa ἀρχὴ etiam ἀναρχίας ſuſceptiua erat, vt pleriq; exiſtimant: ſed quod Adamus datum ſibi mandatum tranſgreſſus, omnibus illis à Deo ipſi per gratiã traditis excidit. Idem in immortalitate quoq; cernere eſt. Si enim credimus, Deum omnia proprio conſilio & voluntate facere & commutare, quod propheta Amos canit, efficitur omnino, vt credere debeamus, illum quoque mortalem ex immortali, rurſumq́ue immortalem ex mortali & corruptibili facere. Quare nemo dicat, Adamum à principio morti obnoxium eſſe conditum, & ſi paulò poſt in corruptionem & mortem incidit. Mitte illos, quandoquidem manifeſtè ludunt, in quibus ludendum non eſt. Simul enim violauit mandatũ Adamus, & ſimul poſſe mori cœpit. Confirmat hoc ſcriptura ſacra. *Quacunque die comederitis de arbore, moriemini.* *Geneſ. 2.* *Pſalm. 8.* *Cap. 5.*

Quid plura? Si à principio ita conditus eſſet Adamus, vt morti deberetur, non diceret Salomon, *Deus mortem non fecit.* Iſta enim non

cohærent, & parum inter ſe congruunt. Claret igitur hinc, ſimul fregiſſe mandatum, & ſimul factum quod non erat. Quid porrò iſtuc eſt? mors in Adamum principiò minimè cadebat: ſed vbi de ligno comedit, tum cecidit. *Quacunque enim hora comederitis*, inquit, *de ligno, morte moriemini*. Noli porrò iſtuc mirari. Quamuis enim animam intelligentem ei Deus indidit, vt inde æternitate augeretur: (& fidem facit ille lingua aureus) tamen, vt iam dictum eſt, mandati tranſgreſ-
Geneſ.3. ſio & immortalitate ipſum nudauit, & paradiſo expulit, & in terram de qua ſumptus erat, reuerti fecit. Rectè igitur Propheta Amos, Deum omnia facere & tranſmutare arbitratu ſuo ad vtilitatem noſtram.

Cognoſce itaque. Si enim, vt copiosè probauimus, & incorruptibilis & immortalis à Deo Adamus creatus eſt, vnde quæſo illi prorumpentes, medium ipſum inter immortalitatem, & mortalitatem fuiſſe toto pectore contendunt, & non omnimodis immortalem ſecundum dignitatem ei ante peccatum impertitam pronunriant? Ad hæc reſpondeant velim. Atqui nihil afferre queant. Neque, vt noſti, tantummodo mediam ipſum inter hæc duo extrema naturam habuiſſe affirmant: ſed inſuper etiam perpeſsiones naturales affingere eidem non pertimeſcunt, qui ante peccatum à corruptione, interituque liber, nec pati poterat. Nec ſententiam è ſcripturis probant, vt diximus. Sed tu ne timueris. Tali namque natura fuiſſe hominem ab initio, incorruptibili puta, & impaſsibili, & nullò modo paſſum, ab omni corruptione remotum, lingua aureus, homilia decima ſeptima in Hexaëmeron ſiue Geneſin docuit, vbi ait, hominē ante peccatum adeo ſegregatum, & liberum à perpeſsionibus fuiſſe, vt ſunt angeli, gloria perfruentem ineffabili. Et longè fuſius in libro de ſtatuis, vbi hac de re dilucidius verba facit. Cum enim corpus hoc corruptibile tantopere quidam calumniarentur, vt etiam diuina fabricatione indignum dictitarent (aiebant enim, ſi plaſma diuinarum manuum eſſet, non ita innumeris malis ſubiiceretur) ſic eos eſt aggreſſus.

Nequis mihi hominem hunc dicat, qui offendit, qui damnatus eſt, qui ignominia affectus. Sed ſi noſcere quæritis, quale à principio corpus noſtrum finxerit Deus, paradiſum ingrediamur, & ab initio hominem conditum inſpiciamus. Non enim, vt nunc, corpus illud corruptibile, & fluxum erat: ſed tanquam aurea quædam ſtatua, recens è conflatorio educta, & clarè fulgens, ita omni corruptione vacabat: non labor moleſtabat, non ſudor labefactabat, non ſollicitudines incumbebant, non triſtitiæ obſidebant, non ſordes, non lacrymæ, nō aliud quippiam malorum ſimilium. Verùm poſtquam in benefactorē ſe contumeliosè geſsit, & Deum fieri ſe poſſe ſperauit, excellen-

tioraque quam pro dignitate ſua meditatus eſt, tunc nimirum, tunc ſapiens Deus adhibita illi correctione corruptibilem, mortalemque fecit, & his tam multis neceſsitatibus alligauit. Hactenus Ioannes ille diuiniſsimus. Ergo incorruptibile illud corpus iure vocauit. Quod enim quaſi corruptioni cuidam expoſitum non eſt, pro certo incorruptibile eſt. Quod ſi incorruptibile, quomodo obſecro, & qua ratione patiebatur? diſcere iſtuc cupimus. Nos enim per noſmet cogitando conſequi non poſſumus, quo pacto corpus ab omni corruptione alienum pati, & affici potuerit, atque ideo doceri rogamus.

Porrò, ſanctiſsime vir, etiam ab Heracleę Epiſcopo, quanquam in diuinis rebus ſapiente diſputata dubitationem non vulgarem nobis iniiciunt. Quapropter illum in præſens adducere in mediũ non decebat. Quæ eſt igitur illa dubitatio? Quoniam ille explanans, quæ de homine diſſeruit celebris in theologia Gregorius, quomodo ſcilicet abinitio effictus ſit à Deo, & qualem mox naturam ſortitus, qualiſque poſt caſum factus ſit, & qualem deinde ſortem adeptus, ne malum foret ſempiternum, hæc duo nobis cogitanda relinquit; aut ſe theologicis veſtigiis non inſtitiſſe (etſi hoc audacius à nobis dicitur) aut, quod longè audacius eſt, magnum hunc Gregorium ipſum ſibi contradicere. Verùm, idcirco mihi ſuccenſere haud æquum eſt. Licet enim plures nos pro ſuperbis habeant, & inſipientes vocent, qui hæc nimirum ad fidem, vt videtur, difficiliora affirmemus; tamen ſiquis accuratè inquiſierit, quomodo, & qua ratione theologicas Gregorij ſententias expoſuerit, admirabitur: & inde nos accuſare deſinet. Benè igitur beatus Paulus, *qui loquitur linguis, oret vt interpretetur.* 1. Cor. 14. Ecce enim in hoc libro aliquando dixit, hominem eſſe temporarium ſecundum corpus, ante peccatum; aliquando inter corruptionem ſimul & incorruptionem, ſicut inter immortalitatem & mortalitatem medium primum illum Adamum, & naturalibus paſsionibus ſubiectum fuiſſe contendit; vt ita patiens, admoneretur, & de præſtantia mentis ſuperbiens emendaretur. Aliquando ſummam ipſum apathiam habuiſſe, & corpus eius omni corruptione ſuperius, vtpotè immortalitatis ſecundùm gratiã minimè expers, fuiſſe dixit. Hæc, diuina accuratius perpendentibus, nequaquam admittenda cenſentur. Caue autem arroganter hoc à me dictum exiſtimes. Si enim neq; hoc erat primus homo, neq; illud; id eſt, nec corruptibilis, nec incorruptibilis, nec mortalis, nec immortalis, vt illi placet, quomodo rurſus eundem ſummam habuiſſe apathiam, & ſecundum gratiam immortalitatis non expertem fuiſſe aſſerit?

 Equi-

Equidē præ ſtupore vix me capio, quomodo admirandus ille vir in tantam diſcrepantiam deuenerit: quomodo, vt nobis quidem videtur, ipſe ſecum pugnet. Si enim nec corruptibilis erat primus homo, nec incorruptibilis, quomodo igitur admonitionis & caſtigationis cauſſa patiebatur? Pati, neceſſariò eſt corruptibilis. Si autem corruptibilis Adamus, quoniam patiebatur, quî tandem ipſum incorruptibilis & corruptibilis naturæ medium fuiſſe probare annituntur? Hæc nobis malè concluſa ab indoctis illis videntur. Si enim, vt illi autumant, medium inter magnitudinem, & humilitatem, hoc eſt inter immortalitatem & mortalitatem corpus Adami fuiſſe diuinus Gregorius docet, quid eſt, quod idem vir magnus antea temporaneum vocauit? Huic oppoſitioni reſpondeant. Si enim temporaneum erat, patet etiam mortale fuiſſe. Si mortalis Adamus, quoniam corpus ad tempus durās gerebat, quomodo ipſum poſtea medium inter magnitudinem, & humilitatem fuiſſe ait?

Scito igitur, ô ſacrum caput, de communi hominum natura pauca quædam diſſerentem Gregorium, occaſionem neſcio quo pacto dediſſe Patri huic, exiſtimandi, de primo homine iſta diſſeruiſſe. Sic igitur, ſanctiſsime, & medium magnitudinis atque humilitatis, non de corruptione, vt arbitror, & incorruptione magnus ille ſcripſit: ſed vniuersè de anima & corpore. Etenim anima cuiuſque, per diuinam inſufflationem, vt eſſet, conſecuta, maior ſine dubio luteo iſto corpore fuit. Et quid plura attinet? Nam ſi verba theologica attentè legas, deinde expoſitionem ſuper ipſa cōſideres, tunc, tunc inquam, diſces, quantum diſcrepent, & à pia cogitatione hanc explicationem mirum in modum abhorrere diſces.

Ne longè abeamus, temporarium & immortale: &, vt patiatur, & patiens admoneatur & erudiatur; &, animal ſic conſtitutum, & alio poſtea conuerſum, neutiquam generis noſtri principi illi & primo Adamo quiſpiam accommodauerit, niſi in incorruptione, & ſecundum imaginem æternitatis Dei etiam ante præuaricationem *corruptioni* & mortalitati debitū fuiſſe fateamur. Quæ cum ita *ſint, præ*ſtabat ſilere; cum præſertim ipſum diuum Gregorium ſuper primæuo homine nihil tale tum dixiſſe videamus. Quomodo enim, ſi pergens etiam corpus illi dat à quacunq; corruptione inuictum, & confirmat ſententiam his verbis: & ſine omni tegumento & munimento? Talem quippe conueniebat eſſe, qui primus conderetur. Attentione digna res. Si enim docebat talem eſſe, qui primus fuit conditus, non egentem videlicet vllo tegumento, aut munimento (eſt autem hæc perfecta apathia) liquet, *temporarium & immortale*, &, *vt patiatur*,

tiatur, & patiens admoneatur, & erudiatur, iſta, inquam, de communi hominum natura accipienda, vt iam monuimus. Fuit enim impoſsibile à ſe diſsidere magnum Gregorium, nunc impaſsibile affirmantem corpus Adami, nunc paſsionibus naturalibus, idq; ante tranſgreſsionem, ſubiectum.

Quod porrò corpus illud non egens vllo tegumento incorruptibile & immortale ſine controuerſia fuerit, luculentius etiam Ioannes Chryſoſtomus tradit. Nam concione decima quinta in hexaëmeron inter cætera ſic loquitur. Naturæ neceſsitatibus in paradiſo nequaquam conſtringebantur protoplaſti, prorſus incorruptibiles & immortales creati; neque veſtimentorum amictu egebant. Si igitur, dilecte, Adam prorſus incorruptibilis & immortalis eſt procreatus, quomodo illi medium inter immortalitatem & mortalitatem ſtatuunt? Multis itaq; demonſtratum eſt, hominem abinitio immortalem eſſe formatum, tunc ei immortalitatem donante Deo, qui magna donare conſueuit. Et fidem habe etiam hîc Ioanni oris aurei, dicenti. Cum nihil intuliſſet in vitam homo, mox immortalitatem, omnemq; aliam in paradiſo voluptatem accepit. Sed vbi diuino mãdato inobediens factus eſt, illico immortalitate ſpoliatus, ex immortali mortalis eſt redditus. *Quacunque enim hora comederitis*, inquit, *de arbore, morte moriemini.* Ac de iſtis quidem ita dictum eſto.

Fuiſſe autem incorruptibile & immortale corpus illud, docuit etiam B. Cyrillus, in oratione de fabricatione hominis, vbi ad verbum ſic eſt. Creatum eſt quidem corpus Adami è terra, à corruptione autem & morte inuictum. Auctor enim & ſuppeditator vitæ illi vitam inſeuerat. Quin & Mag. Baſilius. Cum finxiſſet hominem Deus, inquit, æternæ vitæ fruitionem illi donauit. Præterea diuiniſsimus Barlaam ſic ad Ioſaphat. Primum hominem Deus poteſtate arbitrij ſui, & immortalitate honoratum, regem omnium terrenorum declarauit. Idem Ioannes Chryſoſtomus, ſic ad verbum diſſerens, concione viceſima prima in hexaëmeron. Fabricatum à ſe hominem Deus omnium quæ ſub aſpectũ cadunt principatum habere voluit. Propter hoc enim dixit, *faciamus hominem ad imaginem noſtram.* Faciamus hominem principem terrenorum vniuerſorum. Etenim nihil aliud illud *ſecundũ imaginem*, niſi principatus & dominij rationẽ ſignificat. Sicut enim vniuerſitatis Dominus in omnia imperiũ obtinet, aſpectabilia & inaſpectabilia, vt omnium conditor: ſic cum animal hoc mente & cõſilio præditum condidiſſet, id omnibus quæ oculis ſentiuntur præeſſe voluit. Quare & animæ eſſentiam illi donauit, quò duraret æuo ſempiterno. Tu noli dictis diffidere; ſiquidem & Salomon hoc ipſum

Cap. 2. indicat. *In incorruptione*, inquit, *Deus hominem creauit, & ſecundum imaginem æternitatis ipſius*. Et eſſet quidem ita ſempiternus: ſed quia per ſocordiam lapſus eſt,& prę́ſcriptum ſibi mandatum violauit, ne ſic quidem omnino ab eo ſe remouit: ſed immortalitate quidem exutum, & morte damnatum in eodem ferme imperio reliquit.

Planum eſt igitur, hominem antequam de vetito ligno veſceretur, à morte liberum fuiſſe: non enim pro ſupplicio, vt Chryſoſtomus in decima ſexta homilia docet, mortem ei poſt eſum inflixiſſet. Verùm hoc loco aduertendus eſt animus. Non ſolũ omniũ quæ aſpectu percipiuntur, regem eum conſtituere Deo placuit: ſed & opere ipſo imperium eius abſolutum planè demonſtrauit. Omnia enim tunc animantia ad illum adduxit; tametſi quid futurum eſſet non ignoraret. Atque ita omnia, ſeruorum ſpecie illi repræſentata, appellationes ab eo ſuſceperunt. Sic igitur per intelligentem animam immortalitate eum honorauit. Quanquã enim & futuram non multo poſt præuaricationem ipſius prænoſſet, tamen ex ſola præſcientia eum damnare nolens, ſuam voluntatem in eo, vt Deo dignum fuit, expleuit, & anima ipſum, vt iam dictum eſt, impertiuit, per quam in perpetuum immortalis eſſet. Si ergo, immortalitate hominem cohoneſtauit, manifeſto in errore verſantur, quicunque mortalitatem illius immortalitati admiſcent. Non parum enim hinc honorem homini à Deo in principio collatum obſcurant, & imminuunt. Vnde & mortalitatem cum immortali confundere prorſus non decebat: ſiquidem Ioannem Chryſoſtomum prius dicentem audiuerunt; ſicut aurea ſtatua, modò de conflatorio educta,& clarè fulgens: ſic illius corpus ab omni corruptione liberum erat. Quare & mortalitatem cum immortali coniungere fas nos erat: quandoquidem aurea lingua exemplo hoc potiſsimum vſa eſt. Declarat quippe hinc, corpus eius morte & corruptione fuiſſe maius: vt prodeuntem modò ſtatuam, & clarè fulgentem, omni labe vacare neceſſariò confitendũ, & credendum eſt.

Incorruptibilis igitur,& immortalis in principio homo. Quem etſi poſtea morte damnauit, tamen non diu ſine conſolatione reliquit. Audi quid de hoc ſcribat Magnus Athanaſius, ſermone de Aſſumptione hominis. Mors quidem ingreſſa eſt per inobedientiam. Tamen laxans minarum vigorem Deus, ſtatim ſpem immortalitatis humano generi præbet, & Enoch de medio rapit, & hinc mortalem
Geneſ. 5. naturam terminos immortalitatis ſuſcipere docet. Hæc etiam diſcipuli Chriſti confirmantes aiunt, incorruptionem & diuturnitatẽ vitę
Heb. 11. noſtræ exemplis Enoch,& Eliæ euidenter ſtabiliri. Per translationem enim ipſorũ ſpę́ immortalitatis mortali huic naturæ mirabiliter ad-

modum

modum ingenerauit. Et idcirco M. Athanaſius dixit, Eliam rapi, & velut in cœlum ſubuehi, mortem infra relinquentem. Damaſcenus præterea ſic eum affatur. Currus in ſublime tollens, igneam gratiam miraculorum tibi dedit Elia Thesbita, incorruptum te faciens, vt non videas mortem donec prædicaueris omnium cōſummationem. Et hi quidem ſic.

Ioannes autem illud os aureum, hanc incorruptionem primum illum hominem habuiſſe, illuſtrius docet, cuius verba recitabo. Placuit Enoch, & transfertur. Vide domini bonitatem. Cum enim inueniſſet virum virtutis officia præſtantem, non eum priuauit dignitate, qua protoplaſtum ante mandati tranſgreſsionem cumulauerat. Quæ porrò illa dignitas, quam primo homini principiò Deus donauit? Incorruptibilem, immortalem, exitij expertem eſſe, vt liquidò oſtenſum eſt. Quam dignitatem accepit quidem Adamus, perdidit tamen ſimul ac mandatum neglexit, peruerſoq; conſilio arborem tetigit. Itaque vt non penitus deſperemus, quaſi immortalitatem illam nunquam recuperaturi, transfert Enoch, & immortalitate eum dignatur, perq; multa ſæcula vitam ei producit: hinc ſignificans mortalem naturam noſtram illius modū exſpectare, qua per tranſgreſsionem Adamus excidit.

Quod ſi hæc ita ſunt, quid plura attinet? Si enim primus ille homo hanc incorruptionem habuit, quam exſpectare Deus mortalē naturā docuit, Enoch transferendo, apparet planè, talem à Deo hominē ab initio conditū, qualem ex mortuis reſurrecturum diuina prædicant oracula. Ne igitur hæſita. Cogita tecum, quod etiam diuinus Anaſtaſius Sinaita in oratione de reſurrectione de his clariſsimè poſuit in hunc modum. Tale ē mortuis excitatur corpus exanime, quale erat à principio, reiectis omnibus, quæ illi propter peccatū contigerāt. Attēde igitur. Si tale reſurgit, quale à principio erat: reſurgens aūt tunc corpus certū eſt morte, & corruptione ſuperiꝰ reſurrecturū (id quod maximus ille Paulus teſtatur, *oportet*, inquit, *corruptibile hoc induere incorruptionē, & mortale hoc immortalitatē*, manifeſtū fit, & corpus illud, primū videlicet à Deo creatū, verè immortale fuiſſe, & incorruptibile, quod toties iam diximus. Idipſum quoq; docet Nyſſæ Epiſcopus S. Gregorius, præſertim vbi diuinū eccleſiaſtæ dictum exponit, nempe iſtuc. *Quid eſt quod fuit? ipſum quod futurum eſt. Quid quod factum eſt? ipſum quod faciendum eſt.* Ait enim, manu Dei factum hominem, nō eſſe, qui nunc eſt propter peccatum, ſiue mutabilem & corruptibilem.

1. Cor. 15.

Eccleſ. 1.

Si igitur *in corruptione Deus hominem fecit, ſecundum imaginem æternitatis ſuæ*, vt Salomon ait: ſi in eo declarauit ſtudium erga illum ſuum,

Sap. 2.

quod

quod animam ratione præditam illi immiſit, vt eſſet etiam immortalis iugiter, ſicut Chryſoſtomus inquit: ſi igitur æternæ vitæ fruitionem donauit ab initio homini Deus, vt ait magnus Baſilius: ſi igitur prima creatio Adami incorruptibilis erat, vt diuinus Anaſtaſius Sinaita ſcribit: ſi igitur dignitatē dedit principio homini Deus, nempe exitij expertem eſſe, vt S. Andream Cretenſem dixiſſe patet: ſi igitur libertate voluntatis, & immortalite cum decoraſſet hominem Deus, regem omnium terrenorum inſtituit, vt beatus Barlaam dixit, quomodo adhuc mortalem à Deo productum aſſeremus? prorſus impoſsibile opinor eſſe. Quid ni? quando & theologiæ doctiſsimus Gregorius non ſinit de primo homine talia cogitando concipere. Nullius enim tegumenti, & munimenti indigum primum hominem cum affirmaſſet, ſtola immortalitatis veſtitum eſſe qui primus à Deo eſt fabricatus, haud obſcurè admonet. Etenim ſi ſecus eſſet, extrema illa corporum reſurrectio ad veterem illam, & primam vitam reuerſio eſſe non diceretur.

Reliqua, de cibo videlicet primi hominis in paradiſo, & de ligno ſcientiæ boni & mali, deſiderantur. A Glyca porrò plures huiuſcemodi diſputationes conſcriptas fuiſſe, mihi ſit credibile.

FINIS.

NOTÆ

NOTAE IN DIOPTRAM.

QVID ſit διόπτρα, habes in præfatione. Suidas ita deſcribit. διόπτρα μηχανικὸν τεχνούργημα δι᾽ οὗ οἱ γεωμέτραι ἀπηκρίβουν τὴν τῶν ἐπάλξεων ἐκ διαστήματος ἀναμέτρησιν. περίεργος, πάντα περὶ πολλοῦ τῇ διόπτρᾳ συμβλέπεις.

Citatur in Turcogræcia fol.198. liber *Dioptra* inſcriptus, verſibus politicis conſtans, animæque & corporis diſputationem continens, *cur ad moriendum ſe non præparent*. Initium eius fertur hoc.

> Πῶς κάθῃ, πῶς ἀμεριμνεῖς, πῶς ἀμελεῖς, ψυχή μου.
> Ὁ χρόνος σου πεπλήρωται, ἔξελθε τοῦ σαρκίου.
> Ποῦ τραπεζῶν ἀβρότητες μαγείρων μαγγανεῖαι;
> Ποῦ τῶν αὐλῶν τὰ θέλγητρα, τὰ τύμπανα καὶ λύραι;
> Ποῦ ἡ χαρὰ ἡ πρόσκαιρος τοῦ βίου ἡ ματαία;
> Ὡς ὄναρ παρελήλυθεν, ὡς καπνὸς διελύθη.

Sed cum *Dioptræ* noſtræ longè aliud ſit exordium: haud temere ſuſpicamur, diuerſam eſſe ab illa, cuius Turcogræcia meminit. Caput primum inſignem locum cōtinet aduerſus veteres & nouos ſectarios de neceſsitate operum ad ſalutem, quorum commendationem cum in ſua quoque *Dioptra* reperiſſet Hæreticus auctor Turcogræciæ, continere ſe non potuit, quo minus oræ libri ſui hanc maculam allineret. Μοναστικαὶ ἀσκήσεις σωματικαὶ καὶ ψυχικαί. *Monaſticæ exercitationes ſunt corporales & animales.* ἔργοις μὴ πίστευε. *operibus ne crede.* θεοῦ (σώζει χάρις οἴη, ἣν πίστις δέχεται). Sola gratia Dei ſaluat, *quam fides accipit.* πίστιν δείκνυσι τὰ ἔργα. *Fidem monſtrant opera.* Quam appendicem adiecerunt iſti, poſtquam animaduerterunt, quantam abſurditatis immenſitatem vox illa de ſola fide, excluſis cunctis operibus, ſecum traheret.

Pag.13.v.24. In quibus fides, etiam charitas) loquitur de fide viua & *formata*, vt vocant. nam fidem alioquin ſine charitate conſiſtere poſſe, res eſt explorata apud orthodoxos. & cum paulò poſt ait; recedente charitate, omnia alia recedere, loquitur de receſſu quoad fructum reſpectu iuſtificationis, meriti, & conſequendæ beatitudinis, cum abſq; charitate omnia ſint velut *æs ſonans & cymbalum tinniens*. Vide Bellarminum lib.1. de Iuſtificatione cap.14. & 15. & ſeqq.

Pag.25. minimè vult Auctor omnes beatos fore ſimpliciter pares in beatitudine, hæc enim eſt Iouiniani hæreſis iam olim damnata à S.Hieronymo lib.2.contra Iouinianum,& à Concilio Telenſi ſub Syricio Papa, & ab aliis; ſed vult pares fore ſecundum communē quandam rationem beatitudinis, vt ſcilicet eſt fruitio vnius & eiuſdē ſummi boni, quod eſt Deus; omnes enim beati perfruentur eodem hoc ſummo bono;Cum hac tamen æqualitate ſecundum communem rationem beatitudinis; conſiſtit inæqualitas ſecundum particularem beatitudinis rationem, quatenus pro ratione meritorum alius alio perfectius ſummo bono fruetur,clariusque Deum intuebitur. Vide Alphonſum à Caſtro V. Beatitudo Hær.7. & Gregorium de Valentia 1.2. D.Thomæ quæſt.5.p.3.

Pag.44. & ſeq. Locus illuſtris pro confeſsione auriculari, de qua longè melius diſſerit Philippus Dioptræ parens,quàm Hieremias Patriarcha Conſtantinopolitanus in ſua Cenſura cap.11.vbi ait: *Quæ autem* (peccata) *vel per obliuionem,vel animi pudorem confiteri* (pœnitentes) *omiſerint, precamur pium & miſericordem Deum, vt & hæc ipſa ſimul cum cæteris illis condonare velit,confidimusq́ eos talium etiam à Deo veniam conſecuturos.* Et quidem quod ad obliuionem attinet,nemo id inficiatur. De pudore, alia ratio eſt: quia confeſsio debet eſſe integra,vt rectè etiam Dioptra demonſtrat, integra autem non eſt, ſi quis peccata quorum memor eſt,ſolo pudore præpeditus,omittat.Probationes,quæ adferuntur ex vetere Teſtamento, rationes quædam probabiles ſunt, quales nimirum ex figuris duci ſolent. Lege de hoc argumentorum genere Bellarminum lib.2. de Pœnitentia, cap.3. Sic & Iſidori ſententia pag.48. & 49. de confeſsione peccatorum Baptiſmo Ioannis præmitti conſueta plus nec euincit, nec euincere cupit, quam confeſsionem illam fuiſſe quendam typum confeſsionis noſtræ Sacramentalis, vt idem Bellarminus copioſius oſtendit, qui ferè omnes locos ex veteri Teſtamento pro confeſsione à Dioptra adductos, egregiè ab Hæreticorum nugis aſſerit.

Pag.68. Ariſtoteles & Hippocrates) De hoc vide Conimbricenſes in 2.lib.de Anima,cap.1.quæſt.9.Inde etiam apparebit,quomodo explicanda ſit ſententia Nyſſeni,quam Dioptra ſtatim citat fol.69.Vide eoſdem quæſt.4. in 1.cap.lib.2. de Anima; vt intelligas, quomodo verum ſit illud: quod Dioptra mox ſubdit: *Non eſt corpus fictum ante animam,&c.* Et ipſa Dioptra pag.73.ita loquitur. *Corpus priore loco format ex quatuor primis corporibus,&c. Poſtea animam quoque inſpirat,&c.* Nec anima eſt ex traduce, etiam ex ſententia Dioptræ. Vide Conimbricenſes in lib.2.de Anima,cap.1.q.3. & Alphonſum à Caſtro V.Anima. Errore V.

Quæ

Quæ Dioptra de anima & corpore diſſerit pag.*79*.& 80.δεξιῇ γνώμῃ interpretanda ſunt; neq; enim vult hominem propriè eſſe ſolam animam; vt Plato cenſuiſſe fertur; aut carnem propriè non aliter vniri animæ, quam indumentum corpori, aut nauim nautæ; aut vehiculum ſeſſori. Meminerit lector & hic & alibi legis illius apud Iureconſultos admodum celebratæ: *Benignius leges interpretandæ ſunt quò voluntas earum conſeruetur*: ſenſusque metaphorici & improprij, quos aliquando ſcriptores conſectantur, nequaquam proprias rerum rationes euertunt; niſi ſint eiuſmodi, qui cum veritate conſiſtere nequeant. Verum de anima, vt ſe habeat reſpectu corporis, lege Gregorium de Valentia 1.p. S.Thomæ d.*6*.q.2.p.1. qui etiam diſp.7.q.3.p.1. fusè docet, an & quomodo homo fuerit ad imaginem & ſimilitudinem Dei creatus.

Pag.82. dicit Dioptra corpus Protoplaſti nec mortale, nec immortale fuiſſe; ſed inter mortalem, immortalemque naturam medium: id ideo dicit; quia vt Theologi cum Magiſtro 2.d.*19*. docent; duplex eſt immortalitas; vna ſecundum quam quis poſsit non mori: altera, ſecundum quam non ſolum poſsit quis non mori; ſed etiam non poſſit mori. Et quia poſteriorem hanc immortalitatem non habuit homo in ſtatu innocentiæ; (quam habent beati in cœlo) ideo Dioptra ait; eum habuiſſe mediam quandam inter mortalem & immortalem naturam; quia potuit peccare & mori; ſicut & peccauit & mortuus eſt; Quo fit; vt immortalitatem illam non habuerit; cuius beneficio non potuerit mori: tametſi hanc quoq; immortalitatem habuiſſe dici poteſt; ſed ex hypotheſi, ſi ſcilicet non peccaret, vt aſſerit etiam S.Bonauentura 2.d.*19*. art.2.q.1. Vide Gregorium de Valentia 1.p. D.Thomæ d.7.q.4.p.1. & Bellarminum lib. de gratia primi hominis, potiſsimum cap.*9*. vbi probat immortalitatem primi hominis fuiſſe ſupernaturalem, nō naturalem, ac proinde commiſſo peccato ademptam protoplaſto: Angelis autem poſt peccatum non ademptam; quia erat illis naturalis & intrinſeca. Quod autem Dioptra ait: Si corpus Protoplaſti immortale fuiſſet; futurum fuiſſe, vt non egeret alimento; id non ſequitur: quia cauſa illius immortalitatis ex parte erat etiam eſus fructuum arboris vitę, nam in ſtatu illo non habebat homo corpus ſpirituale, quale habebunt beati, ſed animale, quod non poteſt conſiſtere ſine ciborum vſu propter continuam deperditionem humidi naturalis, quod eſt inſtaurandum nutritione. Vide Gregorium de Valentia tom.1. diſp.7.q.4.p.2. hæc ex S.Thoma & S.Auguſtino explicantem.

Quæ Dioptra diſputat lib.2. cap.11. & 12. de deſcenſu Chriſti ad infernum; hoc eſt, ad locum damnatorum, deque animabus inde eductis, cautè legenda ſunt. Nec refert, quod aſſertionem ſuam confirmat

auctoritate Damaſceni; nam librum illum ſeu orationem de defunctis, non eſſe Damaſceni, facilè probari poteſt, inquit Cardinalis Bellarminus lib. 2. de Purgatorio, cap. 8. quia in eo libro Auctor non ſolum dicit Traianũ & Falconillam ab inferno damnatorum ad regnum cœlorum tranſiuiſſe, ſed etiam multos alios, qui in infernum deſcenderant, quia fide diuina caruerunt, à Chriſto conuerſos & ſaluatos, quando ad inferos deſcendit: quod & per ſe erroneum eſt, & contrarium verbis Damaſceni lib. 2. de fide cap. 4. vbi dicit hominibus id eſſe mortem, quod fuit Angelis caſus. Hæc Bellarminus. S. Auguſtinus lib. de Hæreſib. cap. 79. inter hæreſes refert, quod deſcendente ad inferos Chriſto crediderint increduli & fuerint liberati. Et repugnat id ordinariæ Dei legi explicatæ in illis Scripturæ locis: 2. Cor. 5. *Omnes enim nos manifeſtari oportet ante tribunal Chriſti, vt referat vnuſquiſque propria corporis prout geſſit, ſiue bonum, ſiue malum.* Et Galat. 6. *Quæ enim ſeminauerit homo, hæc & metet.* Et infrà: *Ergo dum tempus habemus, operemur bonum.* Ex quibus & aliis ſimilibus locis conſtat, non niſi in hac vita eſſe tempus comparandi ſalutem: atq; eadem eſt ratio de paruulis damnatis, qui cum ſolo peccato originali deceſſerunt. Hæc Gregorius de Valentia tom. 4. diſp. 2. q. 4. p. 3. De qua re copioſè etiam diſputat Franciſcus Soarez tom. 2. in 3. p. S. Thomæ diſp. 43. ſect. 3. Locum illum 1. Petri 3. *In quo his, qui in carcere erant ſpiritibus, veniens prædicauit, &c.* ex quo errandi occaſio ſumpta videtur, fusè & rectè explicat Bellarminus lib. 4. de Chriſto, cap. 13. & Pererius in Geneſin.

Nec prætereundus ille Dioptræ error pag. 90. in his verbis: *Si igitur animas adhuc in inferno manere audis, ſcito neutiquam tormẽta ſuſtinere, vt prius, nec etiam vinculis teneri ferreis, vtpote à tyrannide vindicatas.* Nihil minus; quia in inferno nulla eſt aut redemptio, aut remiſsio: & ſingulis damnatione dignis; etiam in hora mortis accinitur triſte illud carmen: *Ite in ignem æternum.* Quare qui inferni tormentis addicti fuerant, ante Chriſti ad inferos deſcenſum, iiſdem adhuc addicti manent, manebuntque in perpetuum. Ea de cauſſa negari non poteſt quin *Dioptra* nimium à vero abeat, aſſerens cum fictitio Damaſceno, quoſdam penitus ex inferno liberatos propter fidem in Chriſtum, quam tunc primum, Chriſto ad inferos deſcendente, adepti ſint, illos verò, qui non crediderunt, hoc ſaltem relaxationis conſecutos, vt pœna vſque ad extremum diem iudicij dilata fuerit. Nihil horum cum orthodoxis dogmatibus conſonat. Veniam tamen meretur Dioptra ob hos næuos, quos aut incuria fudit, aut humana parum cauit natura, præſertim cum Damaſcenum ſeſe putarit ſequi; cuius non eſt exigua auctoritas; cumq; etiam S Gregorius Nazianzenus orat. 2. in Paſcha agens

de

de Chriſti ad inferos deſcenſu, ſub dubio reliquerit: vtrum Chriſtus omnes ſine vlla exceptione deſcenſu ſuo ſaluos fecerit, an eos duntaxat, qui crediderunt: Quamuis, vt notat Soaretz, Nazianzenus, non videatur ſcripſiſſe illa verba quod de veritate dubitaret, ſed ſolum vt proponeret, quid de hac veritate inquirere ac ſcire oporteat. Locus quidam S. Auguſtini epiſt. *99.* ad Euodium perobſcurus, Græcis iſtis notus eſſe nõ potuit. Qui tamẽ rectè accipitur de liberatione ex purgatorio, vt monet Soaretz loc. cit. & Greg. de Val. tom. 4. diſp. 11. q. 1. p. 3.

Pag. *95.* Quod damnati ſe mutuo non agnoſcant, non videtur ſatis conforme vero, idemque aſſeritur lib. 4. cap. vlt. fol. 205. nam quem damnatus videbit in infernum iudicio peracto, detrudi, aut reipſa in inferni carcere verſari, eum vtique damnatum eſſe certo cognoſcet. Etiamſi neſciat, quis qualiſúe ſit in ſpecie. Quod autẽ quis eum, quem in hac vita nouit; vt filius parentem, parens filium, amicus amicum, etiam in illo calamitoſo ſtatu agniturus ſit; id Theologi 4. d. vlt. tanquam per ſe notum ſupponere videntur. Neq; agnitioni huic obſtant tenebræ illæ exteriores in quas damnati dicuntur coniici, quia vt rectè Durandus 4. d. 50. q. 1. explicat *tenebræ illæ non ſunt intelligendæ per carentiam omnimodam luminis, ſed per carentiam, vt viſio eius eſt delectabilis, vnde tales tenebræ erunt in inferno, quia nihil perſpicuè videbitur; ſed ſolummodo videbunt ibi ſub quadam tenebroſitate illa, quæ afflictionem cordi poſſunt ingerere. Vnde, damnati videbunt pœnas ſuas, & illos quos ſecum per malum exemplum traxerunt de mundo: quod totum cedet eis ad augmentum ſupplicij.* Hæc Durandus. Dioptra arbitratur nihil prorſus luminis in inferno fore poſt extremum iudicium. Quod ſi verum eſſet, ſententia Dioptræ vtcunq; probabilis efficeretur. tametſi viſus non ſit vnica agnoſcendi quempiam ratio: nam & auditu, & in tenebris conſtituti agnoſcere quempiam poſſumus; præſertim ſi antea nobis non fuerit ignotus.

Pag. *96. 97.* & ſeq. differit Dioptra de ſtatu animæ poſt reſurrectionem ad corpus regreſſæ. Pro quibus rectius intelligendis lege Franciſcum Soaretz tom. 2. in 3. p. D. Thomę d. 47. ſect. 7. vbi accuratè explicat, quæ actiones animæ ſentientis, in corpore glorioſo ſint futuræ; nam de ipſis facultatibus, ſeu potentiis ſentiendi, dubium non eſt, quin eas omnes anima corporis glorioſi habitura ſit.

Pag. 111. commodo ſenſu accipiendum eſt, quod ait; animam beatam immemorem fore eorum malorum, quæ in hac vita geſsit: Aſſerit hoc, quia anima talis ſcelerum ſuorum memor non erit cum dolore & cruciatu, ſicut memores erunt animę damnatę. Et hanc eſſe ſuam mentem, ſatis expreſsè indicat ipſa Dioptra ad finem cap. 1. lib. 3.

Pag. 118. Similitudo de plumbo ſupra naturam in aurum conuerſo, dex-

ſo, dextrè accipienda, & ad Incarnationis myſterium accommodanda eſt: Nam vt aliqua ſimilitudo ſit, ita vtriuſque mixturam concipere debemus; vt vtriuſque natura poſt vnionem diſtincta & inconfuſa maneat: nam ſi ponamus confundi; aut naturam plumbi deſinere & penitus in aurum mutari; iam exemplum Eutychianiſmum oleret. Itaque legitimus ſenſus eſt iſte: ſicut maxima plumbi dignitas foret ſi arte ita cum auro coniungi poſſet; vt verum eſſet dicere: plumbum eſt aurum: ita maxima humanæ naturæ dignitas eſt; poſtquam ſic cum diuina eſt vnita, vt verum ſit dicere: Homo eſt Deus.

Pag.120. Ait, ſolam rationem poſt reſurrectionem in anima manſuram. Hoc non ideo dicit; quaſi potentiæ ſenſitiuæ in anima corpori glorioſo vnita, non ſint futuræ; ſed quia omnes cum actibus ſuis, quos exercebunt, perfectè ſubiicientur rationi; & proinde omnis rebellio inter appetitum ſenſitiuum & rationem ceſſabit: quaſi ſola ratio in anima ineſſet; quia ipſa ſola dominabitur; neque vlla facultas ſeſe imperio eius opponet; vt iam fieri conſueuit.

Cap. 6. & 7. lib. 3. diſputat de renouatione mundi & creaturarum poſt extremum diem iudicij. Et rectè quidem. Non enim negat *hanc* inſtaurationem: etſi negat mundum hunc ſenſibus expoſitum, ideo renouatum iri; quod ſit futurus domicilium beatorum: non enim in his terris degent beati; ſed cum Chriſto in cœlis. Sub finem capitis ſeptimi dubium mouet, num hæc quatuor elementa, ex quibus nunc mundus hic inferior coagmentatur, permanſura ſint. Nec ſoluit dubium; ſed inſolutum relinquit. Cæterum communis Theologorum ſententia eſt, elementa iſta vt & corpora cœleſtia ſecundum ſubſtantiam ſuam perpetuo manſura; tantumque in illa communi rerum reparatione *accidentaliter* mutatum iri. De quo fusè & doctè ſcribit Franciſcus Soaretz tom.2. in 3. partem S. Thomæ diſp. 58. vbi etiam accuratè explicat locum illum 2. Petri 3. *Cœli autem qui nunc ſunt, &c. igni reſeruati in diem iudicij, &c.*

Pag.131. v.2. inſinuat Dioptra illam ſententiam, quæ dicit Antichriſtum non fore verum hominem, ſed dæmonem ſub ſimulata hominis imagine: vt ſenſit Hippolytus lib. de conſummat. ſæculi. Quæ opinio communi Theologorum conſenſu refellitur, vt & illa, quæ vult Antichriſtum fore dæmonem, ſed ſimul hominem, incarnatum ſcilicet dæmonem in vera humanitate. Vide Soaretz tomo 2. diſp. 54. ſect. 1. & Gregorium de Valentia tom. 4. diſp. 11. q. 2. p. 2. licet ipſa etiam Dioptra cap. 11. fol. 131. non obſcurè veram ſententiam de Antichriſto indicet, fore ſcilicet hominem verum; etſi eximium Diaboli inſtrumentum & domicilium.

Pag.142.

Pag.142.docet Dioptra in corporibus reſurgentium nullam prorſus fore differentiam.Sed verior & communior eſt contraria Theologorum ſententia;nempe vnumquemque reſurrecturum in vigore iuuenilis ætatis,quem circa trigeſimum à natiuitate annum,vel habuit, vel habiturus fuiſſet, ſi eo vſque vixiſſet:itemque in ea corporis ſtatura, quam iuxta proprium temperamentum & facultatem naturalem adipiſci potuerit,ſi nullum impedimentum obſtitiſſet. Vide Gregorium de Valentia tom.4.diſp.11.q.3.p.3.& Soaretz tom.2.d.50.ſect.5.

Pag.195. Docet Dioptra latronem in paradiſum terreſtrem inductum,ex illo promiſſo Chriſti: *hodie mecum eris in paradiſo.* Sed communis & vera expoſitio eſt Chriſtum latroni illis verbis promiſiſſe viſionem beatificam,eamque *paradiſi* nomine deſignaſſe.Vide Franciſcum Soaretz tomo 2.in 3.p. D.Thomæ ad art.11.q.46. In cæteris planè non fauet Dioptra errori recentiorum Græcorum aſſerentium, animas iuſtorum ante diem iudicij beatitudine non perfrui. Imo aduerſus hunc errorem omnia verba Dioptræ cap.17. lib.4. pugnare videntur. De quo multa etiam Gennadius aduerſus populares ſuos Græcos in defenſione pro Concilio Florentino.

DE NICOLAO CABASILA.

EPit.Biblioth.Geſn. Nicolaus Cabaſilas ſcripſit de vita in Chriſto ſermones V.*(at nos habemus VI.)* Item, τίς ὁ νοῦς τῆς ἱερουργίας ὅλης ἐν κεφαλαίῳ.*(qui videtur eſſe liber de diuino altaris ſacrificio, latinè redditus à Gentiano Herueto,& exſtat tomo 6.Biblioth.SS.Patrum)* Obſeruationem in viſionem Prophetæ Ezechielis, in qua ſuper 4.animalibus throni ſimilitudo, & ſuper throno ſpecies hominis,&c. De proceſsione ſancti Spiritus aduerſus S.Thomam.Item ſermones diuerſos de variis rebus Theologicis. Precationem ad Chriſtum,& epiſtolas aliquot. *Pleraque horum operum in Vaticana & Viennenſi Bibliothecis aſſeruantur. Vixit Ioanne Cantacuzeno Conſtantinopoli imperante. Secutus communes eo tempore Græciæ errores, cætera doctus; à quibus tamen ſex iſti libri puri ſunt.*

Pag.231. dicit per baptiſmum interimi *peccandi habitum:* quo nomine intelligit peccatum,quod per modum habitus in mente manet;licet actuale peccatum iam præterierit ac deſierit. De hoc loqui Cabaſilam, planũ fit,ex ipſius verbis. Paulò enim ante diuiſerat peccatum in *actuale & habituale.* Et hoc per baptiſmum legitimè ſuſceptum penitus tolli & aboleri;ſide Catholica exploratum habemus. Quod notare viſum, ne quis Cabaſilam ſiniſtrè intelligens, exiſtimaret; eum baptiſmo *impeccantiam* ſeu *impeccabilitatem,* tanquam effectum adſcripſiſſe.Vt

ſe. Vt veteres & noui hæretici inſipienter fecerunt. Vide Bellarminum lib. de Baptiſmo, cap. 14.

Pag. 248. adfert ſimilitudinem alabaſtri & vnguenti, vt declaret naturæ humanæ cum diuina in eadem perſona vnionem; quę ſimilitudo nonnihil obſcuritatis habet. Verba Græca hæc ſunt. καθάπερ τοίνυν, εἰ τὸ ἀλάβαστρον μηχανῇ τινι γένοιτο μύρον καὶ πρὸς αὐτὸ μεταστῇ, ἀκοινώνητον οὐκ ἔτι τοῖς ἔξω τὸ μύρον, οὐδ' ἔνδον, οὐδ' ἐφ' ἑαυτοῦ μένον, τὸν ἴσον τρόπον, τῆς ἡμετέρας φύσεως ἐπὶ τοῦ σωτηρίου σώματος θεωθείσης, τὸ διεῖργον ἀπὸ τοῦ θεοῦ τὸ τῶν ἀνθρώπων γένος, οὐδέν. Senſus eſt. Ante vnionem humanę naturę cum diuina in eadem hypoſtaſi fuiſſe inter Deum & hominem diſtantiam non quidem locorum, ſed diuerſitatis naturę: nam Deus ſolum Deus erat: & natura noſtra homo tantum erat: qua naturæ diuerſitate arcebatur quodammodo homo à Deo, ſeu natura humana à diuina: At iam, facta vnione naturę noſtrę cum diuina in eadem perſona, diſtantia hæc ſublata eſt: natura enim humana iam eſt *deificata* per ſubſiſtentiam cum diuina natura in eadē hypoſtaſi; atq; adeo homo eſt Deus; vt proinde non ſit amplius illud quaſi interuallum non ſpatij, ſed naturæ inter Deum & hominem, quandoquidem etiam humana natura in conſortium diuinæ naturæ admiſſa eſt. Sicut igitur iam is, qui vnguento incluſo in alabaſtro vti cupit; arcetur ab ipſo alabaſtro; ne vnguento vti poſsit; ſi autem ipſum etiam alabaſtrum mutaretur in vnguentum, nihil amplius interiiceretur; quod pręcediret, ne vnguento frueretur; ſiue ſpectetur vnguentum, vt intra alabaſtrum iam mutatum continetur; ſiue ſpectetur, vt in ſe & quaſi extra alabaſtrum ſubſiſtit: ita humana natura iam quaſi in vnguentum diuinitatis per vnionem hypoſtaticam mutatâ; nulla eſt amplius diuerſitas, quæ nos arceat; quo minus vnguento, vt ſic dicam, diuinitatis liberè frui queamus. Hæc vis eſt illius ſimilitudinis; quæ tamen dextre, vt natura ſimilitudinis exigit, intelligi debet: nam humana natura aliter non eſt *deificata*; ſiue vnguentum diuinitatis facta; niſi hypoſtaticè; quæ vnio non effecit, vt humana natura eſſet natura diuina: ſed vt cum diuina in eodem ſuppoſito ſubſiſteret; *atque* adeò diceretur, natura Dei; & homo, Deus: quæ vnio naturæ humanæ cum diuina, ſufficit ad tollendam diſtantiam; quæ antea erat inter Deum & hominem, ſeu inter diuinam naturam; quæ eſt quaſi vnguētum; & humanam naturam; nam vt humana natura fiat intrinſece diuina; id non magis fieri poteſt; quam vt creatura fiat creator.

Pag. 255. Docet Euchariſtiam totius perfectionis ſpiritualis complementum eſſe: Baptiſmum quidem & Confirmationem ſeu ſacrum chriſma largiri eam, quam ex inſtitutione poſſunt & debent, perfectionem; Euchariſtiam verò quaſi faſtigium imponere; & vbi omnes

ſuas

ſuas vires exercere valet; omnia peccata ex animo eiicere:hominemque planè ſpiritualem efficere: cum tamen baptizatus & ſacro chriſmate delibutus variis vitiis adhuc obnoxius eſſe queat. Verba Græca ſunt iſta. *ἐπὶ δὲ τῆς εὐχαριστίας τούτων οὐδέν. οἷς γὰρ ὁ τῆς ζωῆς ἄρτος ἐνεργὸς ἐγένετο, δι᾽ ἂν ἐφυλάξαντο τὸν θάνατον, καὶ οὐδὲ δειπνοῦντες πονηρὸν οὐδὲν εἶχον, οὔτ᾽ ἐπεισήγαγον, οὐκ ἔστιν οὐδὲν ἐπεγκαλέσαι τοιοῦτον.* Sẽſus eſt. Nihil horum de Euchariſtia dici poteſt: nimirum eos, qui Euchariſtiæ participes facti ſunt, ***adhuc carnales eſſe & ſecundum hominem ambulare,*** vt de Corinthiis aiebat Apoſtolus; nil enim ſimile obiici poſſe illis, in quibus panis vitæ efficax fuit; (videtur autem pro *δι᾽ ἂν*, legendum, *δι᾽ ὃν*, vt referatur ad panem vitæ; hoc ſenſu: propter quem panẽ mortem effugerunt. Quod ſi quis lectionẽ illam *δι᾽ ἂν* retinere velit; ſubintelligendum erit hoc vel ſimile quid. *κατ᾽ ἐκεῖνα δι᾽ ἂν*, vt verborum ſeries hæc ſit; *οἷς γὰρ ὁ τῆς ζωῆς ἄρτος ἐνεργὸς ἐγένετο κατ᾽ ἐκεῖνα, δι᾽ ἂν, &c.*) & qui *δειπνοῦντες*, hoc eſt, in ipſa ſumptione Euchariſtiæ, ab omni labe immunes fuerunt; & ſacramentum hoc indignè non ſuſceperunt: neq; etiam vllum peccatum ſuperinduxerunt. *οὐ γὰρ ἔστιν, οὐκ ἔστι τὴν τελετὴν ἐνεργὸν παντάπασιν εἶναι, καὶ τοῖς μεμυημένοις ἐπιτοσοῦν μετεῖναι φαυλότητος. διὰ τί; ὅτι τοῦτό ἐστι τὴν τελετὴν ἐνεργὸν εἶναι, τὸ τοὺς τελουμένους οὐδενὸς τῶν γιγνομένων ἐλλείπειν. ἡ γὰρ τῆς τραπέζης ἐπαγγελία τῷ Χριστῷ μὲν ἡμᾶς, ἡμῖν δὲ τὸν Χριστὸν ἐνοικίζει.* Fieri enim nullo modo poteſt; vt myſterium hoc efficax ſit; hoc eſt; vt omnes ſuas vires plenè & perfectè exerat; & in initiatis, hoc eſt, in illis, qui Euchariſtiæ participes facti ſunt, aliquid improbitatis & nequitiæ relinquat. Cur ita? Quia myſterium plenè & perfectè in operatione ſua efficax eſſe; nihil aliud eſt; quam vt initiati; ſeu qui myſterium hoc perceperunt; nullo huius myſterij fructu & effectu deſtituantur: Menſæ enim huius promiſsio nos in Chriſto, & Chriſtum in nobis habitare facit. Quod pluribus deinceps Auctor oſtendit; qui hæc & ſimilia de Euchariſtia per exaggerationem quandam ſcribit propter realem Chriſti in hoc Sacramento præſentiam: non enim reddit Euchariſtia hominem *ἀναμάρτητον*, ***impeccabilem:*** nec per ſe peccata mortalia remittit: nec etiam ſemper omnia venialia; etſi poteſt, ſi ipſemet homo obicem non obiiciat; neque inclinationes ad vitia penitus exſtinguit; licet eas multum imminuat, ſi quis cœleſti hoc cibo ſæpius ea, qua par eſt, pietate, vtatur. Legatur ſanctus Thomas 3. parte quæſtione 79. & ibidem Franciſcus Soaretz. Porro illud Cabaſilæ pagina 256. duriuſculum eſt; ***deficientes & ſceleribus exſtinctos ad vitam reuocare, vnius ſacræ menſæ munus eſt:*** nam per ſe & ex inſtitutione ſua non remittit Euchariſtia peccata mortalia, atque adeò nec viuificat; Eſt enim Sacramen-

tum ſpiritualiter viuentium, non mortuorum: niſi Cabaſilas loquatur de Euchariſtia in voto: de quo ipſo tamen non exigua eſt quæſtio. Vide Franciſcum Soaretz loc.cit. & quæſt.73. ad art.3. D. Thomæ, vbi de neceſsitate Euchariſtiæ diſputat.

Scribit Guido Carmelita in Catalogo hæreticorum, & Prateolus in eiuſdem argumenti opere, & alij, Græcos arbitrari, vſuram non eſſe peccatum. Quod ſi ita eſt, tum Cabaſilas hanc in fœneratores orationem potiſsimum aduerſus populares ſuos Græcos elaborauit.

DE JOANNE CARPATHIO.

DE Ioanne Carpathio hæc Photius in ſua Bibliotheca conferens capita aſcetica Nili cum capitibus Ioannis. κρατεῖ δ' οὖν ἐν τοῖς περὶ ὀλίγου εἰρημένοις πολλῷ καὶ Ἰωάννου τοῦ Καρπαθίου ὃς ἐπιγραφὴν αὐτοῦ τῷ πονήματι δίδωσι πρὸς τοὺς ἀπὸ τῆς Ἰνδίας προτρέψαντας μοναχοὺς παρακλητικός. ἑκατὸν δὲ καὶ οὗτος κεφαλαίοις περαιοῖ αὐτό. *Multo etiam in prædictis duobus præſtat (Nilus) Ioanni Carpathio, qui ſuo libro hanc dat inſcriptionem. Cohortatio ad Monachos Indos, eorum rogatu conſcripta. Abſoluit & ipſe opus ſuum capitibus centum.*

IN DISPVTATIONES GLYCAE.

QVod ad poſteriorem diſputationem Glycæ attinet; refellit illa ex inſtituto ſententiam Dioptræ de natura Adami media inter mortalem & immortalẽ. De qua copioſè etiam Glycas in Annalibus ſuis parte prima. Etſi in bonum ſenſum ſententia Dioptræ accipi poſsit, vt iam ſupra notabamus. Operæpretium autẽ erit, ea, quæ Glycas in Annalibus differit, conferre cũ hac eius diſputatione: Inde enim quod hic deeſt de cibo primi hominis & de ligno ſcientiæ boni & mali petere licebit, tametſi errat Glycas, quando negat Adamum in Paradiſo cibo vero & ſenſibili vſum eſſe: nec argumenta eius *quid*quam concludunt, vt facile demonſtrari poſſet, ſi id nunc nobis eſſet propoſitum. Quare dum minorem errorem, & qui fortaſſe non tam eſt error in re, quam nomine, inſectatur, in longè maiorem incurrit. Nam qui Adamum in ſtatu innocentiæ immortalem fuiſſe aſſerunt, illi etiam docent homines in ſtatu innocentiæ pati potuiſſe non ſolum paſsione omnino perfectiua, qualis eſt receptio luminis & ſpecierum, quæ fit ſine vlla deperditione, ſed etiam paſsione ad animalem vitam neceſſaria, quæ per ſe ordinatur, tum ad ſubminiſtrandos

vitales

